




FOD

HISTORIA
REGUM HUNGARIÆ,
PARS III.

A


GEORGIO PRAY,


ABBATE B. M. V. DE TORMOVA, ET CATH. ECCL. M. VARADINEN. CANONICO CONSCRIPTA.

COMPLECTENS RES GESTAS

AB

ANNO M. D. XXVII. ad M. DCC. LXXX.





BUDÆ,
TYPIS, ET SUMTIBUS REGLÆ UNIVERSITATIS PESTANÆ TYPOGRAPHIÆ.

ANNO 1801.



FERDINANDUS I.

ab anno 1527 ad 1564.

Hungaria, Ludovico II. clade Mohácsiana amiſſo, bifariam diviſa, pars Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, pars Joannem Zapolyam, Transſilvaniæ Vajvodam, ſequebatur. Uterque conditione, & jure diſpares. Ille Augusta Imperatorum proſapia clarus, & fratris ſui, Caroli V. Cæſaris, & Hiſpaniarum regis potentia ſubnixus; hic nobili quidem, ſed tenui loco in Bosnia a Majoribus originem ducens: ille Comitiis a Regina vidua, & regni Palatino, cui id ſecundum leges proprium eſt, legitime indictis, rex renunciatus; hic contra, coacto ad Tocaium, ſua autoritate, Conventu, electus, de regni poſſeſsione contendebant. 1527.

Ferdinandus, cui ſucceſsio in Bohemia, vetuſto pactorum jure, certa erat, Pragam, ineunte anno, profectus, & VI. Kalendas Martii coronatus, tot provinciarum ad Au-

ſtriacas acceſsione, facile ſuperior regni
1527. æmulo futurus videbatur. Nec Zapolya, arrepta jam dignitate regia, ſegnior, Comitia ſuis ad XVIII. Martii Budam indixit. Sero obſervaverat, facultates ſuas, etſi cenſus eſſent maximi, diſtracto in partes regno, vix ſuffecturas, ut cum Ferdinandi potentia collibrari poſsint. Quare id in Comitiis præcipue agebat, ut ad defenſionem regni, omnes, nemine excepto, argenti, aurique facti, & infecti, pecorumque decimam partem conferrent, aut præbito ære redimerent, idque ſub juramenti religione præſtari voluit, a) quin ullus obluctaretur, quam obſequendi facilitatem ſi Ludovicus expertus fuiſſet, forte Hungaria non tot viciſsitudinibus, quot deinde perpeſſa fuit, objicienda erat. Sed cum nec hæc

a) Litt. Zapolyæ ad cives Bartphenſes. 7. Maji. *Præterea ut unusquisque tam Nobilium, quam ignobilium, decimam partem argenti, aurique, & paratarum pecuniarum, boum, vaccarum, vitulorum ſupra annum, ovium, porcorum, jure jurando interpoſito, exſolvat, ita tamen, & ea conditione, ut ſi quis aliquid argenti elaborati, aut non elaborati, pro ſe redimere voluerit, ſolvat 6. fl. bonæ monetæ pro una marca, pro auro tantum, quantum res ipſa, quam redimere volet, ponderabit. De uno bove aratore 3. fl. antiquæ monetæ, de vaccis, vitulis, ovibus, & porcis, quantum valebunt* &c.

hæc propulſando periculo ſatis viderentur, Sigismundum Poloniæ regem, miſſo Joanne *Statilio* Budenſi Præpoſito, ſibi conciliare ſtuduit. Aliquid etiam ſpei a Franciſco Galliæ rege affulgebat, a quo Antonium *Rinconem*, Legatum acceperat, cujus hæc præcipue mandata erant; ut Hungaros in illius fide confirmet, & ante omnes, Franciſcum *Batthyánium*, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banum, in ejusdem partes traducere conaretur, non tam ſtudio in Hungaros ductus, quam ut Carolo Cæſari, hujusque fratri Ferdinando ægre faceret. Neque hæc iſto clam fiebant, qui jam prius Sclavoniæ cauſa ſolicitus, Petrum *Erdödium*, cujus magna apud eam gentem erat auctoritas, in ſuam fidem pertraxit, ut haberet, quem iſthic Chriſtophoro *Frangepanio*, Zapolyæ partibus addicto, opponeret. In Comitiis quoque Ratisbonenſibus, quibus pro Cæſare præfuit, id inprimis agebat, ne Zapolyæ fas eſſet, militem in Imperio conſcribere, aut jam conſcripto liber in Hungariam commeatus daretur. *a*) 1527.

His in contrarium ferventibus utriusque ſtudiis, rex Poloniæ veritus, ne Turcis ſenſim occaſio ad ſubjugandam penitus Hunga-

a) Litt. Ferdinandi ad Erdödium 10. Jan. Zapolyæ ad Caſſovienſes 10. Febr. Regis Galliæ 5. ejusdem apud Pray annal. P. V. pag. 133. Lunig Cod. Dipl. Germ. T. II. num. 115.

riam præberetur, commode intercedens, ar-
1527. bitrum componendæ litis ſe obtulit. Non abnuit Ferdinandus, pacis præ bello alioquin cupidior, nec Zapolya, ne, ſi negaret, invidiæ exterorum ſe objiceret, diſſenſerat. Conventu Olomucium ad Kalendas Junias præſtituto, aderant utriusque partis *Mandatarii*, acta eſt res aliquot coitionibus, Beato *Widemanno*, & Joanne *Statilio* diſceptantibus. Ille Ferdinandi jus in Hungariam a pactis conventis, legitima electione, & uxoris titulo repetebat, hic conſtitutione Ordinum anni 1505. & vetere electionis conſuetudine cauſam Zapolyæ tuebatur. Cum ita dies aliquot altercationibus traherentur, placuit, aliam concordiæ viam inire. Zapolyæ, ſi regno decederet, præter amplisſimum, quod habebat, patrimonium, XL. millia florenorum promiſſa, & regnum Bosniæ hæreditario jure oblatum eſt. Sed cum nec hoc modo partibus convenire poſſet, re infecta utrinque diſceſſum, & ad arma ventum eſt.

II. Ferdinandus ante, quam armis rem ageret, litteris 29. Junii vulgatis, cauſam ſoluti Conventus, & jura ſua, ac conjugis ſuæ in regnum declaravit, hactenus quidem, quod ſpes aliqua concordiæ fuiſſet, ad arma ſe non eſſe progreſſum, nunc vero, quoniam pacis tractatio evanuiſſet, coactum ſe vim adhibere, jusque ſuum armis vindicare; monitos proinde omnes velle, ut, deſerto Zapolya,

qui

qui illis rerum omnium decimam partem, in-
audito hactenus in Hungaria exemplo, adimi 1527.
juſsiſſet, in fidem ſuam concedant, alioquin ſe
in eos, qui refractarii eſſent, graviter animad-
verſurum; ſimul exercitum ex Bohemis, &
Auſtralibus conflatum, cui magna Hungaro-
rum pars ſe conjunxerat, regno immiſit, qui
Divinio, Poſonio, & Tirnavia ſponte ſe de-
dentibus, ad Ovarinum, donec ipſe conſe-
queretur, caſtra defixit; proximus a Caſimi-
ro Brandenburgenſi copiarum dux Mansfel-
dius erat. Magna huc e vicinia Nobilium,
ſigna ſponte ſequentium, concurſatio facta,
quorum exemplum cum propinquæ provinciæ,
& urbes inprimis regiæ ſequerentur, Zapolya
communem defectionem metuens, litteras di-
didit, quibus diminutionem capitis, & jactu-
ram omnium bonorum comminatus eſt, ſi-
quis Bohemiæ regis, ita Ferdinandum vocare
ſolebat, publici nationis Hungaricæ hoſtis,
litteras nuper vulgatas reciperet, legeret,
aut plebi interpretaretur, vetuitque eadem
comminatione, ne ullus Comitiis, ſi quæ in-
diceret, adeſſe auſit.

Nihil his minis profectum. Ferdinan-
dus, ut limites regni attigit, a Palatino, ce-
teriſque Proceribus magno numero confluen-
tibus, pro more ſalutatus, lentis de induſtria
itineribus, ut ſpacium aliis conveniendi da-
ret, progreſſus, receptiſque partim vi, par-
tim deditione Jaurino, Comaromio, Tata,

Strigonio, Vissegrado, & classe Danubiana
1527. Budam, a Zapolyanis jam ante desertam, mense Augusto pervenit. Jam multi, relicto Zapolya, partes Ferdinandi amplexi erant, inter quos Thomas *Nádasdius*, Franciscus *Zay*, Valentinus *Török*, Ludovicus *Pecry*, & Casparus *Paxy*, præcipui. Adfuit quoque cum donis orator Vayvodæ Moldaviensis, cumque in dies magna Nobilitatis pars confluerét, Comitia ad Kalendas Septembres indicta, vulgatis quaquaversum litteris, quas cum Zapolya graviter iterum vetaret, & præterea, non contentus rerum omnium decimatione, florenum auri omnibus imperaret, videretque multos propterea a se alienari, conclamatis quasi rebus, Rinconem Galliæ Legatum in Poloniam dimisit, ipse cum paucis suorum, ultra Tibiscum se recepit. *a*)

Nondum tamen Comitiis ob circumstrepentia arma initium dari potuit. In Croatia Frangepanius, in quo Zapolya plurimum spei collocarat, semel, iterumque, primum a Pecrio, mox a Batthyánio, & Georgio Puchheimo

a) Litt. Ferdinandi 29. Jun. Alexii Thurzo ex Fischement Fer. 3. post. Magdal. Zapolyæ 24. Aug. ex castris prope Agriam. Ferdinandi Budæ eod. Zapolyæ ex castr. prope Mochy 14. Sept. Alexii Thurzo Bud. 27. ejusd. Velius Ursinus de bello Pannonico, lib. 1.

mo profligatus, dum incaute Varasdinum ſpeculatur, æneo tormento ictus occubuit. Ni- 1527.
colaus Salmius contra Zapolyam, qui cum exercitu, in quo DCC. etiam Poloni, rege inſcio, erant, Tocaium pervenerat, miſſus, prælio victum in fugam conjecit, arcemque cepit. Diſsipatis hoſtium turmis, complures Ferdinandum ex ſacro, & profano ordine, & in his Petrus de *Perén*, cui Zapolya coronam regni crediderat, certatim ſequuti, Comitiis celebratis, unanimi conſenſu decrevere; ut electio regis Poſonii facta, legitima, & rata eſſet; Perénio mandatum, ut coronam afferret, cui, ob intuta itinera, mille quingenti equites additi: dies coronationi tertia Novembris ſtatuta, ad Transſilvanos, & Siculos mandata miſſa, niſi in verba Ferdinandi jurarent, hoſtes habitum iri, florenus auri viritim imperatus, donationes, quas rex hactenus, & vidua Regina ab obitu Ludovici fecerant, legitimæ ſint, contra Zapolyæ irritentur, iis, qui hujus partes ex Prælatis, & Baronibus tuiti fuiſſent, XXV. Novembris præſtituta, ut ſe regi ſiſtant, ceteris locus emendationi datus. *a*)

Sero Zapolya, ut Comitiis obturbaret, per ſubornatum nuncium litteras ad regni Ordines ſcriptas, quibus famam Ferdinandi lacera-

a) Decretum Ferdinandi primum. Litt. Zapolyæ 2. Nov. ex Thelegd. Velius l. cit.

cerabat, pro foribus templi majoris affigi
1527. curavit; sero etiam Verböczius, ejus Cancellarius, scriptis ad varios epistolis, coronationi moram injicere studuit. Profectio XXIX. Octobris Albam suscepta, & inauguratio III. Nov. magno exterorum, & popularium concursu peracta est. Postridie epistola Zapolyæ rursus ad Ordines scripta, intercepto tabellario, ad regem perlata est, qui convocatis ante regiam aulam cum Nobilitate Magnatibus, factaque tabellario impunitate, Zapolyam, & Verböczium suffragatione communi hostes regni declaravit, illum, quod destituto ad Mohácsium Ludovico, ab hujus interitu nomen regis usurparit, hunc, quod perniciosis suis consiliis ei autor ad invadendum regnum fuerit. Peractis dein Ludovico justis, rex cum utraque Regina, aderat enim & vidua Maria, Budam regressus comperit, Agriam a Zapolya, collecto tumultuario milite obsessam esse. Missi confestim Valentinus *Török*, & Ludovicus *Peery*, quibus additi, Stephanus *Majláth*, & Casparus *Paxius*, qui, collectitia hac turba facile dissipata, obsessis saluti fuere. Paulo acrius cum Francisco *Bodó*, Zapolyanorum præcipuo duce, qui Tartaros quoque, & Polonos sub signis habebat, gesta, sed & hic post difficile certamen victus, captusque, ad regem Strigonium, inde Viennam, mox Neostadium perductus, incertum vitæ exitum habuit. Eadem facilitate Joannes Catzianerus

rus ad Tirnaviam, & Nitriam usus est magno Zapolyæ incommodo, qui a fortuna, & à suis sectatoribus paulatim se deseri videns, opem a Polonis, sed irrito conatu, flagitare cœpit. *a)* 1528.

III. Ferdinandus enim compertis ejus consiliis Sigismundum Herbersteinium cum Laurentio Albensi Præposito, ad regem Poloniæ misit, qui ejus conatus interverteret; domi etiam, ne quid rerum novarum Zapolya moliretur, cavere volens, Strigonio Budam redux, rursus Conventum celebravit. Statutorum hæc fere capita erant: quoniam Solymannum ingentes apparatus façere, certis nunciis allatum sit, ingruente periculo omnes viritim, &, si necesse fuerit, cum colonis probe armatis, constituto per regem loco, & tempore adessent: Zapolyæ asseclis, qui hactenus in gratiam non rediissent, pœna infidelitatis dictetur, quibus publica fides ad comparendum esset data, eaque non fuissent usi, nullum deinceps, nisi aliter regi videatur, ad gratiam receptum habeant: ad florenum

a) Velius cit. l. 1. & 2. initio. Litt. Zapolyæ ad regni OO. Dominic. post Martini. Verböczii ad Cassovien. d. S. Andr. ex Thasnad. Alex. Thurzo Bud. post Dionysii, & 27. Sept. Leonardi Wallynczer Comit. Borsodien. ex Diósgyeur. Ferdinandi ad Bartphens. Alba 3. Nov.

renum prioribus Comitiis decretum, alter in
1528. belli usum additus. a) Sub finem conventus litteræ ab Herbersteinio allatæ, quibus Fratris Georgii *Martinusii*, celebre deinceps futurum nomen, b) conatus feliciter a se eversos significarat; regem Poloniæ cum Ordinibus decrevisse, ut, qui Zapolyam sequerentur, nisi bonis mulctari velint, confestim redeant, nec cuiquam; eadem interminatione, fas sit ejusdem signa deinceps sequi. Hoc comperto decreta in Zapolyam expeditio est, ne sensim vires resumeret. Copiis Germanicis præerant, Catzianer, Leonardus Velsius, & Nicolaus Turrianus, Hungaricis Törökius cum

a) Cod. Jur. Patr. & Velius cit. l. 4.

b) Vir ut obscuro loco natus, ita summæ arrogantiæ. Cum illum Ferdinandus post occupatam Transsilvaniam Provinciæ præfecisset, velletque ei socium adjungere, respondit Joanni Pethe de Gerse in hæc verba: *Cum essem puer, fui primus inter pueros, cum Monachus, primus inter Monachos mei ordinis, cum essem dispensator in aula regis Joannis, primus inter dispensatores, & cum essem Consiliarius, primus inter Consiliarios, & qui socium habet, dominum habet.* Ex processu post cædem illius celebrato per Nuncium Apostolicum, & juratis testimoniis firmato, quo ad res illius illustrandas crebro utendi locus erit.

cum Pecrio; militia quidem numero exigua erat, ſed exercitatæ virtutis. His a rege mandatum, ut factioſos nusquam quietos paterentur, ipſe Ratisbonam ad Comitia iturus, Palatinum, additis aliquot Epiſcopis, & Baronibus, ut ei conſiliis ſuis adeſſent, conſtituit, qui ſe abſente rem publicam curarent, pollicitus, ſe, cum per Moraviam, & Bohemiam iter facturus ſit, facturum, ut inde auxiliares copiæ tempori adeſſent, nec enim ſe tantos ad conſequendum regnum ſumtus impendiſſe, niſi etiam propoſitum haberet, id tueri, & Nationi quietum, pacatumque conſervare. Ita ſpe impletis cum utraque Regina Ovarinum diſceſsit, & hinc, relicta iſthic vidua, Viennam rediit. Hic eum Legati Vayvodæ Valachiæ, de quo ſuſpicio erat, quaſi factioſis clam ſtuderet, ſalutarunt. Rediit quoque Herberſteinius, idem, quod ad Conventum de Polonis nunciaverat, confirmans, regem cum Primoribus optime in Ferdinandum animatos eſſe, ſed Nobilitatem inferioris ordinis, & Sacerdotium, rebus Zapolyæ mirum in modum favere. *a*) 1528.

Nec fefellit eventus. Zapolya, ut primum regem in Auſtriam rediiſſe comperit, fortunam periclitaturus, ad Caſſoviam cum copiis conſtitit. Habebat ſub ſignis præter mille

a) Velius cit. l. 4. Litt. Ferdinandi ex Ovár Sabb. proximo ante Dominic. Reminiſcere.

1528. mille equites levis armaturæ, trecentos cataphractos, mille pedites ex Polonis, totidem ex Hungaris, D. Tartaros, & duo millia ex agrestibus collectæ militiæ. Catzianerus cum collegis numero inferior, hostem aggressus, rursum in fugam egit, Zapolya in Poloniam ad Joannem Tarnovium se subduxit. Hic, quamquam a dynasta loci liberaliter haberetur, in se tamen rediens cum videret, a quo culmine dejectus esset, cœpit modum circumspicere, quo sibi posset consulere. Pontifex præ reliquis idoneus ei visus, qui rebus pene desperatis medelam afferret. Sed ille eodem fere malo pressus, præter animi benevoli testificationem, nihil præstare poterat. Dedit quoque ad imperii Principes Ratisbonæ collectos litteras, quibus ab electione sua exorsus, quas a Ferdinando injurias hactenus perpessus, & demum regno exutus fuisset, prolixe queritur, amissæ nuper Jayczæ culpam in Ferdinandi socordiam conjiciens, alioquin, nisi litem inter se, & illum ex æquo componerent, se adactum iri, ut auxilium aliunde accersat, quod si Christianæ rei grave, & periculosum fuerit, non se in causa futurum. Jam tunc animo agitabat, ut opem a Solymanno imploret. Funestum Hungariæ consilium, &, cum nihil spei ab Imperii Principibus, religionis causa

dissi-

dissidentibus, affulgeret, opere ipso completum. a) 1528.

Auctor hujus erat Hieronymus *Lasky*, Provinciæ Siradiensis præfectus. Is legatione ad Solymannum perfunctus, Ludovico Gritto sibi conciliato, facile ei persuasit, ut Zapolyam in clientelam reciperet. De tributo quotannis propterea pendendo litigant inter se scriptores, b) nec illud credibile, Franciscum Galliæ regem triginta coronatorum millia in quemvis mensem stipulatum fuisse, cum ipse accepta recens ad Neapolim clade majoribus angustiis premeretur, quam ut tantum æris ob incertas spes profunderet. Solymannus subjugandæ aliquando Hungariæ, occasionem sibi offerri mire lætus, Laskii postulata rata habuit; & Joannem *Hobordanszkium*, qui nomine Ferdinandi serius veniens, inducias iisdem conditionibus, in quas cum Ludovico rege olim convenerat, firmari, & Bel-

---

a) Litt. Ferdinandi ad Hung. Strigon. 1. Jan. Zapolyæ ad Princ. Imp. Tharnov. 8. April. Catzianeri ad Cassovien. ex castris prope Garadna fer. 5. post Dom. Invocavit. Raynald. annal. Eccl. T. XIII. Velius l. cit. Litt. Petri Zyladi Agria fer. 6. post Visitationis Mariæ.

b) Velius id affirmat, negat contra Lasky in legationis suæ ephemeridibus, tametsi postea patuerit, etiam de tributo transactum fuisse.

Belgradum, importunius, quam Solymanni
1528. aures paterentur, reddi petierat, cum fastu rejecit. *a*)

1529. IV. Laskius confecto ex sententia negotio, Tarnoviam redux Zapolyam spe recuperandi regni erectum monuit, ut cum primum compererit, Solymannum Belgrado appropinquare, ejus conveniendi occasionem ne prætermitteret, ipse in Valachiam abiit, ut ex propinquo consilia tempori, & loco accommodaret. Nec Solymannus promissi immemor, compresso in Asia *Dervislariorum* tumultu, ingentes apparatus fecerat, parte copiarum Laskio credita, datoque mandato, ut Ferdinando bellum indiceret. Fecit scriptis ad eum litteris satis illiberalibus. Agebat tunc Ferdinandus Spiræ in Comitiis, quo Hobordanszkius jam ante nuncium de infelici legationis suæ exitu attulerat, & Solymannum longe gravissimum bellum parare affirmabat,

a) Litt. Lasky ad Ferdinandum Tergovistia 10. April. Velius l. 5. Zermegh. T. II. script. rer. Hung. p. 394. §. 11. Lasky ephemerides legationis suæ apud Matth. Belium Dec. I. monument. 4. Leunclav. Hist. Musulm. l. 18. ad an. Hegyræ 935. & Nic. Istvánfi Hist. l. 11. Litt. Zapolyæ ad Galliæ Legatum, & Steph. Brodericum, Varadini commorantes, Chanadino 28. Jul.

mabat, quo non Hungariam solum, sed Germaniam etiam subjugare propositum habeat. 1529.
Periculi magnitudo Principes permovit, ut, seposito tantisper religionis dissidio, quod hactenus aliquot annis Germaniam in partes distraxerat, & deinceps Hungariam quoque distrahet, auxilia in bellum Turcicum, XII. peditum, & equitum IV. millia constituerent, quibus stipendium ex ea pecunia, quae Caesari pro coronatione Romam profecturo alias jam decreta erat, penderetur, summa belli cura Friderico Comiti Palatino credita.

Haec cum Spirae decernuntur, Solymannus interim cum CL. millibus fines Hungariae ingressus Mohácsium attigit. Hic illum Zapolya cum VI. millibus salutandi causa conveniens, praestita obedientia se in ejus potestate futurum promisit, eo pene in loco, in quo Ludovicus quarto abhinc anno infeliciter pugnans occubuit, barbari *vasallum* se professus. Sub idem tempus, quo Zapolya advenerat, Petrus quoque Perenius, coronam cum regiis ornamentis volens periculo subducere, a Joanne Szerechenio, cum uxore, & liberis interceptus, & ad Solymannum perductus est. Mohácsio uterque profecti, Solymannus ad Budam, Zapolya Pestini subsistere. Arx iter morata est: praeerat huic Thomas Nádasdius; obsessione ad aliquot dies producta, Germanus miles primum de deditione mentionem injecerat, frustra obstitit Ná-

dasdius, datæ fidei eos admonens, illi impor-
1529. tunum monitorem cubiculo includunt, &, sublato e turri vexillo regio, signum deditionis edunt, & in hanc conditionem paciscuntur, ut dato bidui spacio, salvis rebus, & armis abire inviolatis liceat. Buda Zapolyæ tradita est, sed fides dedititiis male servata. Nam ad Budam veterem progressos trecenti Turcæ consequuti, pene omnes delessent, nisi is, cui cura eos deducendi mandata erat, navi impositos in adversam ripam, direptis sarcinis traduci imperasset. Hanc Zapolya infestam tenuit, quod Nádasdius conspicatus, cum paucis scapham insiliens, secundo Danubio devectus, forte fortuna eo loco applicuit, in quo tentorium Zapolyæ defixum erat, ad cujus genua provolutus vitæ gratiam petiit, &, post acerbam reprehensionem, quod Ferdinandum sequutus fuisset, obtinuit, ea conditione, præstitoque juramento, ne adversum se arma sumeret, &, cum accerseretur, ad præstitutum diem adesset. Ita Broderico, & Statilio vadibus, liber dimissus domum rediit.

Solymannus, relicto Budæ Zapolya, &, Ludovico Gritto, cum firmo præsidio, versus Austriam movit. Per iter Vissegradum, Strigonium, Jaurinum, & Ovarinum, aut deserta, aut deditione accepta sunt. Ferdinandus appropinquante hoste, Lincium, inde Pragam concessit, ut auxilia undique conquireret, quibus Viennæ, hanc enim Turcæ de-

signa-

ſignabant, mature conſuleretur. Miſit quoque ad Carolum Fratrem nuncios, qui, in quo periculo res eſſet, ſignificarent, ſed hos Veneti, bello cum Cæſare impliciti, interceperant. *a*) Suorum igitur virtuti confiſus, quidquid in vicinia militiæ erat, Viennam accelerare juſsit. Commode accidit, quod ante, quam anteſignanæ Turcarum copiæ Kalendis Septembris agrum Viennenſem attigerant, VI. mille peditum ex Imperio, aliquot item cohortes ex Hiſpanis, Bohemis, Auſtralibus, & Moravis in urbem advenerint, cetera militia præter præſidiarios, ex civibus, Academicis, & volonibus conſtabat, exigua pro amplitudine urbis ad defenſionem comparata manus. Summum imperium quod Palatinus Comes cum VII. equitum millibus ad Cremſium adhærere cogeretur, penes Nicolaum a Salmis fuit. Urbs XXII. Sept. penitus circumſeſſa acerrime oppugnabatur, nec minori virtute usque ad XVI. Octobris defenſa eſt, quo Solymannus ob inſolitam aeris inclementiam, & confluentes undique 1529.

B 2 auxi-

a) Litt. Stanislai Olomucen. Epiſcopi ad Judicem Caſſovien. d. 17. Oct. Das Volk Kayſerlich May. ways noch nit, das der Türküſch Kayſer vor Wien ligt, aus der Urſach, das die Venediger etlich Khönigl. poten aufgehalten haben.

1529. auxiliares copias, quæ urbi subsidio venire nunciabantur, obsidionem non minori dedecore, quam damno, XX. enim millia lectissimæ militiæ amisisse fertur, solvere coactus, Budam rediit, inde traditis Zapolyæ cum corona, regni Insigniis, eoque rege renunciato, & per Diploma confirmato, *a*) omnes, ut, nisi iram suam experiri velint, ejus mandatis obsequantur, admonuit, tum copias, per iter quinquaginta fere hominum millibus ex Hungaria in captivitatem secum raptis, ad hyberna deduxit. *b*)

Ut magna erat non in Germania solum, sed per Italiam quoque trepidatio, cum rumor obsessæ Viennæ percrebuit, ita non minor, soluta obsidione, lætitia, & in Zapolyam, qui barbarum hostem in Christianos exci-

a) Conf. Pray P. V. annal. p. 227.

b) Velius l. 6. & 7. Hist. Vien. obsessæ apud Schardium T. II. p. 237. Leuncl. Hist. Musul. l. 18. & in descript. obsidionis Viennen. Jovius Hist. sui temporis l. 28. Istvánfi l. 10. Litt. Franc. Bebek, ex castro Zaard. fer. 6. ante Gall. *Hesterno die famulus noster advenit, qui fuit inter Turcas, quando Alemanniam versus ascenderant, & quando etiam reversi sunt. Ipse veraciter retulit, quod in redeundo abduxerunt 50000. animarum secum, inter illas tamen nullus fuit Alemannus, sed omnes fuerunt Hungari.*

exciverit, concepta execratio. Ipse adeo Clemens VII. ob hanc immanitatem, illum Sa- 1529.
cris interdictum pronunciavit, quod ille, in retinendo, quacumque tandem via posset, regno obfirmatus, ita ægre ferebat, ut decori pene omnis oblitus, datis ad Pontificem litteris, non dubitarit illum iniquitatis villicum compellare. Ceterum Ferdinandus, Solymanno Constantinopolim regresso, diditis per Hungariam litteris, causam malorum, quæ in Hungaria, & Austria per Turcas patrata essent, in Zapolyam conjecit, cujus instinctu Solymannus hanc expeditionem in Christianos susceperit, monuitque, ne animos propterea demitterent, mandata jam ab se data esse, ut loca Danubio adsita quamprimum recuperentur, neve verba dare videretur, Hardeckium confestim Posonio Ovarinum movere jussit, qui arcem paucorum dierum obsidione ad deditionem compulit. Alia parte Catzianerus Trentsinio intercepto, quod inter Vagum, & Granum est, in potestatem redegit. In Croatia Pecrius Simonem Erdödium Zagrabiensem Episcopum, a Zapolya revertentem in fugam egit, præda opima militi ex æquo divisa; Caspar Seredius ad Agriam, Franciscus Bebekius cum Ruperto Herbersteinio ad Cassoviam profligatis Zapolyanis, urbem, & arcem brevi tempore subegerant. In Transsilvania etiam Saxones in partes Ferdinandi transiere. Tenuia hæc se-

licis successus initia, multos, qui jam nutabant, in fide regis retinebant. *a*)

1530. V. In qua ut magis firmarentur, hyberna expeditio suscepta est. Id copiis ad Posonium collectis mandatum; fuere autem tria peditum millia, septingenti Hungari levis, & gravis armaturæ Germani non plures trecentis. Pro paucitate res satis auspicato gestæ; Insula Cituorum hoste perpurgata, ad Strigonium adhæsum, quod & rigor hyemis inclementius sæviret, & Zapolya laborantibus crebro suppetias mitteret. Itaque in stativa regressi sunt, satis operæ a se relatum fuisse rati, quod partem Danubii in potestate haberent, qui futuræ expeditioni multum commodi allaturus esset. Zapolya, postquam Ferdinandi copiæ recesserant, Comitia universis indixit, ad quæ cum pauci præter morem comparuissent, nihilque præter Joannem Bánffy Comitem palatii declaratum in iis fuisset actum, nova utrinque odiorum causa nata

ta

---

a) Litt. Zapolyæ Alba regia 17. Kal. Dec. Ferdinandi Lincio 26. Nov. Seredii Agr. 25. ejusd. Bebekii, & Herbersteinii ex Varkon. eod. Zapolyæ Buda 3. Dec. *intelleximus illud quoque, quod de deditione Brassoviensi, & fidefragio Saxonum scribitis. Hoc apud nos jam pridem notum est, neque adeo mirum, si subditi Principis Austriæ sunt fœdifragi* &c.

ta est. Qui Ferdinandum sequebantur, *Germani*, qui Zapolyam, *Turcæ* per contumeliam dicti sunt. Inde ad mutuas cædes, & rapinas ventum. His cavendis Zapolya varias artes excogitabat, sperans, reliquos a Ferdinando facile abstractum iri, verum irrito conatu; mox largitionibus agebat, cum Episcopatus, aliaque beneficia Ecclesiastica profanis contulit; neque his quidquam promotum, quin, postquam Ludovicum Grittum ærario publico præfecisset, indignati, tantum homini semibarbaro tribui, multi aperte ad Ferdinandum inclinabant. Id cum vereretur, rumorem, quin litteras etiam in vulgus didit, Ferdinandum Hungariam Turcis tributariam fecisse, indignum proinde, qui Hungaris, Nationi liberæ, imperitaret. Frustra & hæc machina fuit. Ferdinandus, simul ut rumorem hunc comperit, scripto per provincias vulgato, facile vel ex recenti, quæ Zapolyam auctorem habuit, Turcarum irruptione ostendit, quam vanum id commentum, & ad concitandam in se invidiam excogitatum esset, cui nunquam vel in mentem venerit, ut tam Nobile, ac vetustum regnum exterorum jugo subjiceret, Deum ipsum testem accersens, nec commissurum se unquam, ut eos, qui se suæ fidei commisissent, per ignaviam deserat, modo ipsi etiam conatus suos in commune bonum conferrent. 1530.

1530. Hanc ei ſpem Comitia Auguſtana ad XXI. Maji deſignata ingerebant. Cum enim ſæpe alias in Comitiis de communi in Turcas expeditione, ſuſcepta conſilia fuerint, non dubitabat, quin hæc, recenti Germaniæ periculo admoniti, ipſo opere tandem exequerentur. Aderat Comitiis etiam Carolus Cæſar, quo autore ante omnia agi cœptum eſt, de expeditione in Turcas ſuſcipienda, ob religionis tamen diſsidium, habito inter delectos utrinque colloquio, cum neutra pars de ſententia ſua vellet recedere, nihil profici potuit. Quæ diſſenſio Ferdinandum permovit, ut Joſephum *Lambergium*, & Nicolaum *Juriſsichium* pacis ineundæ cauſa ad Solymannum mitteret; verum & hujus ſpes exigua erat, quod Zapolya in Comitiis Auguſtanis aliquid in ſe cudi ſuſpicatus, ut Ferdinandi conatum elideret, Joannem *Fekete* Conſtantinopolim, & Michaelem *Somlay* ad Mehmetum Semendriæ Præfectum miſerat, ut cum creditis ſibi copiis in Hungariam ei ſuppetias veniret. Nec is diu moratus, Auguſto nondum inclinante adfuit, & ditiones, non ſolum quæ Ferdinando, ſed ipſi etiam Zapolyæ parebant, fœde populatus, triplo majorem hominum copiam, quam ſub ſignis haberet, captivam Belgradum in ſervitutem abduxit. Zapolya, qui Mehmeto prius autor erat, ut, intacta Hungaria, in eas Auſtriæ, & Moraviæ partes, quæ regno confines ſunt, irrumperet,

de-

dedissetque ei peritos itineris duces; & Petrovicsium praeterea socium adjunxisset, nunc non exiguam regni partem ab homine, qui auxilio esse debebat, misere vastatam, & incolis nudatam esse, a) videns, litteras ad Grittum Constantinopolim dedit, ageret apud Solymannum, & Ibrahimum Vezirium, ut id Mehmeto impune ne abiret, neve deinceps id fieri sineret. Mox tamen alias minarum plenas ad Comitatus scripserat, severe mandans, ut, qui Ferdinandum sectarentur, ad Kal. Nov. vel per se se, vel idoneos nuncios adessent, sibique obedientiam profiterentur, alioquin, si renuerint, Mehmetum rursus venturum, & multo acerbiores, quam nuper, ex eis 1530.

a) Haec ipse Zapolya ad Grittum Buda fer. 5. prox. post B. Francisci perscripserat. *Ostenderamus enim eam partem Moraviae, & Austriae, regno nostro conterminam, quae anno superiore integra remanserat, ubi impune, quantum voluisset, ei depraedari licebat: dederamus ei peritos duces itineris, adjunxeramus etiam Petrum Petrovics, qui nobis sanguine junctus est, quibuscum hinc discedens, non quidem Moraviam, neque Austriam, sed totam illam partem regni nostri, quae — nondum vastata manebat, combussit, & depraedatus est, & cum tanta captivorum multitudine reversus est, ut vel in triplo eorum numerus, quam ipsorum Turcarum, major fuerit &c.*

adduxerat, potior tamen militiæ pars cum
1530. Nádasdio ad Szigethum abfuit, qui, ut, Budam periclitari intellexit, accelerato itinere cum DC. equitibus in arcem, deluſis Cæſareis receptus eſt. Sed cum hi quoque ad repellendam vim ſuffecturi vix viderentur, miſsi ad Mehmet Begum celeres nuncii, ut obſeſsis ſubſidio veniret, qui haud diu moratus, centum navigia ſubitario milite completa adverſo Danubio, terreſtri autem itinere, ſupra duo millia equitum præmittens, paulum poſt ipſe conſequutus eſt. Rogendorfius interim dejecta murorum parte aſſultum tentavit, quo ab obſeſsis fortiter rejecto, Cæſarei adeo animis concidere, ut, dum poſtridie, Mehmeto jam apropinquante, arcem tripartito vellet aggredi, imperata facere detrectarent. Non ceſsit tamen, ſed punitis ſeditioſorum capitibus, Hiſpanos, & Belgas cum mille Germanis peditibus, qui Turcas a Danubio arcerent, Peſtinum traducens, & communito montium aditu, rurſus aſſultum, ſed fruſtra tentavit, poſtremum, cum & cuniculi a transfuga Bavaro proditi eſſent, & miles annonæ inopia ſe diutius in caſtris retineri non pateretur, ne ſibi res cum gemino hoſte eſſet, copias collectis vaſis Viſſegradum reduxit. Hic eum Laskyus, accepta prius publica fide, conveniens, nomine Zapolyæ de induciis mentionem injecit. Cum conditiones ſatis æquas, & honeſtas proponeret, facile utrinque in

has

has leges conventum: trimeſtri ſpatio utrique ab armis ceſſent; mercatoribus, & nunciis publicis tutus ſit ultro citroque commeatus; liberumque cuivis parti in violatores induciarum, pœna animadvertere; quæ hactenus utrinque occupata ſunt, tuto poſsideantur, ex his ſuos quisque proventus faciat, neutris denique fas ſit, alios in ſuas partes pellicere, aut, dedere ſe volentes, recipere. In hæc capita induciæ conciliatæ ſunt, ſed anni ſequentis initio primum vulgatæ. Rogendorfium ad has ineundas ea inprimis cauſa permovit, quod ſciret, in Comitiis Auguſtanis de Ferdinando rege Romanorum renunciando conſultari, quæ res præ armorum ſtrepitu quietem poſcere videbatur. a) 1530.

VI. Zapolya, paulo poſt confectas inducias, improvido facto ſe invidiæ, ac prope deſpicatui ſuorum, eorum inprimis objecit, quorum virtus in defendenda Buda inclaruerat. Propoſitum habebat, Laskyo, & Verböczio præcipue auctoribus, Grittum re- 1531.

[illegible] gni

[illegible]

a) Litt. Gritti ad Ferdinandum Buda 26. Octob. Rogendorfii ad Nitrienſes ex caſtris ad Budam fer. 4. ante Martini Epiſcopi. Ejusdem ad Capitulum Budenſe fer. 6. poſt Conceptionis B. M. Tabb. induciar. in regali curia Viſſegrad. 21. Jan. 1531. Raynald. annal. T. XIII. Velius l. 19. Zermegh. l. 2.

gni Gubernatorem renunciare, nolebat tamen 1531. id ſua unius auctoritate, ſed ſenatus conſulto fieri. Reſtitit ante alios Nádasdius, indignum ratus, ut vir, quinquagenario non major, vicarium, & hunc exterum, ſibi ſubroget, id enim tantundem videri, ac ſi imparem ſe ad regendum palam profiteatur. Hinc inter hunc, & Grittum odiorum cauſa orta, quae ſubinde occaſionem præbuit, ut Nádasdius ad Ferdinandi partes tranſiret. Vicere tamen alii, qui ſpem omnem in Turcis collocabant, & Grittus non modo regni Gubernator, & Quæſtor, ſed mox etiam perpetuus Marmaroſienſis Comes declaratus eſt. Ea re multi offenſi ſenſim ad Ferdinandum reſpicere cœperunt, quare id conſilii Zapolyæ ſuggeſtum, ut Grittus ſpecioſa Legatione ornatus ad Solymannum mitteretur, hujusque locum Nádasdius teneret. Hoc illicio Grittus, etſi verſuto eſſet ingenio, in fraudem inductus, illum, quamdiu ipſe abeſſet, ſibi vicarium ſubſtituit. Verum Nádasdius honorem hunc cum homine averſatus, ut primum is iter Conſtantinopolim ingreſſus erat, miſsionem a Zapolya petiit, oravitque, ut ſibi a juramenti religione, qua ei obſtrictus erat, ſoluto privatam vitam agere liceret. Ægre quidem, liberum tamen a juramento, ea conditione dimiſit, ne ad Ferdinandum tranſiret, nec ſub eo ſtipendia mereretur. Miſsionem hanc plerique in Zapolya carpebant, quod, gratia exter-

externi hominis, ſe viro privarit, cujus opera ei hactenus in rebus arduis utilis erat, & 1531.
deinceps uſui eſſe poterat. a)

Ferdinandus, poſtquam V. Januarii Coloniæ rex Romanorum electus, & XI. ejusdem Aquisgrani coronatus fuiſſet, a fratre divulſus, Viennam properavit, ut induciarum tempore neceſſarios apparatus præverteret, ſi quid Turcæ, vel Zapolya his finitis inimicum molirentur, ſignis per inferiorem Auſtriam conſtitutis, quæ adveniente hoſte vicinis darentur, & munitis locis, ad quas ſalutis cauſa confugerent. Zapolya per id tempus apud Transſilvanos agebat, ut ſibi Moldaviæ, & Valachiæ Vayvodas conciliaret; inde Laskyum Viennam miſit, qui inducias prorogari peteret, idem Ferdinandus per Legatos ſuos apud Solymannum agebat, quo non invito, iisdem, quibus trimeſtres, conditionibus in annum prorogatæ, & XXVII. Aprilis per regnum vulgatæ ſunt, conventu, quem aliqui, Ferdinando, & Zapolya inſciis, Veſzprimium pro XVIII. Maji indixerant, gravisſime inter-

a) Litt. Zapolyæ Bud. ſ. d. Gritti ad Franc. Kápolnai ibid. fer. 2. poſt Circumciſ. Ejusd. ad Nádasdium ibid. 12. Jan. Zapolyæ ad eund. ibid. fer. 4. poſt Epiphan. Zermegh. l. 2. §. 4. Hæc apud Iſtvánfi non rite ad an. 1533. ſiguntur.

interdicto. *a*) Multi ex Epiſcopis, & Magna-
1531. tibus, invitata etiam Nobilitate, ad eum diem ſe conventuros polliciti ſunt, ut poſitis diſsidiis, conſilia ad conciliandum utrumque regem inter ſe conferrent. Vulgato interdicto pene omnes paruerunt, pauci, ſeceſsione facta, id clam agebant, ut Ferdinando, & Zapolya deſertis, delectoque e numero ſuorum, qui reliquis praeeſſet, in clientelam Solymanni, promiſſo annuo tributo ſe dederent, quae deſtinatio, cum deſipientium potius, quam Patriae emolumento conſulentium eſſet, tunc quidem compreſſa, poſtea tamen iterum reſumpta fuit.

Nec induciarum fides ſatis ſervata, non tam paciſcentium, quam eorum vitio, quorum cauſa conciliatae erant. Incurſiones utrinque, quaſi bellum eſſet, frequentatae, quandoque

---

a) Litt. Archiep. Colocenſis ad Brodericum Buda 18. April. *Inſtat periculoſa Dieta, Veſprimii indicta, inſciis, &, ut ita dicam, invitis ambobus regibus. In illa facient Capitaneum contra ambos reges, quae erit cauſa, ut Turci inter tot diſsidia occupent regnum, & jam miſerunt ad Baſſam, offerendo tributum &c.* Procerum encyclicae ex Belovar Dominic. Laetare. Rogendorfii Poſon. 3. Febr. Ferdinandi Edictum 24. Jan. Ejusd. Praga 20. & 27. Apr. Andr. Báthor ex Chycsva 21. Mart.

doque etiam in Poloniam procursum. Malo huic Sigismundus, qui haud ita pridem filiam Ferdinandi Elisabetham, Sigismundo filio suo desponderat, modum positurus, Legatos suos Vissegradum, consentiente utraque parte, miserat, quorum arbitrio in hunc modum utrisque convenit. Ferdinandus Strigonium in Hungaria, & Zapolya Sebesum (Müllenbach) cum aliquot arcibus in Transsilvania, fidei regis Poloniæ eousque permitterent, donec pax in solidum coalescat. Valuit regis sollicitudo ad eam quoque Hungariæ partem, quæ trans Danubium ad meridiem porrigitur. In hac præcipui Nobiles, ad firmandas inducias in oppido *Kenyese*, quod lacui Balatoni adsitum est, conventum finitimis accolis indixerant, Ferdinando non invito, qui ut suos colendæ paci sensim consuefaceret, Leonardum *Nogarolam* Veronensem, & Josephum *Lambergum*, ad Solymannum cum amplissimis donis misit, qui annuas inducias porro peterent prorogari. *a*) 1531.

a) Litt. Franc. Bebek ex Thorna fer. 6. post Marci. Andr. Báthor ex Chycsva fer. 5. in oct. Ascens. item fer. 3. post Trinitatis. Ferdinandi ex Insprug 3. Dec. Zapolyæ Bud. 26. ejusd. Cod. Pol. Diplomat. T. I. sect. 3. n. 26. Istvánfi l. 11. Surius in Comment. ad h. a.

1532. VII. Constantinopolim delati, admissique ad Sultanum, ambigua primum responsa acceperant, mox ex vario, terra, marique apparatu cum viderent bellum parari, re infecta rediere. Erat tum Ferdinandus Ratisbonæ in Comitiis, cum illi advenerant, ex quibus cum intellexisset, belli vim non Hungariæ solum, sed & Germaniæ incubituram, egit cum Cæsare apud Imperii Ordines, ut promissa toties auxilia contra Turcas opere ipso tandem præstarent. Parum in principio profectum, donec composito utcunque religionis negotio, & ad futurum Concilium dilato, ea se daturos opportune addixissent. Jam enim Grittus, quem anno superiore Constantinopolim missum fuisse memoravi, cum magna Turcarum manu, in Valachiam mense Aprili venerat, Moldavos cum Valachis sub signa collecturus. Inde in Transsilvaniam profectus, Cibiniensibus sex mensium inducias, acceptis obsidibus, indulsit, si intra hos Ferdinandus cum Solymanno non conflixerit, aut habito conflictu superatus fuerit. Grittum Solymannus cum CCC. millibus non longe post sequutus, Belgradum attigit. Hungariam ingresso Zapolya volens occurrere, Episcopos cum Baronibus, & præcipuis Nobilibus monuit, ut, quam possent, decenti apparatu se comitentur, notam perpetuæ infidelitatis comminatus, qui morem non gererent. Pauci fuere, qui, Turcas, eorumque auxilia execrati

crati, obtemperarint. a) Præverterat illum tamen Petrus Perenius, qui Solymannum Mohácsii adiens, ut se, a Ferdinandi, & Zapolyæ obedientia exemtum, in peculiarem beneficiarium reciperet, orabat, ut sensim viam sibi, utroque rege oppresso, ad tyrannidem pararet. Grittus, detecto mature dolo, autor Ibrahimo fuit, ut hominem ambiguæ fidei, comprehendi juberet: captus est, & Zapolyæ, qui sub idem tempus advenerat, custodiæ traditus. Inde cum Solymanno Budam progressus, hic versus Austriam, ille cum Gritto, & copiarum parte Vissegradum profecti. Id cum a nostris desertum esset, Grittus expugnando Strigonio animum adjecit. Zapolya Vissegradi moratus, rursum Comitia indixit, spem minime dubiam præcipiens, plurimos, metu Solymanni, a Ferdinando abstractum iri. Hic extremus, quem ad eos alliciendos tentaverat, aries fuit, nullo tamen successu adhibitus. b) 1532.

C 2 Soly-

a) Pauci admodum hoc servitutis obsequium præstitere. Episcopus Zagrabiensis, qui ante alios Zapolyæ addictus erat, hanc animi demissionem aversatus, ita ad Nádasdium: *Certum est, nos cum Cæsare Turcorum constitui nullo modo volumus, nisi, quod Deus avertat, ligatos nos duxerint.*

b) Litt. Gritti Tergovistia 16. Apr. & Alba Jul. 1. Maji. Archiep. Coloc. Lippa 14. Jun. & 13. Jul.

[redacted] succisas videns, jussit Grittum Strigonii ob-
1532. sidionem solvere, & Solymannum, qui Belgradum prope jam attigerat, consequi, rogatum, ut præter navales Turcarum copias, quæ adhuc Budæ hærebant, partem militiæ terrestris in Hungaria relinqueret, quæ sibi, si Ferdinandus aliquid tentaret, auxilio esse possint. Navales, quod earum usus hyemis tempore vix ullus esset, Belgradum revocatæ, & in harum loco, prope LX. millia ad Essekinum hybernare jussa sunt, & Zapolyæ, si quid ei periculi a Germanis immineret, subvenire. Carolus, qui post Solymanni discessum, futuri Concilii causa cum Pontifice prius colloqui, dein in Hispaniam redire constituerat, relicta in subsidium non temnenda Hispanorum, & Belgarum manu, auctor fratri fuit, ut Legatos pacis tentandæ causa ad Solymannum mitteret, cujus obtinendæ spes non vana erat, quod Doria archithalassus Ægeum mare infestum haberet. Missus est inter alios Hieronymus *Zara*, qui impetrato commeatu, eodem fere tempore, quo Solymannus terra, Constantinopolim mari pervenit. *a*)

VIII.

---

a) Litt. Lud. Pecry ex Körmend 14. Aug. Jurischichii ad Ferdinandum Ginsio 20. Jul. & 22. Aug. Valentini Bölthes ex. castr. ad Strigon. 28. ejusd. Broderici Bud. 25. Aug. & Quinqueecl.

16.

VIII. Andreas Doria, ut primum mare navigationi opportunum erat, classe Peloponneso applicata, *Coronen*, & *Patras*, Turcae *Baluhadram* vocant, intercepit, his paulo post utramque arcem, quibus ostium Corinthi clauditur, adjecit. Id Legatis Ferdinandi pronam ad conciliandum Solymannum viam praebuit. Admissis spes induciarum facta, dataque confestim ad limitum Praefectos mandata, ut ab hostilitate terra, marique abstineant, Gritto, qui interim Buda advenerat, frustra obnixo. Hoc facilius Zapolya quoque animum ad has adjecit, Laskyo Viennam propterea proficisci jusso. Ferdinandus annuas concessit, sed, ne ad Carolum in Hispaniam proficisceretur, vetuit, alioquin, cum de pace apud Solymannum agatur, quam speret prius confectum iri, quam annus ad finem vergat, iter sumtuosum, & inutile videri. Induciarum haec praecipua conditio fuit, ut uterque communi studio in eos dynastas agat, qui neutrius partes sequuti, regnum infestare pergerent, inter quos Ladislaus More, vir 1533

C 4

14. Oct. *Turcarum multa millia, ad 60. dicunt hybernatura prope Eszek, ut, si opus sit, possint esse auxilio regiae M.* Leunclav. hist. Musulm. l. 18. Soiterus T. II. Script. rer. Hung. p. 257. Zermegh l. 2. Istvanfi l. 11. Jovi as hist. sui temp. l. 30.

1533. inquieto ingenio, præcipuus fuit, qui per Vesprimiensem, vicinasque provincias, & in ipsa Sclavonia prædas agebat, arcemque *Palotam*, latrociniorum sedem constituerat. Ad hunc igitur in ordinem cogendum Ferdinandus CCCC. operas ex montanis ad agendos cuniculos, & Zapolya militem, præbuit. Arx ab Laskyo obsessa prope deditionem fuit, cum *More* locum servari posse desperans, relicto, quem ex rapinis collegerat, thesauro, fuga se subduxit. Recepta arce, Turcis, qui maxima militiæ pars erant, præda omnis cessit, nostri, plebe servituti erepta, nobilioribus, quam illi, manubiis potiti sunt. Hoc exemplo ceteri metu adacti ad officium rediere, & induciæ bona fide aliquamdiu servatæ, tametsi has Grittus, qui, si ex induciis pax coalesceret, non eadem, quæ ante, lucri compendia se facturum providerat, interturbare conaretur. Sæpe enim Constantinopoli scribens nunciabat, pacem non aliter coalituram, quam ut Ferdinandus tota Hungaria decedat, *a*) qui rumor cum per regnum spargeretur, Ferdinandus, vulgato edicto, inanem, & ab adversariis confictum esse, interposi-

a) Litt. Agr. Episc. Vien. 12. Oct. ad Nádasd. *Id certum habeto, Grittum nec velle, nec, si vellet, posse quidquam, quod regi nostro incommodet, transigere. Hæc ad te unum scribo.*

posita fide regia, professus est, *a*) de initio sequentis anni Zapolyæ significaverat, pacem [redacted] 1533. inter se, & Solymannum re ipsa coaluisse. Verum is, auctore Georgio Martinusio, sordibus avaritiæ, supra quam dici possit, inquinato, qui jam id temporis ei a consiliis, & Gritto amicitia conjunctus erat, hæc insuper habens, multos spe beneficiorum a Ferdinando abstraxit, eorum vero, qui renuerent, arces, & bona vi occupans, etiam Turcas Belgrado accersiit, qui, ut reliquos terrerent, stationem Pestini fixerunt.

Ferdinandus, qui Pragæ tunc rei publicæ causa agebat, ut primum inducias a Zapolya violari comperit, Alexio Thursoni, & Thomæ de Zalaháza, Episcopo Agriensi, adjuncto iis collega Leonardo Nogarola, potestatem fecit, non solum cum iis, qui a se defecissent, sed iis etiam, qui hactenus Zapolyæ, aut

a) Broderici ad eund. 19. Iul. *Addit Dominus Gritti, eam esse voluntatem Cæs. M. ut nulla regni particula penes Ferdinandum maneat.* Edictum Ferdinandi Vien. fer. 3. post Barthol. *Intelleximus, adversarios nostros magna contentione palam dicere, neque vereri etiam juramento asseverare, quod iis legibus inter nos, & Turcarum Imp. facta sit pax, ut regnum nostrum Hung universum, Joannis de Zapolya potestati subjiciatur,* &c.

neutrius partes ſequuti fuiſſent, honeſtis con-
1534. ditionibus transſigendi, ſi juramentum fideli-
tatis conceptis verbis præſtarent. Multos, qui Turcarum ſocietatem abominabantur, oblata erratorum venia ad fidem adduxit, inter quos & Nádasdius erat, non alia tamen conditione, quam ne contra Zapolyam, niſi is Turcas in exercitu haberet, arma ſumere cogeretur. Hujus exemplo cum plures a Zapolya ad Ferdinandum tranſirent, aliorum quoque defectionem veritus, Grittum, qui cum copiis Turcicis in Valachiam venerat, ut iter maturaret, crebris nunciis admonuit. Jam is ante, nuncii quam adeſſent, in Transſilvania erat, & occupato per vim *Megyeſuo*, Saxonum urbe, *Cibacum*, & *Doczyum*, ad ſe vocatos, contra datam fidem obtruncari juſsit. Commoverat immane facinus Transſilvanos, qui ſubito coorti hominem in eadem urbe obſident, & volentem elabi, per Valachos retractum, cum duobus filiis neci dedunt, Turcis, quos ſecum ducebat, penitus deletis. Perculit Zapolyam cædes hominis, quem noſſet, apud Solymannum magno gratiæ loco fuiſſe, non mediocriter, cujus patratæ auctor, cum Laskyus paſsim haberetur, reducem e Transſilvania in cuſtodiam conjici juſsit. Verum præcipiti hoc conſilio multos, captivo amicitia junctos, rurſum à ſe avertit. Itaque, quod cæſo Gritto parum ſpei in Turcis Belgrado accitis, qui magis Chri-
ſtianos

ſtianos in captivitatem rapiendi, quam ejus juvandi, ſtudio ducebantur, reponi poſſe in- 1534.
telligeret, nec quidquam opis a Solymanno apud Perſas occupato ſperaret, coactum ſe vidit, ut Ferdinandum pro induciis, quas primum repudiarat, & dein initas violaverat, per Legatos conveniret. a)

IX. Obſtabat tamen illud, quod Ferdinandus in anni principio Petrum Moldaviæ Vayvodam 1535.
in clientelam receperit, adeoque animum ad inducias difficulter adjecturus videretur. Dubitanti ſuggeſtum eſt, ut periculum faceret; conſenſit, ſed, quos mitteret, hærebat: Laskyus legationibus jam alias feliciter perfunctus, maxime idoneus huic negotio videbatur, ſed is, licet jam e cuſtodia liber, & duobus præterea maximi cenſus oppidis, *Kesmarki-*

a) Litt. Ferdinandi Prag. 9. Mart. Valentini Farkas Quinqueeccl. 9. Apr. *Nos fame perimus, quia bonus eremita (*Martinuſius*) non permittit fruges transire Danubium. Quæſtor maximus vini, ſalis, tritici, boum, ovium, & velleris, & coriorum. Eo theſaurizante conſumetur infelix hæc patria.* Verböczii Bud. 22. Jul. Conditiones cum Nádasdio per Commiſſarios initæ in Vásárhely 6. Aug. Litt. Nic. Juriſsich Vien. 19. Sept. Ejusd. ibid. 30. Octobr. Epiſcop. Zagrabien. ex Ivanich 30. Sept. Zapolyæ Lippa. 15. Nov.

markino, & Debrecino donatus, provinciam
1535. hanc a ſe amolitus in Poloniam ſeceſsit. Locum illius ſupplere juſsi Franciſcus de *Frangepan*, — Archiepiſcopus Colocenſis, Stephanus *Brodericus* Epiſcopus Syrmienſis, & *Verböczius* Cancellarius, additis collegis Benedicto *Bajonyi*, & Sigismundo *Rhomanno*. Ferdinandus, ut induciæ ad Croatiam quoque pertinerent, Epiſcopum Zagrabienſem, Petrum Erdődium, & Thomam Nádasdium adeſſe voluit: illi ſine mora adfuere, Nádasdius, qui anno ſuperiore Urſulam de *Kanysa*, unicam ampliſsimorum bonorum hæredem, bona Zapolyæ venia, duxerat, ne in utramvis partem offenderet, domi reſtitit. Itaque ſine illo de induciis actum, & ante omnia conſtitutum, ut, ſi coaleſcere non poſſent, & Legati, re infecta, abire cogerentur, poſt eorum diſceſſum, neutra pars XXV. diebus quidquam hoſtiliter tentare auſit, & Stephanus *Majláth* obſidionem Cibinii in Tranſſilvania ſolveret. His utrinque ratihabitis, induciæ iisdem legibus, in quas anno 1530. conventum erat, ſcriptæ, & Viennæ XII. Maji, in Hungaria vero V. Junii vulgatæ ſunt. Sed, dum ſub ipſa induciarum tractatione adverſarii, inſcio, ut ferebatur, Zapolya, Caſſoviam per inſidias occupaſſent, negotium pene adhæſerat, niſi opera Lundenſis Archiepiſcopi, quem Carolus propterea Viennam miſerat, res compoſita, & induciæ ad ultimam Februa-

rii

xii ſequentis anni, utriusque partis conſenſu, nec invito, qui interim advenerat, Turcarum 1536. Legato, firmatæ fuiſſent; quibus ut ſtabilitatem Ferdinandus adderet, Comitia ſuis Tyrnaviam ad XXX. Novembris, poſtea rogatu Procerum, ob gravitatem negotiorum, de quibus tractandum erat, ad XIX. ejusdem menſis indixit, licet ob novas inter Cæſarem, & Franciſcum Galliæ regem inimicitias, ea in ſequentem annum differri oportuerit. *a)* Nec hoc quidem confeſtim pro regni commodo Ordines conciri poterant. Martinuſius enim, quem Zapolya Cibaco peremto in Varadinenſi Epiſcopatu ſubrogaverat, collectis ad Tocaium copiis ditiones Ferdinandi infeſtabat, & Velſius viciſsim, Caſſovia recuperata, arces Perenii occupavit. Videbatur res ſub ipſis induciis jam bellum ſpectare, cum mors Ibrahimi Vezirii intervenit, quem Solymannus ex Perſica expeditione redux, quod arcana conſilia prodere Chriſtianis ſoleret, dormientem ſtrangulari juſsit. Proditio prætexebatur, & theſaurus, quem ingentem corraſerat, mortis

---

a) Litt. Ferdinandi Vien. 17. Jan. Epiſc. Cracovien. ibid. 26. April. & 31. Aug. Ferdinandi indid. 12. Maji. Chriſtoph. de Boczkovich, & Czernahor. Caſſov. 5. Jun. Zapolyæ ad Nádasd. 26. ejusd. Tab. induciarum apud Pray P. V. p. 278.

tis cauſa fuit. Eo vivo rex Galliarum, qui
1536. Cæſari, & Ferdinando undique inimicos parare ſolebat, quod pronior in Germanos, quam Gallos, eſſet, nihil apud Solymannum profecit, hoc autem ſublato, opera *Foreſti*, qui jam aliquot annis Conſtantinopoli clam agebat, facile cum eo in fœdus coaluit, quo alter alteri, ſi res poſceret, diſtractis alio hoſtium viribus, opem viciſsim ſe laturos receperant.

Ibrahimo, & Gritto, velut totidem fulcris, quibus ſe Zapolya hactenus ſuſtentabat, e medio ſublatis, cum ſe minus jam moleſtum Ferdinando præberet, Ordines ad Comitia toties dilata conciti ſunt. Convenere Poſonii XIX. Novembris, & tot annorum malis, quibus exagitati fuere, edocti, in id curam præcipue conferebant, ut tranquillitate regni reſtituta, diſſenſiones, harumque cauſæ, penitus tollerentur, &, ſi fieri poſsit, inter æmulos regni amicitia tandem ſtabiliatur. Quare cum rumor eſſet diditus, Hungariam inter utrumque diviſum iri, rogatus eſt rex, ne, ſi de pace ageretur, id ſe inconſultis fieret. Cum autem poſſeſsiones bonorum diſsidii tempore, ſeu donatione, ſeu alio titulo aditæ, præcipuum hactenus obicem concordiæ poſuerint, placuit, ut hæc illis, qui jam ante reſipuerant, cujuscunque Ordinis eſſent, confeſtim a finitis Comitiis, iis vero, qui deinceps cum rege in gratiam redirent, evoluto

men-

mensis unius; & trium spacio, si cautionem de servanda fidelitate præstent, restituantur. Denique in universum, quæ ab interitu Ludovici regis, per vim, aut interverso jure, occupata fuissent, præsertim Ecclesiastica, ad XXIV. Februarii sequentis anni, legitimis Dominis reddantur. Societates privatæ, & conventicula, etiamsi ex honestis causis initæ fuerint, ne posthac coalescant, graviter, & adjecta infidelitatis nota, vetitæ, quod usu compertum esset, publicam quietem his plurimum solere interturbari; quam si ab hoste externo intercipi contingeret, Nobiles viritim, educta etiam, si opus esset, quinta colonorum parte, in bellum se ituros polliciti sunt, decretis florenis duobus, quorum alter Januario, alter Julio, mensibus pendendus sit. Idem sequente anno in Comitiis XXIV. Januarii opportune firmatum est. Solymannus enim maximos apparatus facere nunciabatur, paulumque post ex pacto, cum rege Galliæ inito, classem mari mediterraneo, duce *Luftibejo* immisit, quæ Italiæ litora, in primis Neapolitanum infestum redderet, parte alia Mehmetum Belgradensem, elapsis induciis, ut Sclavoniam incursaret, jussit. Huic Ferdinandus justum ex Hungaris, Germanis, Bohemis & Italis exercitum, ex VIII. equitum, & peditum XVI. millibus conflatum, duce Caczianero, opposuit. Ut prope Eszekum est ventum, ob annonæ, quam dux nimium lon-

1536.

1537.

longo poſt ſe intervallo reliquerat, defectum, 1537. regredi ad *Garam* oppidum, & *Valponem* coacti ſunt, mox etiam in inſidias præcipitati, amiſsis impedimentis, fere omnes trucidati. Dux ipſe inter primos ſe fugæ dedit, qui, cum non modo rei male geſtæ, ſed perfidiæ etiam accuſaretur, judicio experiri non auſus, ad Turcas transfugere, idemque Nicolao Zrinio perſuadere volebat, qui proditorem averſatus, capi, & ſupplicio affici juſsit. Rex ad cladem reparandam, cæſo Juriſsichium ſubrogavit, addito Franciſco Batthyánio, caſtri ferrei comite, qui indicto ad diem V. Novembris in oppido *Dombo* conventu, de rationibus, quibus hoſtium conatibus obviari poſsit, cum regni illius Ordinibus conſulerent; &, quod conſtituerint, ad ſe Græcium referrent, quo jam Carinthos, Carniolos, & Goricienſes accerſiiſſet, ut communi omnibus periculo, communibus etiam viribus occurratur. *a*)

X.

---

a) Litt. Caſp. Seredy ex Tokai 1536. d. 12. Apr. Leunclav. l. 18. hiſt. Muſulm. Cod. jur. patr. Decret. ann. 1536. & 37. Zermegh l. 2. Iſtvánſi l. 13. Surius comment. ad an. 1537. Jovius l. 36. Inſtructio pro Nic. Juriſsich. Vien. 28. Oct. Sanctiones hujus conventus primum ſeq. an. Criſii vulgatæ ſunt. Litt. Joan. Szalay ex Syul fer. 2. poſt 3. Reg.

X. Excursiones Turcarum in litus Italicum anni superioris Pontificem mire solicitum reddidere, eratque in eo totus, ut Cæsare, & Galliæ rege conciliatis, commune in Turcas bellum conflaretur, ac Galliæ quidem rex, etsi Nicæam Pedemontii, ad congressum se venturum pollicitus sit, nullam tamen in fœdere, ob pacta cum Solymanno inita, partem habere voluit. Itaque fœdus inter Pontificem dumtaxat, Cæsarem, Ferdinandum, & Venetos coaluit, & VIII. Febr. in Vaticano vulgatum est. Cæsar præterea, ut consociatio felicem exitum haberet, etiam Persas per internuncios in Turcas concitabat, & fratri auctor erat, ut, si pax cum Zapolya in solidum conciliari non posset, inducias saltem prorogari pateretur, quæ cura rursum Joanni Lundensi Archiepiscopo mandata est. Arbitri utrinque delecti, primum in *Rozgony* oppido, mox *Sárospatakini*, ac *Varadini* denique congressi sunt, pax tamen confieri tum quidem non potuit, induciæ solum annuæ a XXIV. Febr. in easdem, ut ante, leges firmatæ, id solum additum, si qui induciis consentire nollent, eos utraque pars, præbitis mille equitibus, & peditibus totidem, in ordinem cogat, violatores autem, capite, & bonis, citra spem veniæ, mulctentur: ad lites reliquas, quæ alio titulo orientur, componendas, quatuor utrinque judices delecti, qui sententiam ex æquo ferrent. 1538.

Hæc tametsi ne ad Turcas efferrentur, con-
1538. stitutum sit, tamen, incertum, quo autore, indicium ad illos pervasit, quamquam plerique in Martinusium, qui famulum in Turciam ad coemendos equos miserat, suspicionem conjicerent. Utcunque id fuerit, Mehmetus, postquam inducias inter æmulos coaluisse intellexit, Zapolyæ, velut Turcarum fiduciarii, perfidiam superbe incusans, castra inter Zemlinum, & Szabacsum metatus est, bellum in illius ditiones traducturus. Id animum Zapolyæ, quem fastus barbarici jam tædere cœperat, ad pacem cum Ferdinando conciliandam, modo honestæ conditiones darentur, tandem inflexit. Misit propterea ad Cæsarem, in cujus æquitate plurimum fidebat, item ad Galliæ regem, & Montmorancium, Galliæ, ut vulgo dicitur, *Conestabilem*, nuncios, qui, collato cum iis consilio, de pace, hujusque conditionibus conferrent. Cæsari, cui aliud ex alio negotium in Imperio subnatum est, nihil magis opportunum accidere poterat, quam ut fratrem cum regni æmulo, sublatis tot annorum dissidiis, conciliaret. Datum est negotium eidem, qui annuas nuper inducias inter utrumque confecerat, Lundensi Archiepiscopo. a)

Is

a) Tab. induciar. Pragæ 3. April. signatæ. Litt. Mathi. Baronay ad Thom. Nádasdium ex Ta-
ta

Is nomine Cæſaris, initio ſequentis anni Varadinum veniens, Legatos Zapolyæ, Archiepiſcopum Colocenſem de Frangepan, & Verbőczium, cum collegis jam iſthic repererat, cum quibus poſt aliquot dierum conſultationes, pax his potiſsimum capitibus ſancita fuit. Cæſar Zapolyam fratris loco habebit, dabitque operam, ut junctis cum eo, & Ferdinando viribus Hungariam cum adnexis provinciis defendat, inprimis vero, ut Belgradum recuperetur, curam geret: Zapolya viciſsim fœderibus, ſi quæ contra Cæſarem, & Ferdinandum pepigiſſet, renunciabit, quorum deinceps locum confœderati Carolo Principes tenebunt: ut animorum conjunctio, optimum pacis vinculum, firmior ſit, Cæſar jam nunc fidem præſtat, ut, ſi Zapolyæ filius naſcetur, huic una ex filiabus Ferdinandi in manus conveniat, uxorem autem, quamcunque, ſi aliam volet, ducturus eſt, in filiam, & proles naſcituras in tutelam recipiet. Hæc prima quaſi lineamenta fœderis erant: poſtea de regno, diſsidii præcipuo fomite, actum, mutuoque conſenſu ſtatutum; ut uterque titu- 1539.

D 2 lum

ta fer. 6. ante Pentec. Lettres, & Memoires d' Eſtat, par Mr. Guillaum Ribier, Conſeiller d' Eſtat. à Paris 167. 6. Tom. II. Tom. I. p. 241. — 53. cujus ſæpius poſtea occurret mentio. Raynald T. XIII. ad h. a.

lum regis Hungariæ ex æquo gerant, eumque sibi vicissim tribuant: quisque eam regni partem, quam obtinet, deinceps etiam regia potestate retineat, ne autem limitum causa lis oriatur, ii octovirum, quos quisque deliget, judicio dirimentur: Sclavonia cum Croatia, & Dalmatia Ferdinando, Transsilvania vero Zapolyæ, quoad vivet, cedant, sed ab ejus obitu universum regnum cum provinciis, & partibus eidem veteri jure adnexis, ad Ferdinandum, hoc præmortuo ad ejus filium, & isto quoque defuncto ad legitimos ejus hæredes, his denique penitus deficientibus, ad Cæsarem, hujusque filios, posterosque legitimos, &, si ex his utrumque legitimis hæredibus carere contigerit, ad Zapolyæ filios, horumque, si quos habuerint, hæredes devolvatur. Sin hi quoque masculam prolem legitimam non relinquerent, tum libera regis eligendi potestas penes regni Ordines esset. Ut autem de hac successionis in regno serie, modoque Ferdinandus, hujusque hæredes reddantur certiores, universi Prælati, Barones, potioresque Nobiles, & magistratus Comitatuum, liberarumque urbium, fidelitatis juramentum edent, idem facient, qui defunctis, aut loco decedentibus subrogabuntur, & litteras juramenti testes consignabunt, quas Joannes rex Ferdinando, vel hujus, aut Cæsaris oratori, duorum mensium spatio ad id definito, tradent. Liberæ civitates prætere-

1539.

ea

ea omni quinquennio juramentum inſtaurabunt, eadem jurisjurandi religione filii Baronum, & potentiorum Nobilium, qui arces poſsident, cum paternam hæreditatem adeunt, ſi legitimam ætatem attigere, ſe obſtringent, quorum litteræ ſimiliter Ferdinando, aut hujus, Cæſarisve oratori intra ſex menſes transmittentur. a) 1539.

Ut autem Zapolyæ, ejusque poſteris Cæſar gratificaretur, & conſuleret, has præterea conditiones adjecit: filius, ſi quem ducta uxore tolleret, omnia bona paterna, & quæ a regibus olim dono aquiſita ſunt, & deinceps aquirerentur, perpetuo jure poſsideat; ea tamen patrimonii pars, quæ in Ferdinandi ditione eſt, Cæſari ſequeſtro ſervanda dabitur; quæ in pignore habet, ad tempus red-

a) Id opere ipſo præſtitum eſſe, teſtatur præcipuus ex Mandatariis Archiep. Colocen. ſcripta an. 1540. ad Pontificem epiſtola, quæ exſtat in Cod. MS. Bibl. Vaticanæ num. 3901. *Ut hæc*, ita ſcribit, *magis firma eſſent, voluit* (Cæſar) *ut tunc daremus litteras noſtras Sigillis noſtris munitas, prout & dedimus, in quibus promiſimus bona fide, nos ſinceram operam daturos in Dieta publicationis pacis, apud omnes fratres, & amicos noſtros, ut tractatus concluſi debitum ſortiantur effectum* &c.

emtionis retinebit. Huic patrimonio Cæſar
1539. Ducatum ſub nomine *Scepuſienſis* adjunget, qui ære ex utriusque ditionibus colligendo intra biennium redimi debeat, nec prius Ferdinando, hujusque poſteris, univerſi regni poſſeſſionem adire fas erit, quam Ducatus Scepuſienſis manibus naſcituri filii conſignatus fuerit. Interim Prælati, Barones, Nobilesque, & Civitates, in iis Comitiis, in quibus pax vulgabitur, ſecuritatis cauſa, juramentum fidelitatis Ferdinando perinde, ut filio Joannis regis, etiamſi poſthumus eſſet, præſtabunt. Ducatu autem re ipſa jam conſignato, Cæſar, & Ferdinandus communibus viribus filium in eodem, & patrimonii dominio, ac poſſeſsione, contra quosvis turbatores tuebuntur; ſin vero ſine prole maſcula decederet, media patrimonii pars Cæſaris erit, quo majoribus animis tuendæ Hungariæ curam ſuſcipiat, ea tamen conditione, ut, ſi regina ſine liberis eſſet, fructu illius mediæ partis tam diu fruatur, donec ad ſecundas nuptias tranſierit, tum vero perſoluta ei dote centum millium florenorum auri, ad Cæſarem redeat, &, ſi forte dos viventi non perſolveretur, de hac teſtandi poteſtatem habeat: Ferdinando denique incumbet, ut filiabus, quæ ſuperſtites erunt, de honeſtis, & ſobole regia dignis nuptiis provideat.

Simul ac pro utroque rege limites ditionum diremti fuerint, in proximis, quæ co-

gen-

gentur, Comitiis, tractandum quoque erit de, [redacted]
limitibus inter Croatiam, interque Styriam, 1539.
Carnioliam, & Carinthiam, qui diſsidiorum tempore convulſi erant, *a*) in priſtinum ſtatum redigendis: damna, quæ utrinque illata ſunt, pro abolitis habeantur, injuriarumque omnium perpetua ſit obliteratio. Bona Eccleſiis, a Ludovici regis obitu, aliisve ſubrepta, & per vim occupata, nemini liceat retinere: utriusque Principis donationes, quas in ſua quisque ditione feciſſet, aut poſtea facturus eſſet, modo nitantur juſto titulo, vim ſuam habeant: documenta litteraria, quæ ad patrimonium, aliaque bona Joannis regis, aliorumque, qui in ditione alterutrius Principis ſunt, pertinent, & diſsidii tempore ablata erant, poſt promulgatam pacem bona fide reddantur, qui proventus Principis utriusque hactenus procurabant, cujuscunque ordinis, conditionisve ſint, rationes adminiſtrationis ſecundum regni inſtituta reddent: nemini, qui unam hucusque partem amplexus

a) Hac etiam occaſione urbs Fluminenſis cum ſuo territorio ſenſim avulſa eſt, quæ tamen juris Hungarici fuit, ut patet ex chartis Belæ III. an. 1181. Belæ IV. an. 1260. Stephani IV. an. 1271. Ludovici I. 1358. Marci de Frangepanibus an. 1431. aliisque, quas longum eſſet, hic referre.

1539. est, hac deserta, ad aliam transire integrum sit, quod si quis contra hanc confœderationem aliquid moliri ausit, ad hunc domandum uterque mille pedites, totidemque equites, vel quot necessarii videbuntur, sine mora coget, ne mali contagio ad plures serpat: monetam cudere, quod jus magno rei publicæ damno aliqui hactenus sibi arrogassent, privatis interdictum, de ea autem, quæ Principum nomine feriunda sit, ipsi inter se decernent: proventus uterque suæ ditionis integros percipiet, neutri tamen liceat nova vectigalia in præjudicium alterius constituere: salem, ex quo non exiguum esset lucri compendium, quisque in sua ditione, Joannes quidem Transsilvanicum, Ferdinandus contra Marmarosſiensem venum exponent. Pace confecta, magistratuum ratio hæc servabitur: Palatinus communi Nationis voto eligetur, cujus auctoritas ad utriusque Principis ditiones pertineat, ceteros quisque in sua renunciabit: amici, & hostes utrique communes sunto, de iis, quæ ad consolidandam magis pacem fortasse adhuc deessent, in futuris Comitiis transigetur. Postremum, quoniam Joanni regi ad pacis hujus conciliationem, id præcipue incitamento fuit, ne Hungaria in partes distracta, & per hanc vicina Christianorum regna, Turcarum incursionibus, ut fere hactenus, exponantur, visum est, ut ne imprudente Cæsare in vulgus efferatur, cujus

judi-

judicio se staturum Ferdinandus promittet, agetque pro viribus, ut regnum ab infestatione hostium deinceps tutum reddatur. Si tamen notitiam confœderationis ad Solymannum pertingere, & Joannem ab eodem contingeret, regno propterea exigi, Cæsaris, & Ferdinandi cura erit, ut ei, suisque de honesto, & qui regem deceat, vitæ statu, & conditione prospiciant. *a*) 1539.

Atque hæc præcipua fere capita pacis erant, quæ priusquam coaluisset, videtur Zapolya cum rege Poloniæ de ducenda ejus filia Isabella, matre Bona Sforcia Veronensi edita, clam consilium iniisse, cum jam sub exitum anni superioris Brodericum, & Verböczium cum Petro Perenio in Poloniam miserit, qui cum rege de conditionibus ineundi matrimonii agerent. Facilem se Sigismundus, qui sororem Zapolyæ prius conjugem habuit, oratoribus præbuit, dote LXX. millium aureorum filiæ constituta, conditione addita, ut Zapolya tantundem futuræ conjugi polliceretur, vel certo numero fundos designaret, quorum vectigalia dotem æquarent, & pacta matrimonii Cæsar cum Ferdinando, a XXIV. Februarii intra sex menses suis diplomatibus rata haberent, id si abnuerent, præter LXX. aureorum millia, alia XXVI. quod

a) Tab. pacis vide apud Pray, P. V. p. 297. ex Wolfg. Bethlen.

quod tantundem filia in Hungariam illatura
1539. esset, vel apud regem, vel Venetos deponeret. a)

Pactis nuptialibus utrinque pridie Idus Aprilis confirmatis, sponsa Budam deducta, Albæ in manus regi convenit, ritu coronationis ex more Majorum peracto. Interfuit nomine Ferdinandi Casparus Seredius, qui, dum Perenium, quin mandata haberet, ad partes Ferdinandi pertrahit, parum aberat, quin novo inter recens conciliatos dissidio causam dederit. Dissimulatum tamen fuit, quod gravius malum a Solymanno imminebat, qui Moldaviam ingressus, ut de fœdere inter Ferdinandum, & Zapolyam nuper inito comperit, misso ad hunc nuncio, *Chiausium* Turcæ vocant, ingratum ei animum, beneficiique immemorem oggessit, addita comminatione, se brevi facturum, ut, quam facile ei olim regnum comparasset, tam facile etiam adimat. Territus hac denunciatione, Petrum Vayvodam, qui se illius fidei crediderat, ad Solymannum misit, quo ille tradito utcunque pacatus quievit. Atque id postremum erat, quod servituti Turcicæ præstitit ministerium, exiguo cum suo, tum regni emolumento, quod confecta etiam cum Ferdinando pace, non minoribus, quam ante, malis

a) Dogiel diplomat. Polon. T. I. p. 132. — 48. a 1. Jan. an. 1539. ad 12. April. anni 1540.

lis laborabat. *a*) Budam redux, Statilium, quem ante annum in Galliam miserat, Pontificis item nuncium, & Turcicum Legatum reperit. *b*)

XI. Quæ hi mandata habuerint, quidve egerint, nuspiam in vulgus manavit. In Transsilvania non pauci, exemplo Petri Vayvodæ, Solymanno contra datam fidem dediti, ne parem fortunam experirentur, metuentes, ad Ferdinandum inclinabant, inter quos uterque provinciæ Præfecti, Stephanus Mayláthus, & Emericus Balassa, fuere, qui jam plerosque Procerum Ferdinando clam auctoraverant, cum res per Petrum *Pythar* Vayvodæ Valachici apud Cibinienses nuncium prodita, 1540.

Za-

---

a) Litt. Nic. Olahi ad Nádasd. Vien. 17. Nov. *Video rerum omnium faciem tristissimam, rem nostram publicam undique labefactatam, concussam, nutantem, & vix spirantem; omniam animos prædis agendis intentos esse, amicos factione distractos, vulgum adeo miserandæ sortis, ut nihil, præter luctus, lamenta, & lacrimas emittat.*

b) Valent. Török ad eund. Papa 4. Nov. *Adsunt apud ejus M. Pontificis, & Turcarum Imp. Oratores, Legati. Rediit item D. Statilius Transsilvanien.*

1540. Zapolyam, ut tempestive malum opprimeret, cum copiis in Transsilvaniam excivit. Balassa facile in ordinem redacto, Maylathus ex arce *Fogaras*, quam æquo jure cum Nádasdio possidebat, acriter restitit, & Valentinum Törökium, quem Torda ad Comitia iturus, obsidioni præfecerat, pari constantia rejecit. Promulgata universa erratorum venia, magno numero ad conventum confluxerant, facileque in eam sententiam ab omnibus itum est, ut annuus census ad placandum Solymannum sine mora Constantinopolim a Martinusio deferretur. Hoc vix iter ingresso, Joannes morbo tentari cœpit, quem cum *Zabesi* sensim ingravescere sentiret, testamento condito, Martinusium, & Petrovicsium cognatum suum, prolis, quam regina enixura esset, Tutores constituit, plus tamen illi, quam huic, potestatis tribuens, cum hic solam præfecturam Temesiensem, ille autem ærarii, vectigalium, salis, & auri fodinarum administrationem obtineret. Sub hæc nuncium Buda allatum est, Reginam VII. Julii partu levatam, filium edidisse; quo ille mirum in modum gavisus cum hilariis plusculum indulget, & mox ob litem duorum Nobilium ira excandescit, hemiplectico fulmine ictus, inter balbutientia verba exspiravit, non sine veneni suspicione, quod ei, subornante Martinusio, prius, quam iter esset in-

ingreſſus, porrectum fuiſſe, communis per [redacted]
provinciam fama fuit. *a*) 1540.

Reſignato teſtamento Martinuſius ex itinere cum cenſu revocatus, hanc provinciam Joanni de Eſzek, Quinqueeccleſienſi Epiſcopo, & Verbőczio mandavit. Prima Tutorum cura erat, ut Maylátho, qui arcem hactenus fortiter pro Ferdinando tuebatur, induciæ annuæ offerrentur, quas cum ille ratas haberet, corpus defuncti Albamregalem deductum, & regum ſepulcris additum eſt. Juſtis perſolutis de ratione adminiſtrandi regni deliberatum. Erant ſententiæ, cum quæſtio de regno ſecundum pacta in Ferdinandum transferendo moveretur, mire diſcrepantes. Archiepiſcopus Colocenſis, qui ante alios Joanni regi addictus erat, pacificationi ſtandum eſſe,

a) Acta Proceſſ. in Martinuſium an. 1553. petente Ferdinando rege, Julio III. Pontif. indulgente, per Hieron. Martinengum Nuncium Apoſt. inſtituti. In his die 1. Maji Petrus Filetinſzki Nob. Hung. Diœceſ. Zagrabien. Clericus, hæc faſſus eſt: *rex Joannes mortuus eſt, non ſine ſuſpicione, ut inter regnicolas murmuratum eſt, quod Frater Georgius per Medicum ipſius Joannis, veneno tollendum curavit, quem Medicum ego, tum Judex Budenſis exiſtens, comprehendendum curavi, ſed ille aufugit.*

acriter tuebatur, etſi enim pro tempore pu-
1540. blicandæ ſolum pacis, hæc datis litteris ſti-
pulata fuerit, non poſſe tamen ſalva cujusvis ſtipulantium fide, & honore fieri, ut menti regis defuncti, qui filium ſciens, volensque, ſucceſsionis jure privavit, contrarium ſtatuatur, metuendum eſſe, ne qui id agunt, ſuo magis, quam regni, commodo ſtudeant, velintque Hungariam, quæ nuperna pacificatione a diuturnis malis vix reſpiraverat, novis rurſum calamitatibus objicere. Idem Nicolaus Salmius a Ferdinando miſſus, vi pactorum contendebat. Fruſtra hæc oggerebantur. Tutores, inprimis Martinuſius, qui ſe non obſcure notari ſenſerat, pacta omni robore, quod vulgata non eſſent, deſtitui ſpecioſe prætexens, conſultationem abrupit.

Archiepiſcopus levitate hominis offenſus, clam cum Nádasdio egit, ut ſibi ad regis partem transeundi viam pararet, & Ferdinandus, cum videret, jure nihil effici poſſe, Budam a Velſio tentari juſsit, non tam quod autumno jam inclinante eam recuperari poſſe ſperaret, quam ut Reginam armorum metu ad eam, vi pactorum reddendam, adigeret; verum a Martinuſio, qui Mehmetum Belgrado, & *Uzrefum* e Boſnia accerſierat, tum Verbötzii etiam litteris Conſtantinopoli ſub idem tempus redditis, in ſpem erecta, nihil de deditione audire ſuſtinuit, eo maxime perſuaſa, quod Verböczius ſignificarit, Solymannum,

Regi-

Reginam cum filio in poſſeſsione Hungariæ, & Tranſilvaniæ, vulgato edicto, confirmaſſe; quæ fama cum in caſtris, & ſtudio didita erat, percrebuit, & hyberna frigora ingruerent, Velſius, relicto Peſtini peditum Bohemorum, ac Germanorum præſidio, quibus mille naviſularios, noſtri vocant *Nazadiſtas*, & CCC. levis armaturæ equites adjunxerat, receptaque Perenii ſtudio Albaregali, copias XVI. Nov. reduxit. Per iter Viſſegradum, quod in deſcenſu celeritatis gratia præterierat, paucorum dierum obſidione in poteſtatem redegit. *a*) Parum proſpero obſidionis ſucceſſu, nihil a proſequendo ſuo jure remiſsior Ferdinandus, Ratisbonam ante contendit, quam comitiis V. April. initium daretur, ad quæ Archiepiſcopum Colocenſem, qui recens ad eum tranſierat, & Thomam Nádasdium 1541.

a) Litt. Chriſtoph. Zenichy ad Nádasdium Zagrab. 12. Sept. Frangepanii ad eund. Agria 14. ejusd. Velſii ad eund. Vien. 16. ejusd. Rurſus ad eund. ex Genyeu 29. ejusd. Verböczii ad Martinuſium, Petrovics, Török, & Podmaniczky Conſtantinopol. 17. Oct. Petr. Gerendy ad Mayláth Oltsova 11. Nov. Velſii ad Nádasd. ex caſtris ad Viſſegrad. 25. ejusd. Emer. Bebek ad Mayláth Conſtantinop. 26. ejusd. Orationem Archiep. Coloc. ad Comitia Imperii habitam vid. apud Pray P. V. p. 345.

dium pro impetrandis subsidiis adesse voluit,
1541. Legatis etiam Vayvodæ Valachiæ persuasum, ne abessent. Archiepiscopus gravi oratione ad Imperii ordines IX. Junii habita, Principes Catholicos, ut laboranti Hungariæ succurrerent, facile permovit, refragabantur Protestantes, nec ante consenserant, quam Cæsar religionis securitatem promisisset, tum auxilia in tres, &, si necessitas posceret, in quartum etiam mensem decrevere. Sed Ferdinandus non ignarus, quam lente hæc alias administrata fuerint, jam prius necessarios ad bellum apparatus fecerat, & exercitui, ut plurimum ex Hungaris, Australibus, Bohemis, & Moravis conflato, Rogendorfium, etsi senio jam confectum, præfecit.

Is famæ jacturam, quam in priori obsidione passus erat, reparare cupidus; acceleratis itineribus, VI. Nonas Maji jam ad Budam constitit, arcemque ex quatuor suggestibus continenter verberans, per murorum ruinas assultum parabat, cum Regina sibi, filioque metuens de deditione cum suis cœpit agere, plerisque consentientibus, idem Legati a Sigismundo patre missi, & Comes *Mirandola*, cum Sigismundo *Herbersteinio*, qui eadem de causa a Ferdinando aderant, suasere. Annuit, & Rogendorfius clam admonitus, ut noctu ad secretam arcis portam copias in promtu habeat. Stabant jam paratæ, cum Martinusius rem per suos excubitores

sub-

ſubodoratus, accerſito ad ſe Petrovicsio, quid immineret, paucis aperit, & celeritate periculum antevertit. Sequenti die Legatos Poloniæ, deditionis præcipuos auctores, ex arce illiberaliter pelli, lapidibusque impeti, Ferdinandi autem Oratores acerbe ſubſannans faceſſere, & ipſam Reginam probris increpitam, arctius, quam ejus dignitas, ſexusque poſceret, cuſtodiri juſsit, eo amentiæ, ut nihil de barbaro quadrifariam ſecti Reginæ internuncii facinore dicam, prolapſus, ut non vereretur palam dicere, malle ſe baptiſmo renunciare, & Turcam fieri, quam Germanis Budam tradere. *a)* 1541.

Reginæ calamitatem plerique miſerati ſunt, Statilius ruſticitatem monachi abominatus, deluſis excubiis in Transſilvaniam ſeceſſit, judex quoque urbis cum civibus inhumanum factum deteſtabantur, ſed militia omnis cum Præfectis in poteſtate Martinuſii fuit, qui, ut

a) Act. Proc. Faſsio Judicis Buden. 1553. d. 1. Maji Sopronii. *Reginam exire volentem, ut conſtituerat, cuſtodiri in ſuo palatio juſsit, & Franc. Baczi, qui a me teſte ad reginam miſſus ibat, eratque internuncius meus, & Reginæ in conſilio, & deliberatione dedendæ urbis regiæ Majeſtati, comprehendi, atque in partes* 4. *vivum ſecari fecit, & Legatos*

1541. ut male sibi conscii semper in metu sunt, securitatis causa M. pedites, & septingentos equites pro corporis custodia adhibebat. Praecipuam tamen tolerandae obsidionis spem in Turcarum auxilio reposuit; alebat in hunc finem XXIV. celeres nuncios, quorum alter post alterum ad Turcas, ut maturent, nocte, dieque commeabant; Rogendorfius contra, spem in Regina collocans, lentius operas urgebat, quae conniventia paulo post ei exitio fuit. Turcae enim, qui opinione celerius aderant, erumpentibus quoque ex arce praesidiariis, nostros fere imparatos aggressi, magna clade affecerant, castris, reliquoque apparatu bellico potiti, in quo, quod ea aetate multum videri potest, XXXVI. majoris, & CL. minoris formae tormenta fuisse memorant. Equitatus mature periculo se subducens, incolumis evasit, Rogendorfius, accepto vulnere

---

tos Pol. regis urbe excedere jussit, distributis etiam hominibus, qui egressos lapidibus impeterent. — — Ego testis eum in consilio dicentem audivi, potius, quam Germano Budam traderem, baptismo huic renunciare vellem, & Turca fieri. Oblitus sum supra monere, testimonia omnia Processui inserta, juramento firmata fuisse.

nere, dum reditum parat, in insula Cituorum exstinctus est. a) 1541.

XXII. Solymannus, utprimum comperta Germanorum clade, suorum castra attigit, postridie filium Reginæ ad se afferri, & Consiliarios una adesse jubet. Regina de salute filii solicita, primum restitit, tandem majore, si negaret, periculo territa, filium dimisit. Remissus eodem die est, sed Consiliarii octiduum retenti. Præcipui fuere Martinusius, Petrovics, Verböczius, & Valentinus Török. Cuivis seorsim colloquutus, si Budam sibi dederent, præfecturam arcis, & vicariam in regno potestatem pollicebatur; id cum illi se, inconsulta Regina, non posse, affirmarent, de retinendis iis, & in Turciam deducendis cogitabat. Martinusius, id quod erat, suspicatus, Ulumbegum clam sibi muneribus conciliavit, cujus ope liber cum Petrovicsio, & Verböczio dimissus est, sed eadem occasione effecit, ut Törökius, cujus militarem ferociam, & fastum metuebat, captivus Constantinopolim abduceretur. Dimis-

a) Act. ead. Litt. Joan. Eisler secretarii bellici Vien. 2. Maji Jos. Raiky Canisa ead. Th. Nádasd. Ratisbona 15. ejusd. Eisleri Vien. 16. ejusd. Joan. Szalay. ex Syul 30. ejusd. Alexii Thurzo Vien. 3. Jun. Istvánfi l. 14. Jovius l. 39. Sed hic veris multa falsa immiscet.

1541. sis illis Judex urbis, cum primoribus civium advocati. Ab his eadem postulat, si detrectarent, ferrum & flammas comminatus. Redituris aliquot cohortes *Janicsarorum* securitatis, ut præferebat, causa adjunxit, qui, ut eorum vestigia usque ad arcis portam premebant, facto impetu in urbem irrumpunt, illaque, nullo a præsidiariis accepto maleficio, XXI. Aug. potiuntur. Id locum suspicioni præbuit, Martinusium clam cum Solymanno de dedenda arce transegisse, quemadmodum id ei Petrovicsius coram Regina diserte oggesserat, nec is criminationem diluere ausus, perfidiam taciturnitate confessus est. Biduo post nuncii a Solymanno adsunt, qui Reginæ, ejusque filio, Transsilvaniam, cum Transtibiscana regione, fiduciario jure offerrent, si claves arcis, velut spontaneum deditionis signum, ad castra mitteret, non obscure vim se adhibituros professi, si renueret. Cessit minis, & cum filio in comitatu Petrovicsii, ac monachi, qui sero spe sua turpiter se frustratum doluit, Lippam abiit. In hunc modum unius hominis perfidia, Buda in potestatem Turcarum venit, non nisi multo sanguine post centum, & octoginta quinque annos recuperanda. *a)* Solymannus a Reginæ discess-

a) Acta Proc. Istvánfi, & Jovius l. cit. Leunclav. hist. Musulm. l. 18. ad an. hegyræ 948. Vid. etiam Pray P. V. p. 358.

discessu urbem ingressus, eam Solymanno, natione Hungaro, sed qui jam dudum sectæ Musulmannorum initiatus erat, gubernandam credidit, & Verböczium dicundo juri præfecit; quo munere non diu functus, sequente anno præ ærumnis, vitæ, quam in concitandis, alendisque factionibus pene totam traduxerat, finem fecit, in loco, sepulcris Judæorum destinato, conditus. 1541.

Interea copiæ auxiliares ab Imperio decretæ, prope Linçium pervenerant, his, ut maturent, significatum, seque Velsio, qui jussu Ferdinandi Posonium ad colligendas a nuperna clade reliquias profectus est, conjungant, hostemque ab ulteriore progressu morentur. Sed is, quod certiora de rebus, quæ in Asia turbari ferebantur, jam pacatis, comperisset, Budæ adhæsit. Id cum per transfugas cognitum esset, opportunum regi visum, ut Legatione animum Solymanni tentaret. Missi sunt cum muneribus Nicolaus a Salmis, & Sigismundus Herbersteinius, qui impetrato securitatis commeatu, a *Rustane* liberaliter accepti, & postridie ad Solymannum deducti, de induciis, & captivis permutandis mentionem fecere. Munera, quoniam inter hæc horaria machina, miri, rarique operis erat, accepta quidem sunt, induciæ autem, nisi rex omni Hungaria decederet, & titulo Austriæ præterea annuum tributum polliceretur, arroganter negatæ. Cum hoc responso di-

miſsis, ipſe rebus Budæ conſtitutis Belgradum 1541. regreſſus, Hieronymum Laskyum Ferdinandi Legatum, quem ad id tempus captivum tenuerat, liberum dimiſit. Inde diſceſſurus, Achmeti Nicopolitano Præfecto in mandatis dedit, ut cum Petro Valachiæ Vayvoda Transſilvanis invigilarent, ne quid novi ob commutatam Reginæ fortunam molirentur. Vayvoda, cui olim ſimultas cum Stephano Mayláthо intercеſſerat, hac occaſione uſus, ejus intercipiendi, ſubornante, ut ſuſpicio erat, Martinuſio, conſilium cum Achmete iniit, pacisque tractandæ cauſa, miſsis perſonatis obſidibus, ex arce Fogaraſienſi proliciunt, venientem, ſuique ſecurum, cæſis aliquot comitibus, ſpoliant armis, captumque Conſtantinopolim mittunt, quo perfidiæ exemplo Transſilvania ſapere poterat, ſi alterius, quam monachi, imperio paruiſſet. *a*)

Facile ex accepta nuper repulſa Ferdinandus intellexit, bellum ſibi anno ſequenti inſtare, cui propulſando ut neceſſarios apparatus præverteret, Comitia Pragam indixit. Venere illuc & Oratores ex Hungaria, auxilia flagitatum, miſsi quoque nuncii ad Moravos, idem oratum, & utrobique promiſſa, ac

a) Litt. Alexii Thurzo ad cives Leucsovien. ex Galgocz 5. Sept. Iſtvánfi l. c. Act. Proc.

ac præſtita. Bohemi ſex peditum, & equitum duo millia decreverant, quibus ſi imperiales, aliarumque ditiónum copiæ accederent, dubium non eſſe, quin præclarum aliquid effici poſsit, modo ne Hungari ſibi ipſis deeſſent. Conſultatum dein de belli, ſi gerendum eſſet, rationibus. Hungari, qui Turcarum morem ceteris melius norant, vim præcipuam in claſſe Danubiana, & equitatu levioris armaturæ ponebant; illa ſiquidem commeatus, & annona, quæ Turcæ adverſo Danubio ſoleant ſubvehere, commodum impediri, eoque impedito hoſtem facile enervari poſſe, equitatum vero gravis armaturæ, licet magnum ad victoriam momentum, ſi ſtataria pugna ſit, afferre ſoleat, cum Turcis tamen, qui non uno loco, nec junctis ordinibus pugnare aſſueverint, non videri committendum; præſtare, ſi hunc peditatus numero ſuperet. Ante omnia autem, prius, quam ver ſe explicet, & pabulationem equitatui præbeat, hoſtem eſſe occupandum, Budamque ad ictum deſtinandam; conſtare enim ſibi, Solymannum mandaſſe, ut Baſſa, reparatis, quæ vitium acceperant, arcis munitionibus, novas in inſulis ſupra, infraque Budam ſitis ad frœnandum utrobique Danubium, hoſtemque arcendum, adjiceret, quarum ſtructura niſi mature impedita fuerit, Budæ ob- 1541.

 ſidio-

ſidionem longe difficillimam fore. Hæc Pragæ acta. *a)*

1542. XIII. In Hungaria non minor de futuro bello cura regni Ordines exercuit. Confluxerant XXI. Febr. juſſu regis, qui ad habenda Comitia Spiram abierat, Neoſolii, & pro gravitate imminentis periculi ſubſidia decrevere. Præter florenum more veteri ab omnibus pendendum, ditioribus pro facultate rerum plus, quam pauperibus imperatum, colonis, qui propriam domum haberent, quadraginta, & uno floreno æſtimatis; ex his Domini terreſtres ſexageſimam partem ex ſuo pendent, quam Nobiles quoque unius *ſeſsionis*, præterquam quod viritim militiam profitebuntur, facta rerum aurearum, argentearum, æris parati, pecorum, vinorum, frugum, omniumque rerum mobilium, demtis ſolum veſtibus, & apparatu ad bellum neceſſario, juſta æſtimatione, præbebunt, tantundem cives, etiam mercibus in cenſum vocatis, præſtare juſsi. Prælati, Barones, & poten-

---

a) Reſponſio DD. Moravorum in conventu Brunenſi data DD. Hungaris. Item: *Nunciata* DD. ac Nobilium regni Hung. ad DD. Magnates Boh. in Pragenſi Dieta collectos. Rurſum: *Conſilia* Hungarorum Ferdinando regi Pragæ data, de modo bellum cum Turca gerendi. Exſtat in MS.

tentiores Nobiles, præter hæc non solum ex- [redacted]
peditioni per se se aderunt, sed vicesimum 1542.
quemque ex suis colonis equitem secum ducent, Canonici autem Capitulorum, quisque pro se, equitem statuent, quos pinguiora beneficia habentes in præbendis stipendiis adjutum ibunt. Nunquam alias tanto studio, animorumque conspiratione ad servandam Patriam Ordines coaluere. Hæc ab se in Conventu statuta, Spiram ad regem perscripsere, additis precibus, ut operam suam pro eliberando e captivitate Mayláthо, apud Isabellam Reginam, cujus potens esset in aula Turcica patrocinium, interponere non gravetur. *a*)

Non eadem in Spirensibus Comitiis voluntatum consensio viguit. Etsi quidem commune periculum omnes agnoscerent, Protestantes tamen nihil prius de subsidiis audire sustinebant, quam pax religionis in quinquennium prorogaretur, & tum quoque, decreto auxilio, de duce deligendo altercatio orta est, cum hunc ex suo gremio copiis præfici vellent. Lectus est Joachimus Brandenburgicus,

a) Cod. jur. patr. ad h. a. Litt. Statuum ad regem, Neosolio 2. Mart. Martinusii ad Nádasdium ex Vásárhely fer. 3. post. Corp. Christi. Lundensis Archiep. ex cella Ratoldi 9. Apr. 1543. Istvánsi l. 14. Surius ad h. a.

cus, itaque, cum ipſe rei militaris expertem
1542. ſe profiteretur, non optimus. Additi ſunt ei ex Imperialibus decem conſultores, quod ipſum in tanta, quæ futura erat, voluntatum diſſenſione, mali exitus omen fuit. Vienna, quo auxiliares convenirent, deſignata: peditum fuere XXX. equitum VII. millia, præter Hungaros, & Auſtrales: Pontifex quoque tria peditum millia, ductore Alexandro Vitellio miſit, ſed pro hac copia minor machinarum numerus ad obſidionem neceſſarius. Omnium igitur animis ad hanc expeditionem erectis, datoque ad profectionem ſigno, ſeptimis caſtris ventum eſt Strigonium. Hic quæſtio mota, Budane, an Peſtinum eſſet tentandum? Perenius, qui Hungaros, & Ungnadius, qui Auſtrales ducebant, cum Vitellio Budam præferebant, contra Electoris conſultores Peſtinum delegere. Itaque Danubio ad Vacium transmiſſo, obſidione cinctum, & aliquot diebus nullo operæ precio tormentis verberatum eſt, & ſigna ad receptum data. Siniſtri eventus cauſam alii in annonæ, & commeatus bellici defectum, alii in Perenium, quaſi cum hoſte ſenſerit, conjiciunt. Utrumvis fuerit, valuit tamen ſuſpicio, ut cuſtodiæ traditus, ductusque Neoſtadium, miſere tandem contabuerit. Alexius quoque Thurzo *Locumtenens*, cum ſe in ſuſpicionem propterea etiam vocari intellexit, officio renuncians, judicio cum iis

ex-

experiri voluit, qui hoc sibi crimen impegerant, cum in ipso litis apparatu obiit. 1542.

Sub ipsum pene obsidionis Pestiensis initium, Isabella Regina, Turcici jugi impatiens, nuncios ad Ferdinandum miserat, qui de tradenda ei Transsilvania, honestis conditionibus convenirent. Datum est negotium ex parte Ferdinandi Casparo Seredio, ab Isabella Martinusio Varadiensi, Statilio Transsilvaniensi, Episcopis, & Petrovicsio. Utrinque in has leges conventum: Ferdinandus Reginæ arcem Scepusiensem, cum civitatibus, & oppidis, ad eam spectantibus, præter XII. aureorum millia filio quotannis numeranda, pleno jure consignabit; Regina vicissim Transsilvaniam cum arcibus, quas in Hungaria possidet, simul cum regni corona Ferdinando reddet. De filii patrimonio, & bonis, quæ dotis nomine a marito tenet, intra biennium fine arbitris ipsi inter se transigent, si quid difficultatis interveniret, eam Caroli Cæsaris, & Sigismundi patris judicio dirimendam committent, si vero illum mori interea contingeret, omne arbitrium penes Patrem erit. Tabulæ XXVI. Julii subscriptæ sunt, & Martinusius Varadinum secessit, vitam privatam acturus. Biennii spacium, intra quod residubiæ componerentur, ferunt, ab eodem conditionibus de industria adjectum esse, ut interea pro temporis habitu occasionem a pactis recedendi nancisceretur, quemadmodum simu-

[redacted] ſimulate etiam Quæſtura ſe abdicaverat, cum
1542. non longe poſt a Transſilvanis, quos a primo in provinciam ingreſſu, largitionibus ſibi conciliaverat, ut Moldavis, & Turcis, qui arci Fogaraſienſi imminebant, reſiſteret, per nuncios, & litteras revocaretur, plus monacho, quam Petrovicsii ſcientiæ militari, & experientiæ, confiſis. a)

Dum hæc apud Transſilvanos aguntur, rex rurſum Ordines ad Kal. Nov. Poſonium concivit, ut de ratione conſulerent, qua damnum nuperna clade acceptum reparari poſſit, & privatorum injuriis, publicisque rapinis modus poneretur. Non enim deerant, qui, quas hoſti opponere debebant, vires, in populares converterent, ipſis pene Turcis ſimiles. Joannes, & Raphael Podmaniczkii ob latrocinia, & cædes, quibus regionem inter Albam, Jaurinum, & Strigonium, usque ad Vagum infeſtabant, & Petrus Keglevics ob uſurpatam malo dolo hæreditatem, publico decreto proſcripti, datum tamen bimeſtre ſpacium, ut reſipiſcant. Thomæ etiam Nádasdio, moderati cæteroquin ingenii viro, quod

a) Dogiel Cod. Dipl. Pol. T. I. P. I. p. 148. Cod. jur. patr. Acta Pr...eſſ. Litt. Joan. Szalay ad Præfectos arcis Fogaras. Poſon. 25. Nov. Joſ. Fejértóy ad Nádasd. Sopron. 1. Dec. Iſtvánfi l. 15.

quod Stephanum Istvánfium, immodico iræ æstu in Danubium præcipitem agi jusserit, 1542.
actio famæ, & honoris intentata, amicorum tamen interventu, & conniventia regis, primum ad ordinariam juris viam relegata, post suppressa penitus est. Reliquæ sanctiones in eventum belli conditæ: florenus subsidii rursus in omnes decretus, & media pars sexagesimæ, imperata militia, & locis defensioni opportunis præsidia imposita. Scriptum quoque est ad Ordines Imperii, & pro submissis auxiliis gratiæ actæ, additis precibus, ut, si Solymannus iterum Hungariam infestus peteret, ne hanc, pro communi in rem Christianam studio, ope sua destituere vellent. *a*)

XIV. Nec supervacanea hæc cura erat. Ferdinandus de Turcarum apparatu certior 1543.
factus, ante, quam ad Conventum Norimbergam proficisceretur, Transsilvaniæ volens providere, Paulum Bornemiszam illuc misit, ut Martinusium in Quæsturæ officio confirmaret, & provinciæ regio nomine præficeret, ne tamen potestate sibi credita abuti posset, voluit, ut ei Andreas Báthor collega adderetur. Sed is arrogantior, quam ut socium pati posset, misso Norimbergam ad regem familiari suo, flagitabat præterea, ut se Præsidem quoque Tribunalis judiciorum de-

a) Cod. jur. patr. ad h. a. Decreto II.

[redacted] declarare vellet. Rex homini, ad id tempus
1543. litterarum rudi, tam grave officium, ex quo multorum fortunæ penderent, negandum cenſuit, hortatus tamen illum eſt, ut Transſilvaniam pro muneris ſui ratione, ab incurſione hoſtium tueretur, ſe in Comitiis omnia acturum, ut Imperii Ordines nova auxilia decernant, eſſeque ad hæc litteris, quas Hungari ex conventu anni ſuperioris, ad Cæſarem, & illos dediſſent, permotos, ut a Kal. Maji in ſex menſes ſtipendia promiſerint, quibus in Hungaria, alibive pro arbitratu militem conſcribere, ſibi integrum ſit.

Nihil magis opportunum rebus noſtris accidere poterat. Turcæ enim menſe Aprili, in Sclavonia *Veleſtino*, & *Chasma* occupatis, late graſſabantur, quos Solymannus mox conſequutus arcem *Valpo*, *Quinqueecleſias*, ceteraque loca per iter admotis machinis in poteſtatem redegit. Trepidatio ipſam Germaniam pervaſit, ex qua cum promiſſa ſubſidia lentius adeſſent, & ob copiarum paucitatem, aperto marte congredi periculoſum eſſet, quatuor millia Italorum, quæ Pontifex iterum, Julio Urſino duce, ſuppetias miſerat, & reliqua militia, Albæ, Veſprimio, Agriæ, Strigonio, Jaurino, & Comaromio celeriter inducta, Nobilitas cis Danubium Jaurini, trans vero Nitriæ, armata convenire juſſa, fruges demeſſæ, & ſcrobibus conditæ, pabulatio quaquaverſum corrupta, ut vel hac ra-

tio-

tione hostem morentur, vel penuria pressum regredi cogerent. Interim Solymannus Vis- 1543.
segrado rejectus, Strigonium XXVIII. Jul. obsedit. Praeerant loco *Lascanus*, & *Salamanca*, Hispani, qui dum arcem, magna hostium clade edita, fortiter tuentur, signifer Italus, injussu ducum, clam de deditione, si salvis abire liceret, cum Turcis pactus est, praesidiarii pene nudi, & semineces contra datam fidem dimissi sunt, & duces jussu regis custodiae traditi, ut de iis judicio militari cognosceretur. *Tata* sub idem tempus ab *Achmete* expugnata, igneque corrupta est. *Albam*, cui *Tornicellus* praefuit, postea aggressus, tentato semel, iterumque assultu, cum Praefecti fere omnes occubuissent, facta deditione, praesidiariis libere dimissis, Solymanno asseruit, qui tribus occupatis urbibus satis emolumenti se consequutum ratus, suos, nullo, praeter tria Tartarorum millia a Zrinio caesa, accepto damno in hyberna reduxit. *a)*

Nihil tamen magis illius discessu res quietae in Hungaria fuere. Vixdum exacta hyems 1544.
erat, cum Bassa Budensis, ceterique illius im-

a) Litt. Episc. Quinqueeccles. ad Consiliarios Posonii. 5. Mart. Joan. Ungnad ad Nádasdium Vien. 15. Apr. Caroli Caes. ad OO. Hung. Barcinona 10. ejusd. Statuum Imp. ad OO. Hung. Norimberga 20. ejusd. Strigonien. Archiep. ad Ná-

1544. imperio obnoxii Præfecti, in varias partes dispertiti, regnum incurſabant; *Viſſegradum* vi expugnatum, *Neogradum* a noſtris deſertum, *Oſora*, & *Simontornya* occupatæ, ſpolia ad *Levam* acta: in Illyrico arx *Velica* ab agreſtibus prodita, mons *Claudius* interceptus, &, ne quid ad mali cumulum deeſſet, Zrinius cum Vildenſteinio ad *Selniciam*, amiſſa copiarum parte fuſus. Moleſtum id regi fuit, qui per idem tempus apud Imperiales de ferendis Hungariæ auxiliis agebat, idem Cæſar urſit, cui quidem ſtipendia, quibus in ſex menſes quater mille equites, & XX. peditum millia ali poſſent, quæ prius contra Galliæ regem decreta erant, ea conditione polliciti ſunt, ut copiarum partem adverſum Turcas fratri cederet. Bohemi quoque tria equitum millia, & quingentos equites, quibus *Velſium*, & hujus Legatum *Zerotinum* præfecerant, ſubſidio in Hungariam miſere. *a)* Multum etiam ſpei ex pace inter Cæſarem, & Gallum *Crepiaci* inita, affulgebat, vi cujus Fran-

Nádasd. Poſon. 16. Jul. Thom. Nagy ad Præfect. arcis Palota 25. ejusd. Joan. Garay ad Mich. Vaſs ex Valpo 15. Jun. Joan. Szalay ad Nádasd. 29. Jul. Acta Proceſſ. Leunclav. l. c. Iſtvánfi l. 15.

a) Balbinus rer. Boh. epit. c. 12. Iſtvánfi l. 16. Joan. Stella epiſt. 4. T. I. Script. rer. Hung. p. 621.

Franciscus decem millia peditum, DC. equites, si Cæsar id posceret, se missurum promiserat, idemque auxilium anno sequente *Cameraci* nova pactione firmavit. Cæsar Gallo conciliatus, in id maxime Vormatii incubuit, ut commune in Turcas bellum decerneretur: nec minus Ordinum Hungariæ in id studium fuit, qui indicto ad IV. Nonas Februarii Tirnaviam conventu, præter annonam, & floreni unius subsidium, militiam Nobilibus viritim tam severe imperarunt, ut, si morbo, ætateve, vel alia de causa hanc profiteri non possent, alios sibi subrogare obstricti sint. His constitutis, poterat, præsertim, quod uterque Solymanni filius inter se dissidentes, patris curam ab Hungaria averterent, præclarum aliquid effici, si Imperii Principes magis inter se consentientes fuissent. Catholici quidem facile in vota Cæsaris concessere, Protestantes contra, in primis autem Joannes Saxoniæ Elector, nihil prius, quam religionis negotium finiretur, de bello decerni posse, contendebant. Ita sensim studia in bellum Turcicum refrixerant, & fundamentum Smalcaldici fœderis jactum est, in quo etsi ipsis paciscentibus non satis conveniret, facile tamen Cæsar intelligebat, quorsum molitiones hæ evasuræ essent. Quare, communicatis cum fratre consiliis, Solymanni animum Legatione pertentandum censuit, utrum ad pacem vel inducias flecti posset, ut hac ratione, si 1545.

quid in Germania turbaretur, Hungaria a
1545. Turcis tuta esset.

Ad hanc obeundam Gerardus Veltwikius a Cæsare delectus, vir negotio huic tractando præ ceteris idoneus. Venetiis solvens, ut peragrata Thracia Constantinopolim venit, magnas in principio difficultates superandas habuit, quas ei *Cambrayus* Galliæ Legatus alias ex aliis apud palatinales ingesserat, vicit tamen, etsi altercatio de dirimendis finibus orta esset, sua constantia, & dicendi libertate, qua nec *Rustanem*, cum quo agebat, offenderet, nec de jure suo quidquam remitteret. Induciis igitur, Solymanno ob mortem filii, quem charissimum habuit, magis ad pacem, quam bellum, prono, conciliatis, Budam ineunte Decembri, inde Viennam rediit. *a)*

XV. Admissus ad regem, postquam Le-
1546. gationis rationes exposuit, Ratisbonam contendit, ut ad Cæsarem quoque de induciis referret. Ferdinandus vero, qui rursum Ordines ad Comitia exciverat, Posonium profectus, quid de induciis cum Solymanno transactum

a) Cod. jur. patr. Du Mont. Corps diplom. T. IV. P. II. num. 181. Lunig. Cod. Germ. dipl. T. I. p. 627. Litt. Ferdinandi ad Locumtenen. Hung. Vormatia 5. Jul. Veltwikii ad Thom. Nádasd. Bud. 7. Dec. Istvánfi l. 16.

actum fuisset, conventui exposuit. Gratiæ propterea regi habitæ, & rogatus, ut deinceps, si de his, aut pace actum fuerit, Hungarorum consilio uteretur. Ceterum ad defensionem regni florenus rursum omnibus imperatus, militia, imminente periculo, viritim statuta, in eos, qui regni sanctiones violarent, diriperent regios proventus, & Ecclesiarum, quive plebem opprimerent, cædes, aliudve facinus patrarent, integrum regi sit, non servato juris ordine, intra, extraque regnum pœnis animadvertere, nec enim dignos censebant, ut immunitatibus Nobilium fruantur, qui has impune violare sibi licere putent. His, aliisque pro tempore, & bono publico constitutis, rex Ratisbonam ad fratrem abiit, qui cum videret, omnia contrario religionum studio fervere, & intestini belli indicia jam satis paterent, Ferdinando suasit, ut Veltvikium, ne quid Turcæ a Gallo subornati interea moliantur, Constantinopolim remitteret. Annuit, datisque ad Sultanum, & Rustanem litteris, jussus est illo operam in primis conferre, ut si minus pax in solidum conciliari posit, induciæ in plures annos prorogarentur. 1546.

Inde Pragam properans, egit cum Bohemis, ut in partem belli, quod Electorem Saxoniæ, cum Philippo Hassiæ Landgravio, in Cæsarem parare non obscurum erat, ipsi quoque venirent. Verum cum isti ob vetera

pacta cum Ducibus Saxoniæ in principio ter-
1546. giversarentur, mandata Viennam ad Salmium dedit, ut mille peltatos, & hastatos equites Hungaros conscriberet, eosque Francisco Nyário in Bohemiam ducendos committeret. Jam bellum, quod a loco percussi fœderis Smalcaldicum vocant, exarserat, cum Nyárius initio Octobris cum mille, centum & quinquaginta equitibus Tirnaviam venerat, indeque, numerato stipendio, per Moravos in Bohemiam, ex hac cum ceteris, quas rex interea conduxerat, copiis, in Saxoniam profectus, occupato *Altdorfio*, ac semel, iterumque profligatis hostibus, Mauritio Saxoni ad *Czvicaviam* conjunctus, Ducatum pene omnem in potestatem redegit, præda adeo opulenta potitus, ut res, maximi ceteroquin pretii, minimo venirent. *a)*

Læta

---

a) Cod. jur. patr. Litt. Caroli Cæs. ad Solymannum, & Rustanem Ratisbona 16. Jul. Ferdinandi ad eosd. ibid. 13. ejusd. Cambray ad regem Gall. Peta 4. ejusd. apud Ribier T. I. cit. p. 582. — 84. Franc. Nyári ad Archiep. Strigon. ex civitate Elzencz 4. Nov. Nic. Olahi ad eund. Praga 5. ejusd. Istvánfi l. 16. Balbinus l. cit. Videri etiam potest, Mamerani catalogus omnium Generalium, & Tribunorum cet. Colon. 1550.

Læta hæc initia anno ſequente XXVII. [redacted]
Januarii, mors Reginæ, poſtquam decimo, 1547.
& quinto partu Joannam filiam enixa eſſet,
interrupit. a) Teſtamentum jam anno 1532.
Oeniponti condiderat, quo Maximilianum primogenitum, ceteroſque filios, quemvis ſingilatim, ſi alium ſine prole maſcula decedere contingeret, Hungariæ, Bohemiæ, aliarumque provinciarum hæredem ex aſſe ſcripſit. b) Parentatione quinto poſt die peracta, curæ belli reſumtæ ſunt. Cæſar ſub veris initium ductis in Miſniam copiis Hiſpanicis, & Belgicis, Ferdinando, Mauritio, & Auguſto Saxonibus ſe conjungens, Electorem ad Mülbergam nactus conſerto prælio vicit, captumque ab *Erdélyo* c) Quinqueeccleſienſi, cuſtodiæ cum Landgravio Haſsiæ tradidit. Eodem victoriæ

---

a) Numerum, ſeriem, & nomina prolium vid. ad Pray P. V. p. 406.

b) Exſtat in Tabulario ſacr. aulico. Clauſula hæc eſt: Beſchehen in unſrer Stat Ynſprugg, an Montag nach unſer lieben Frawen gepurdt den newndten Tag des Monats Septembris, nach Criſti unſers lieben Herrn gepurdt im fünfzehen hundert, und im zway und dreiſſigſten Jare. Anna Kunigin. Septem Sigillis, totidemque teſtium ſubſcriptione munitum.

c) Iſtvánfi *Lucanum* vocat, nomen, ut patet, ex Hungarico ductum.

ctoriæ curſu pleraque caſtra Duci Wirtember-
1547. bergico erepta, nec aliter, quam perſolutis ducentis ſcutorum millibus, in fidem receptus eſt. Bohemi quoque, quod cum Electore clam conſpiraſſe comperti eſſent, in ordinem redacti, bona conſciorum Fiſco addicta, civitatibus eodem crimine obnoxiis arma ademta, de reliquis, quorum nomina nondum cognita eſſent, in proximis comitiis ad XXII. Auguſti cogendis, quæſtiones haberi juſſæ. a) Sub hæc Veltwikius inducias, quantumvis *Aramontius* Galliæ Legatus contra moveret, in quinquennium pepigit, Solymanno ob cladem a Perſis, & Georgianis acceptam, ad has ineundas non difficili. Nec dubium erat, quin, ſi idem Legatus cum palatinalibus, viam nunciis de victoria Cæſaris ex Saxone relata, non præpediviſſent, pax honeſta, & ſtabilis iniri potuerit. Conditiones induciarum hæ fuere: utrique quod in Hungaria, & quæ ad hanc ſpectant, nunc poſſident, retineant; Ferdinandus quotannis XXX. aureorum millia, quemadmodum Zapolya conſueverat, cenſus nomine Solymanno mittet, a maleficiis, damnisque inferendis ſe abſtinebunt, nec Cæſari fas ſit, mari in Turcicas ditio-

a) Litt. anonym. ad Nádasdium Praga 22. Jan. Fejértói ad eund. ibid. 16. Aug. Nic. Olahi ad eund. ibid. 18. ejusd.

ditiones, quidquam hostiliter moliri: violatores induciarum severe castigentur, transfugas uterque bona fide reddet, mercatoribus, modo consueta vectigalia solvant, libere utrinque, salvisque commeare liceat; induciæ intra tres menses tabulis firmentur, ni fiat, irritæ sint; rex Galliæ, & Veneti iisdem induciis comprehensi censeantur. Postremas has, Aramontius, postquam tractationem penitus impedire non poterat, ut Rustanes adderet, invito Veltwikio, effecit. *a*) Redierat is Pragam ad Ferdinandum eo tempore, quo nuncii ab Isabella Regina venerant, quæ Martinusii tyrannidem aversata, opem adversus hominis fastum a rege implorabat: remissi sunt spe accepta, fore, ut, ubi ex Augustanis Comitiis redierit, malo huic consulat. Rebus Augustæ fere ex sententia Cæsaris feliciter confectis, Conventum Ordinibus Tirnaviæ in XXV. Nov. præstituit, cui cum ipse, negotiorum causa, interesse non posset, Nicolaum a Salmis, & Thomam Nádasdium Judicem 1547.

a) Exemplum induciarum exstat Gallice apud Ribier T. cit. p. 31. Latine in Act. Process. contra Martinusium. Legati Aramontii ad regem data epist. Constantinop. 12. Jun. *Et ce avec condition que V. M. et les Veneciens seront compris audit accord, — ce qui est tout que j' ay pu faire.*

dicem Curiæ regiæ, Oratores delegit, qui
1547. ſuo nomine ad regni Status referrent, quinquennes cum Solymanno inducias eſſe confectas, caverent, ne rumori, quem malevoli ſparſiſſent, quaſi Hungaros cum ipſe, tum Cæſar, excluſos ab induciis voluerint, fidem habeant, dediſſe ſe Oratoribus ſuis mandata, ut earum exemplum Ordinibus exhiberent, nec tamen ſpem in his penitus collocandam eſſe, quas hoſtis ex ſuo fere commodo æſtimare ſoleat, darent igitur operam, ut in omnem eventum de ſubſidiis mature provideant, neve hæc, ut hactenus, per publicæ tranquillitatis turbatores, intervertantur, hos, & qui decimas Eccleſiarum diripiunt, in ordinem cogant, ſimulque in medium conſulant, ne quid, ipſe abſente, res publica detrimenti patiatur. Hæc cum Oratores expoſuiſſent, unanimi conſenſu, licet non exigua regni pars Turcis pareret, nec minor a Martinuſio Transſilvaniæ eſſet addita, ſubſidium duorum florenorum, ex omnium bonis ſine diſcrimine exigendum decrevere, quo militia Hungarica, quæ parvo contenta eſſe ſciret, mature conſcribi poſsit: ſtatutum quoque, ut, quod ex præteritorum annorum ſubſidiis nondum rite exhibitum eſſet, integre omnino numeretur. Tranquillitatis autem publicæ curam ſe quidem habituros, non aliter tamen magis huic poſſe conſuli, ſe arbitrari, quam ſi rex in regno degeret, alioquin corpus a capite avulſum

ſum

sum, ex se se iners esse, quod si id aliarum ditionum causa, fieri non posset, certe Maximilianum filium sibi subrogare velit. Cum enim Ordines, & Status universi non solum regi, sed ejus etiam hæredum imperio, & potestati se in omne tempus subdiderint, eos non minori fide, studio, & observantia in filium, quam patrem futuros esse. *a*) 1547.

XVI. Gratam suorum voluntatem rex habuit, & paucis, quæ in bonum rei publicæ constituissent, paulum aliter ordinatis, data ad eos sequente anno epistola testatus est, monuit tamen, ne quid contra inducias fieri sinerent, certum enim se interim a Rustane esse redditum, multa in confiniis, licet paucorum temeritate, fieri, quæ pactis adversentur. Precibus eorum, qui, ut Mayláthus e Turcica, & Perenius e Neostadiensi captivitate liberentur, orabant, libenter se deferre: illius quidem se curam habiturum, hunc vero non aliter dimissurum, quam si, reddita Agriensi arce, quadraginta aureorum millia, quæ ex profanatis Ecclesiæ reditibus corrasserat, fisco regio inferret. Accepta conditione, & præstito ab amicis vadimonio, liber dimissus, cum domum redire parat, in itinere 1548.

a) Instructio data Oratoribus C. a Salmis, & Thomæ de Nádasd, ad Conventum ituris. Augusta 5. Nov. & Cod. jur. patr. ad hunc an.

re obiit. Data igitur Paulo Bornemiszæ man-
1548. data, ut cum vidua, & Gabriele filio, secundum fidem a marito datam, transigeret. De eliberando Maylatho ad *Malvezzium* internuncium Constantinopolim scripsit, tametsi ante Solymanni e Persia reditum vix aliquid spei appareret. Martinusius ipse operam suam ad id se collocaturum spoponderat, magis tamen sui, quam ut regi, & captivi amicis gratificaretur, causa. Cum enim ab Isabella, & Statibus Transsilvaniæ, missis crebro Constantinopolim litteris, & nunciis, id agi intellexit, ut officio motus ad privatam fortunam redigatur, præterea in Comitiis Posonii decretum esset, ut Comitatus ab Hungaria avulsi, regno iterum conjungantur, suopte de dedenda Ferdinando Transsilvania consilium cœpit, misitque nuncios suos ad Conventum Posoniensem, qui regem absque arbitris convenirent. Admissi litteras illius exhibuere, quarum hæc erat sententia: Reginam cum filio, si de honesta utrique conditione prospiceret, paratam esse, Transsilvania decedere. Rex, cui alioquin ex pactis cum Zapolya initis, provincia jam dudum debebatur, nuncios cum responso dimisit, se, ut primum res Bohemicas penitus composuerit, cum Regina uberius de deditione acturum. Perculit ea res nuncios, qui scirent, Martinusium hæc inconsultis Regina, & Transsilvaniæ Ordinibus moliri. Re enim ipsa, ut ex eventu patuit,

tuit, id agebat, ut provinciam, non regi, sed sibi sensim affereret. *a*) 1549.

Non poterant tamen hæc ita clam agi, quin indicium Constantinopolim ad Legatum Galliæ pertingeret. Tanto magis rem Martinusius urgere, obtestarique regem, ut locum in Hungaria designaret, ubi commode cum iis, quos missurus esset, tractare possit, se Varadini mandata præstolaturum esse. Ferdinandus semel, iterumque ab homine interpellatus, negotio huic perficiendo delegerat primum Bornemiszam cum Gregorio *Sybrikio*, dein Georgium *Vernerum* addidit socium, & Nádasdium, cui mox Nicolaus a Salmis accessit, quorum consilio ceteri regerentur.

Ná-

a) Litt. Perenii ad Nádasdium Vien. 15. Jan. Andr. Báthori ad eund. ex Báthor. 22. ejusd. Cæsaris ad Solymannum, & Rustanem Augusta 4. Febr. Ferdinandi ad Secretarium Legat. Constantinopolitan. ibid. 23. Jan. apud Ribier T. II. p. 106. Item ad Cameram Posonien. Praga. 10. & 29. Mart. 29. Apr. 19. Maji. 27. Jun. & 25. Aug. Steph. Mayláth ad Gabrielem filium Constantinop. ex castro Jedicula 22. Apr. Martinusii ad Comitia Posonien. 11. Jun. ex Thorda. Myrche Vayv. Valach. ad Annam Nádasd. conjugem Steph. Mayláth, ex Bucarest 11. Jul. Instructio pro Paulo Bornemisza apud Pray P. V. p. 417.

Nádasdius cum collegis, Agria pro Conven-
1549. tu designata, Martinusium, eo ut veniret, invitavit, sed is, ut erat inconstantis animi, ad Comitia, quae Albam Juliam pro XXVII. Apr. indicta erant, & quibus Orator regis Poloniae, Nunciusque a Solymanno interfuturi essent, necessarium sibi iter instare praetexuit, orabatque, ut ipsi quoque in Transsilvaniam proficisci vellent. Apparebat, hominem de industria Conventum, quem tantopere desiderabat, subterfugere, quod cum regi perscriptum est, jussi sunt in Scepusium divertere, ut controversiam de limitibus, &
1550. aequanda Poloniae moneta cum Hungarica, ortam componerent. a) Sed quod neutris conveniret, negotium in sequentem annum ad regni Comitia differri oportuit, ad quae alios pro dirimenda lite rex deligendos censuit, quod Salmii, & Nádasdii opera alibi magis necessaria videretur. Martinusius enim intellecto, Legatum a Solymanno Viennam mitti, veritus, ne consilia sua ante tempus pro-
de-

a) Litt. Comitis a Salm ad Nádasd. Poson. 2. Febr. Franc. Kendi ad eund. ex Zeek. 16. Apr. Martinusii ad eund. ex Monostor. 18. ejusd. Commissarior. ad regem Agria 24. ejusd. Steph. Mayláth ad Nádasd. Constantinop. 12. Maji. Dogiel Cod. diplom. Pol. T. I. p. 149. Acta Processι.

derentur, Nádasdium litteris primum, poſt miſſo etiam Stephano *Ilosvai*, ſuffraganeo 1550. ſuo, monuit, ut de negotio, quod ante annum de Tranſſilvania cœptum erat, regem admoneret, ſibi videri, rem quacunque tandem rima Conſtatinopolim effluxiſſe, occupandum proinde tempus eſſe, ut deſtinatio felicem ſucceſſum habeat. Nec vana erat, quam de Legato conceperat, ſuſpicio. Venerat is quidem Viennam, ut victoriam ſui domini de Perſis relatam, regi ſignificaret, re ipſa vero, ut, quid ſuſpicioni de dedenda Tranſſilvania, quam Galliæ Legatus crebro Ruſtani ingeſſerat, veri ſubeſſet, tamquam aliud agens, exploraret. Idem Tranſſilvani, præcipue Petrovicsius, ſuſpicabantur, monebantque Reginam, ut indicto Thordam Conventu Martinuſium officio privaret, cogeretque, ad rationes redituum, quos hactenus percepiſſet, exhibendas. Id huic ad maturandam deditionem incitamento fuit.

Ne tamen ingrati animi notam incurreret, egit cum Andrea Báthori, uſus internuncio Caſpare *Horváthо*, de conditionibus, quibus provincia regi dedenda eſſet. Has autem deſignabat: Iſabella, donec Scepuſium redditum fuerit, Caſſoviam deducatur, fide tamen data, ne, reddito Scepuſio, ab Hungaria avellatur; Regina viciſsim arces, quas in Tranſſilvania peculiari jure poſsidet, Ferdinando conſignabit, proventus tamen ex

illis

illis tam diu Reginæ cedent, donec illi de
1550. dote satis fiat. Episcopatum Transsilvaniensem Martinusio conferet, ex cujus reditibus XII. millia florenorum quotannis Reginæ numerare obstrictus sit, quem, ut primum huic, ejusque filio, pro dignitate provisum fuerit, sine mora resignabit: Cumanos etiam, quoad Buda e manibus Turcarum liberabitur, eidem Martinusio subesse jubebit, omnesque excessus cum a se, tum suis commissos, benigne condonabit: præprimis autem, ut Petrovicsius præfectura Temesiensi moveatur, ratio ineunda erit: De Vayvodis Moldaviæ, & Valachiæ, ipse, quod ex usu videbitur, consilium alias suggeret. His conditionibus si rex subscripserit, mille equites gravis armaturæ, præbito stipendio, confestim mittet, de levis armaturæ sibi curam relinqueret, ut illorum subsidio, si vis adhibenda esset, uti possit. In hæc fere capita cum Báthorio convenerat, quæ ante ad regem quam perferrentur, mandata ad Transsilvanos a Solymanno allata sunt, ut monachum aut vivum, aut cæsum Constantinopolim transmittant, si neutrum posset fieri, officiis privatum ex provincia proturbent, & Reginæ solum obtemperent: Moldaviæ, & Transalpinum Vayvodas, Bassamque Budensem auxilio, si opus sit, venturos. Id classici instar erat ad perdendum monachum. Petrovicsius collecta Rascianorum Lugosiensium, & Valachorum

manu,

manu, *Csanadinum* exussit, mox arcem *Alvin-* [redacted]
zum, a Martinusio erectam, firmisque operi- 1550.
bus munitam, non tam obsidione, quam proditione cepit. Non deerat sibi Martinusius, collectis sub signa Siculis hostem e vestigio consequutus, Albae Juliae cum Regina inclusit, abstinuit tamen ab oppugnatione, solumque Petrovicsium, velut hostem publicum, sibi dedi postulavit. Id cum negaretur, verberationi datum initium est. Regina periculo territa, pactis initis in priore illum dignitate confirmavit. Vixdum amicitia redintegrata erat, cum Vayvodae ex Moldavia, & Valachia, & Bassa Budensis, prius a Regina in subsidium vocati, ex Hungaria ingruebant. Commodum Martinusius Siculorum partem securitatis causa apud se retinuerat, quibus cum magna provincialium pars, viso periculo, se junxisset, celeritate usus, Vayvodam utrumque prius oppressit, ejecitque provincia, quam Turcae adessent, in quos eadem celeritate profectus, pari fortuna profligatos in fugam conjecit. *a*)

XVII.

---

a) Cod. jur. patr. ad h. a. Litt. Episcopi Agrien. ad Nádasdium Vien. 23. Mart. Martinusii ad eund. ex Monostor. 23. ejusd. Idem ad eund. Alba Jul. 11. Maji Idem ad summum Pontif. ex Alvincz. 7. Sept. Andr. Báthori ad Nádasd.

Agria

1551. XVII. Facile providebat, qui inde motus Constantinopoli adversum se futuri essent. Suae igitur, & provinciae securitati volens consulere, litteras ad Carolum Caesarem dedit, obtestatus, ut fratri suo ad recuperandam Transsilvaniam adesse velit, idem ut Ferdinandus in Comitiis Augustanis ageret, orabat; scripsit etiam ad Fridericum Rheni Palatinum, ut Caesarem, & regem ad ferendam Transsilvaniae opem hortaretur, monuit quoque Nádasdium, ne Hungari opportunum tempus elabi sinant, periculum opinione majus esse, cui sola celeritate caveri possit. Ferdinandus, ne partibus suis deesset, mandata ad Andream Báthori, & Erasmum *Teuffel* dederat, ut ad locum a Martinusio constitutum, mature se conferrent, & quae conditiones propone-

Agria 30. ejusd. Com. Salm. ad eund. ibid. 21. ejusd. Sigism. Balassa ad eund. ex Diósgyőr 1. Oct. Anton. Verancii ad eund. Agria. 12. Oct. Franc. de Batthyán ad eund. ex Ujvár. 24. ejusd. Martinusii ad eund. Enyedino 23. ejusd. Andr. Báthori ad eund. 8. Nov. Franc. Desöfy ad eund. Jaurino 25. ejusd. C. Salm. ad eund. Agria. 27. ejusd. Com. a Tyrnftein ad eund. Comaromio 18. Dec. Acta Processf. Aramont. Legati Galliae ad suum regem Constantinop. 24. Apr. 27. Sept. & 13. Dec. apud Ribier. T. II. p. 285. — 95.

ponerentur, ſibi perſcriberent. Convenere in *Diószegh* Kalendis Febr. & prima conditionum lineamenta generatim deſignarunt, ut de iis rex ſuo arbitratu decerneret. Sub idem tempus nuncia de profligatis nuper Vayvodis, & Baſſa Budenſi Conſtantinopolim allata, Solymannum permovere, ut Transſilvanos filium reginæ, etſi pupillum, confeſtim coronare juberet, poteſtas autem penes matrem, & Petrovicsium eſſet. Hic ſine mora, imperato provincialibus Conventu, juſſa exequi conſtituerat, cum Martinuſius ex clancularis coitionibus, id, quod erat, ſuſpicatus, immiſſo in ejus bona milite, Conventuque diſsipato, coronationem impedivit. Nihilo felicior alter conatus erat. Venere rurſum nuncii ex Turcia, qui, ut illis ſenatus datus eſt, nomine Solymanni cenſum, quinquaginta millium aureorum, & arcem *Bechke* ſibi tradi poſtulabant; privatim autem Reginæ colloquuti, alia mandata afferebant, quæ primum in Comitiis *Enyedinum* ad XV. Martii indictis, patuerunt. Ad hæc Hungari, Siculi, & Saxones juſsi magno numero comparere, addito mandato, ut quævis Natio mille equites armatos ſecum duceret. Scriptum quoque Varadinum eſt Martinuſio, ut veniret, ſed ſine militia. Venit, etſi ad cædem ſe deſignatum non ignoraret, ſed Siculis, quos fidiſsimos habuit, ſtipatus venit, qua animi præ-

1551.

1551. sentia cum sibi Regina rationes conturbari videret, Conventum dissolvit, & ille dissipata adversariorum machinatione, regem orare non destitit, ut serio animum ad occupandam provinciam adjiceret, rem ob flexilem Reginæ animum non esse arduam, præsertim quod a Solymanno, qui præcipuum militiæ robur Persis in Mesopotamia grassantibus opponere coactus fuerit, parum periculi immineret. a)

Redierat Augusta Ferdinandus ex Comitiis, cum nuncii Transsilvani adfuere, quibus auditis, inito cum suis consilio, ante omnia litteras Cæsaris, & suas ad Reginam, & Petrovicsium eadem sententia scriptas, Martinusio, ut has utrique exhiberet, mittendas censuit; tum delecti Thomas Nádasdius, Andreas de Báthor, & Sigismundus ab Herberstein, qui primum cum Martinusio, ac deinde cum Regina de ineundis pactis transigant, sed cum hæc secundum pacem cum Zapolya factam, ob notabiliter mutatum interea Hungariæ statum,

---

a) Litt. Martinusii ad Palatinum Rheni Varadino 7. Jan. Nic. Olahi ad Nádasd. Augusta. 11. ejusd. Ejusd. ad eund. ibid. 17. ejusd. Martinusii ad regem ex Diószeg. 4. Febr. Andr. Báthori, & Erasmi Teuffel ad eund. ex Nagyléthe. eod. Nádasdii ad eund. Canisa. 5. ejusd. Verancii ad Nádasd. Vien. 8. Mart. Andr. Báthori ad eund. ex Báthor. 18. ejusd. Acta Process︎.

tam, omni ex parte ſervari non poſſent, hanc eis normam præſcripſit. Quoniam Scepuſium, 1551. quod Cæſar Ducatus titulo ſe ornaturum receperat, juribus Regis Poloniæ adhuc obnoxium eſſet, tres pro hoc in Sileſia Ducatus, *Saganenſem*, *Naumburgenſem*, & *Pribuſienſem*, eo jure, quo deceſſores Bohemiæ reges conferre illos ſolebant, filio Reginæ in feudum offerrent, ex quibus facile XII. vel XV. florenorum millia perciperet, ſi minus redderent, defectum nomine regis aliunde ſuppletum iri pollicerentur. Reginam autem de dote C. millium florenorum, ſecuram reddent, ſi ad hæc XL. millia, quorum Martinuſius indicium alias fecerat, adjici peteret, de his quoque ex illius conſilio decernant, agerent tamen, ut Regina de his annuum quinque florenorum cenſum, quoad rex nomen penitus dilueret, ſibi interea numerari ſinat, id ſi abnueret, certe dent operam, fidemque præſtent, dimimidium dotis confeſtim ſolutum iri, reliquum autem eodem cenſu in aliquot annos Reginæ obſtringant, conſulerent tamen prius Martinuſium, an is cenſus, quod alias pollicitus erat, ex Transſilvania confici poſsit. Si nec huic conditioni viderent conſenſuram, nec vellet in Poloniam redire, deſignent ei pro dote compenſanda, & domicilio, Ducatum *Münſterbergenſem*, vel *Frankenſteinenſem*, qui in pignore XL. millium aureorum eſſent, reliquum, quod reſtaret, parato ære exhibendum pollice-

antur: Spem quoque ei ingerant matrimonii
1551. cum Principe ineundi, ſi ad id aſpirare videbitur; filium etiam, niſi aliter ſtatuat, in aula regis pro dignitate educandum promittant.

Cum Petrovicsio, ſi aliter tranſigere non poſſent, quam ut ea, quæ nunc in ejus poteſtate ſunt, eidem, quam diu vivet, relinquantur, ne difficiles ſint, modo jurejurando ſpondeat, ſe cum ſuis in fide regis manſurum, & regni coronam reddat. Reliquos, ut *Blandratam* Medicum, & quorum operam ad conſequendum finem, neceſſariam putabunt, muneribus, & promiſsis conciliabunt, caute tamen, & ex uſu temporis, quod eorum prudentiæ permiſſum cupit. His conditionibus ſi Reginam conſenſuram intelligent, continuo ad ſe referant, ut ad eam, quæ prope Tibiſcum eſt, militiam ſupplementa mature mitti poſsint. Martinuſium præterea certum reddent, ſi Turca Transſilvaniam, aliasve provincias bello invadere ſtatueret, Principes Imperii communi ſuffragio ſubſidia decreviſſe, quorum pars media futuro Auguſto, & altera eodem ſequentis anni menſe exhibenda ſit, viciſsim autem Status, & Ordines in eo enitantur, ne ſibi, & publicæ ſaluti defuiſſe videri poſsint; inirentque ſecum rationes, quanto numero ipſi quoque militem poſsint, velintque educere: de Vayvodis Moldaviæ, & Valachiæ, Raſcianorum item ducibus, conſilium ex temporis habitu capient. Si quod dubium

in

in tractatione incideret, id secundum exempla pacificationis cum Zapolya anno 1539. 1552
& Regina anno 1542. initæ, quandoquidem utrobique eadem ferme conditionum ratio sit, pro sua in regem fide, & prudentia declarabunt. Postremum agent privatim cum Martinusio, spemque, si nihil operæ prætermiserit, ei facient, Cardinalium Collegio proxime adscribendum, & Strigoniensi Ecclesiæ præficiendum esse. *a)*

XVIII. Nádasdius, & Herbersteinius, accepta potestate, in solidum cum Regina tractandi, Varadinum concesserant, ubi accersito collega Báthorio, orationes cum Martinusio conferebant, quibus Regina ad dedendam Transsilvaniam opportune persuaderi posset. Hos paulo post consequutus est Joannes *Castaldus* cum copiis, quas postquam reliquæ militiæ ad Tibiscum conjunxisset, non poterat non id Petrovicsium advertere, qui extemplo Musiapham Begum de periculo admonuit, simul orans, ut copias suas ad Szegedinum paratas haberet, se, quod in se esset, facturum, ut monachi consilia in irritum cadant. Sed is, suppressis Solymanni ad se, & provinciales datis litteris, monitoque Castaldo, ut montium fauces ante Petrovicsium occu-

 pet,

---

a) Instructio Commissariis data Vien. 30. Mart. exstat apud Pray P. V. p. 430.

1551. pet, in Transsilvaniam contendit, ut Conventum Thordam indiceret. Confluentibus majore, quam alias, numero, quæ hactenus Transsilvaniæ causa, cum Cæsare, & Ferdinando rege egisset, quæ illi, & Imperium Germaniæ subsidia fuissent polliciti, si a Turcis, quorum conatus ad subigendam provinciam omnibus alioquin cogniti essent, periculum aliquod ingrueret; adesse Oratores a Ferdinando, qui, si Status, & Ordines paterentur, libenter cum iis conferre velint, attulisse honestissimas conditiones, & has ordine recensuit, quibus Reginæ, & pupillo, si Transsilvania decesserint, pro dignitate regia abunde sit consultum, constare etiam omnibus, provinciam ex pactis a Zapolya firmatis, Ferdinando jure deberi. Deliberarent igitur, utrum conditiones admittendas, an repudiandas censeant, illud tamen præ oculis haberent, feminam, nec Nationi, quæ armis dedita sit, gubernandæ, nec defendendæ contra hostes provinciæ, satis idoneam esse. Cum vere, & studio boni publici ductus, loqui videretur, post brevem consultationem, modo quædam conditionum capita magis explicata redderentur, in ejus sententiam itum est, missique ex Conventu, qui idem Reginæ referrent. Illa his auditis, quid enim mulier, absente Petrovicsio, cujus consiliis regebatur, aliud faceret, haud difficulter assensa est, petiitque, ut, qui se inconsulta hactenus progressi fuissent,

sent, ea quoque, quæ in conditionibus obscura videbantur, illustrarent. 1551.

Fuere autem tria præcipue: primum; Ducatibus tribus supra memoratis *Opoliensis* ut substituatur, concessum, quem donec ad XXV. Decembris redimat, Regina cum filio sedem Cassoviæ interim figet, cui ex XXIV. aureorum millibus tantum reddetur, quantum tempori ad Kalendas Novembres admensum est. Alterum; quoniam de conjuge pupillo olim collocanda, & prolibus ex eo conjugio nascituris, nihil prius constitutum erat, placuit, si regi visum fuerit, Joannam, ejus natu ultimam pupillo despondere, ea tamen conditione, ut, si is sine masculo hærede obiret, Ducatus in pristinum jus devolvatur, rex vero viduæ, habita conditionis ratione, provideat, & filias, si quas superstites relinquet, pro dignitate sanguinis, nuptui collocet. Tertium; si interea, dum Regina Cassoviæ morabitur, Transsilvaniæ periculum immineret, rex nihilominus cautionem præstet, se, quæ transacta erant, bona fide servaturum. His mutua utriusque partis stipulatione firmatis, Regina coronam Nádasdio, & Castaldo tradidit, mox sponsione futuri matrimonii, in cœnobio Monostoriensi peracta, & Transsilvanis juramenti religione solutis, cum filio Cassoviam profectura, Nádasdium, & Bathorium ad se vocatos admonuit, nunciarent Ferdinando, monachum, ut Budam Turcis prodide-

diderat, & se nunc vendidisset, haud aliter
1551. olim regi quoque facturum esse. Transsilvania egrediens, fertur monumentum versatilis fortunæ, suasu, ut creditum est, Blandratæ, arbori incisum his verbis reliquisse: *sic fata volunt. Isabella Regina. a)*

Conjectura Reginæ, eventu firmata est. Ferdinandus recuperatæ Transsilvaniæ Martinusium ob navatam operam, adjuncto Quæstoris officio, Vayvodam decreto XX. florenorum millium stipendio præfecit, nec multo post Cardinalium Collegio adlectum, Strigoniensem Archiepiscopum renunciavit. Prima huic ab adito magistratu cura fuit, ut Pontificem eorum, quæ hactenus gesta erant, edoceret, tum ut Solymanni, ad quem obscurus rumor ex Transsilvania jam pervaserat, animum leniret. Ad quod consequendum statuit, censum annuum ante tempus Constantinopolim mittere, licet Nádasdius magnopere

a) Plenipotentia Commissariis data Vien. 30. Mart. Litt. Joan. Malvezzi ad Nádasdium Adrianop. 7. Apr. Petroviesii ad Mustapham. Temesvarino. 16. Meji. Martinusii ad Nádasd. Thorda 17. ejusd. Rursus ad eund. Alba Jul. 5. Jun. Ejusd. ad eund. ibid. 7. ejusd. Castaldi ad eund. Enyedino 13. ejusd. Martin. ad eund. ex Zazsebes 27. ejusd. Solymanni ad regem Pol. Constantinop. 31. Jul. Acta Procell.

re obniteretur, moneretque, regem non aliter consensurum, nisi simul efficeret, ut Transsilvania induciis quinquennalibus inclusa censeatur, aut certe Solymanno significaret, nihil ob Transsilvaniam occupatam, quae veteri jure ad Hungariam pertinuisset, adversus inducias commissum fuisse. Frustra monitus est, misit censum, sed de industria non integrum, addidit quoque litteras ad Solymannum, Rustanem, aliosque, quibus partem rerum gestarum refert, partem extenuat, & causas in Petrovicsium detorquet, qui motus hos concitarit, ad quos comprimendos Ferdinandus militiam Germanicam mittere coactus sit, in tam perturbato autem statu impossibile fuisse, ut census integer redderetur; Reginam cum pupillo abiisse Cassoviam, ut filium suum Ferdinandi filiae despondeat, facturum se, ut pro ea, qua Imperatori obstrictus esset, fide, Germani sopito motu vel sponte excedant, vel vi exigantur. Ad extremum rogabat, ut nunciis, qui spectatae fidei sint, res ipsas coram spectaturis, tuto utrinque commeare liceat. Hic primus ad proditionem gradus fuit. 1551.

Solymannus redditis litteris aliquamdiu pacari videbatur, sed, postquam fascis litterarum a Ferdinando ad Malvezzium Internuncium missus, per exploratores interceptus, apertusque fuisset, nec omnes, quod aliquae numeris exaratae fuerint, etiam *Phebo* Legationis Gallicae Secretario in consilium adhibito,

to, legi potuissent, tum vero exorta primum
1551. suspicio, mox undique nunciis perlatis, firmata Transsilvaniæ deditio fuit: Solymannus ira in hominem accensus, & Malvezzio, quasi omnium conscius fuerit, in carcerem conjecto, mandata ad Budensem, Nicopolitanum, & Silistriensem Præfectos dedit, ut collecta militia ex proditore pœnam sumerent. Verum is a suis familiaribus, quos in aula Turcica magnis sumtibus alebat, mature de periculo edoctus, egit per litteras, nuncios, & munera cum Rustane, ut Solymanno suspicionem de se conceptam eximeret, fieri hæc omnia, ut Germanos sensim ex provincia extrudat, visurum ex eventu, quam vere, cupideque Solymanni rebus studeat. In eandem sententiam ad Beglerbegum scripsit, eumque per familiarem suum monuit, faceret, quod ex usu faciendum putaret, se nihil contra moliturum esse. Ille monenti obsequutus, trajecto Danubio sensim Tibisco appropinquabat: Andreas Báthor, cujus curæ ea regio credita erat, cognito hostis adventu, vicinos Comitatus ad arma jussit concurrere, vetuit Martinusius, nec ex Transsilvania, etsi crebro rogatus, suppetias flagitanti misit, quo factum, ut *Lippam* a nostris desertam Turcæ, nullo accepto damno occuparint, eadem ratione *Chanadinum* jussu Martinusii Beglerbego traditum est. Castaldus cum Nádasdio, ne, si moras necterent, intra montes ab hoste con-

clu-

cludantur, Lippam obſidendam cenſebant, idque Martinuſio ſignificatum. Libenter an- 1551.
nuit, cum videret Germanos, quod ſemper optabat, ſponte e provincia exceſſuros, cum autem rogaretur, ut ſuos etiam ad obſidionem adduceret, tergiverſatus eſt, moremque Nationis prætexuit, quæ militiam extra provinciam profiteri non ſoleret, mandato tandem regio adactus, copias ſuas Caſtaldo conjunxit, verum tam lente, ut de induſtria obſidionem impedire velle videretur. Moræ cauſa erant litteræ, quas per nuncium Turcicum ad Solymannum miſit, quibus ſe ad obſidendam Lippam invitum a Germanis cogi, ſignificabat. *a*)

a) Litt. Solymanni ad Martinuſium, & Tranſſilvanos menſe Junio, & Auguſto. Hujus ad illum, ad Ruſtanem, ad Hajdar Baſſam, Dumiſch Zelebi, ad Achmeth, & Ibrahim Baſſas, ad Beglerbegum, & hujus ad illum. Exſtant partim integræ, partim earum fragmenta in Act. Proceſſ. Litt. Ferdinandi ad Caſtaldum Vien. 20. & 30. Jul. Ejusd. ad Martinuſium ibid. 30. ejusd. Hujus ad regem ex Kolosvár. 31. ejusd. & 7. Aug. Ferdinandi ad Caſtaldum Vien. 14. ejusd. & ad Martinuſium 21. & 28. ejusd. Secretarii Legati Gallici ad ſuum regem. Conſtantinop. 3. Aug. Martinuſii ad Ferdinandum 8. Sept. Andr. Báthori ad Caſtaldum ex Temesvár 19. ejusd. Martinuſii ad Nádasd. ex caſtris ad *Rudus* 2. Oct. Huc quoque faciunt: *Com-*

1551. XIX. Castaldus locum prius, quam supplement a Beglerbego mitti, aut annona inferri posset, circumsedit. Praeerat illi *Ulymanbegus*, idem ille, cujus ope Martinusius, cum Solymannus Budam occupaverat, ne eodem quo Valentinus Török, malo involveretur evasit. Huic igitur ut beneficium referret, omnia, quae obsidionem morari, aut irritam reddere possent, molitus est. Nam Turcis altero die se dedere volentibus, si salvis rebus sibi abire liceret, Castaldo autem, nisi se captivos dederent, id negante, nihil non, cum res in consultationem adducta est, agebat, ut liberi dimitterentur, speciosa ratione usus, ita futurum, ut miles regis integer, alibique melius adhibendus, servetur, & Solymannus ob occupatam Transsilvaniam minus causae ad indignandum haberet. Rejecta est ab omnibus, & arx vehementius verberari coepta. Turcae serio rem videntes agi, & pene omnibus ad tolerandam obsidionem necessariis destituti, dato signo, & obsidibus colloqui petiere; missi sunt, Carolus de *Scherentain*, & Thomas de Nádasd, interpres additus est Casparus *Petrusich* Martinusii famulus, qui, dum

---

Commentarii della guerra di Transilvania del signor Ascanio Centorio degli Hortensi. Venet. 1565. Lib. 2. Autor fuit Secretarius Castaldi.

jam Turcæ deditionis capita fere ad mentem 1551.
Castaldi proponerent, oculis, & capite, ne se dederent, innuebat, quod ubi Nádasdio visum, & Castaldo postea relatum est, is Martinusium acrius deinceps observare cœpit, nihilque diligentiæ in oppugnando prætermisit. Sed ille impedimentum aliud ex alio ingerens, apparatum bellicum parcius primum administrare cœpit, mox annonam quoque nostris carius vendi, quin longius etiam a castris subduci imperavit, ut vel ipsa vehiculationum difficultate, Castaldum ad solvendam obsidionem cogeret. Cum nec sic quidem proficeret, partem suorum militum sponte dimisit, licet palam de eorum desertione questus, graves ex iis pœnas sumturum minaretur. Castaldus comperta hac fraude duces convocat, & habito cum illis consilio, assultum in sequentem diem edicit: hunc quoque ut inutilem redderet, quamprimum ad suorum castra rediit, vulgari per præconem jubet, ne quis ad asiliendum ire ausit, nocte autem ingruente arci appropinquans, cum Ulymanbego plures horas sine arbitris colloquutus fuisse, per speculatores a Castaldo subornatos deprehensus est. Id huic suspicionem movit, Turcas de assultu fuisse præmonitos, itaque hunc ex suorum consilio in aliud tempus differendum censuit, quo cognito Martinusius postridie Castaldum adiit, certo sibi constare affirmans, Beglerbegum cum Budensi Bassa, obsessis auxilio propediem affuturum,

rum, periculoſum igitur videri, dilabente
1551. ſenſim militia, hoſtem præſtolari, ſatius eſſe, ut dimiſsis Turcis, locum munitum deditione recipiat, quam prælio rem experiri, cujus exitus incertus eſſet, habere ſe privata etiam a rege mandata, quibus ſi morem non gerat, & exercitus diſcrimini objiceretur, ſe immunem a culpa futurum. Creditum eſt homini, & Turcæ dimiſsi, quamquam Caſtaldum annonæ penuria, ut ei conſentiret, præcipue moverit. Ulymanbegus, ut ſe gratum exhiberet, liberatori ſeptem equos Turcicos, & clavam ingentis precii miſit, hic illi viciſsim quatuor gradarios, & vaſa argentea, reliquis autem pannos purpureos dono dedit, duosque currus adjunxit armis plenos, quibus, ſi quid ſiniſtri, ut factum eſt, *a*) in itinere accideret, ſe tueri poſsint. *b*)

Recepta Lippa, & fidei *Aldanæ*, Hiſpani Tribuni credita, in hyberna itum. Martinuſius prior in Transſilvaniam movens, Caſtaldo ſuaſerat, ut cum ſuis ad Lippam, & in vicinia ſta-

a) Irruerat in abeuntes Melchior Balaſſa, ma gnamque ſtragem edidit, quod Martinuſius ægr ferens, regi per litteras queſtus eſt, petiitque ut pœnam ex eo ſumeret. Act. Proceſſ.

b) Act. ead. & Litt. Ferdinandi ad Iſabellam Praga 29. Dec. apud Pray P. V. p. 446. e Wolfgang. Bethlen hiſt. lib. 4.

ſtationem figeret, ne, ſi ea regio milite nudaretur, Turcarum infeſtationibus pateat. Sed is homini ex rebus in obſidione geſtis, ſibi utcunque jam cognito, parum fidens, advocato cum ſuis Sfortia Pallavicino, illius veſtigia premens, copias circum arcem *Alvinczum*, quam Martinuſius ſibi ſedem delegerat, diſtribuit, ut Lippæ, & Temesvarino, ſi periculum moneret, poſsit ſuccurrere, & monachum, hujusque familiares e propinquo obſervare. Permoleſtum id quidem huic fuit, ferendum tamen erat, ne ſuſpicionem de ſe conceptam firmare videretur. Tanto magis ſe ſe occulere, ſimulatione uti, & amicus videri volebat, ſed arduum erat, Italos, quos Caſtaldus ab obſequio habuit, diu fallere, quorum indicio non multo poſt cognitum eſt, *Dervishum*, monachorum id apud Turcas genus eſt, in cella vinaria interdiu apud illum latere, noctu autem ad colloquium admitti. Pallavicinus quoque, cujus ſtativa magis Alvinczio diſsita erant, nuncios ab eo ad Beglerbegum, & ab hoc ad illum crebro commeare, ſignificavit. Monitus propterea familiariter a Caſtaldo, reſpondit, hæc omnia regis cauſa fieri, ut ei poſſeſsionem Transſilvaniæ firmiorem reddat. Diu hac ſimulatione alter alterum circumducebat, cum Secretarius Martinuſii, horrore eorum, quæ dominus ſuus moliebatur, perculſus, Caſtaldum lacrimans adiit, &, fruſtra, inquiebat, tua, 1551.

tue-

tuorumque opera erit, nisi rex monachum
1551. hunc e Transsilvania exesse jubeat: nihil enim aliud agit, nihil cogitat aliud, quam ut te, & regis copias Turcis prodat, quo scelere perpetrato, facile sperat, se Transsilvania, depenso, quem rex Joannes persolverat, quotannis censu, potiri posse. Nec sibi optimus rex persuadeat, eum beneficiis a se collatis delinitum esse, nec enim Vayvodæ, & supremi Quæstoris officium, tum Strigoniensem Archiepiscopatum, &, ut collegio Cardinalium adnumeraretur, alia de causa ambierat, quam ut regem, vosque omnes tutius fallat, differatque eousque meditatum scelus, donec de Turcarum adventu certior reddatur: Tum vero nemo mortalium est, qui vos ex ejus manibus eripere possit. Se quidem, qui crebro litteras non solum ad Pontificem, Cæsarem, & regem, sed ad Solymannum quoque, ceterosque Bassas ejus nomine scripsisset, omnia fuisse periclitatum, ut illum a tam funesto proposito averteret, frustra tamen omnem a se impensam operam fuisse: rationes igitur mature secum iniret, quibus sibi, suisque consulat.

Castaldus, qui monachum quidem monstri aliquid alere, non dubitabat, ægre tamen animum induxit, ut, eo feritatis illum prolabi posse, sibi persuaderet. Victus tandem asseverantis fide, regem per celeres nuncios de his, quæ comperisset, edocet, acceptoque respon-

responso, videret, ne quid periculi propterea [redacted]
Transsilvaniæ immineat, suos, consultis etiam 1551.
provincialibus, advocat, periculum exponit, rogat sententias; vox una omnium erat, tollendum e medio, si se, & exercitum cum provincia salvos cupiat. Decreta morte, Pallavicinus, adlectis Marco Antonio Campegio, & Scaramucia sociis, negotium exequendi facinoris sibi deposcit. Vix illucescente die XVII. Decembris Alvinczium veniunt, litteras a rege præ foribus excubanti puero adesse, referunt, petunt admitti, admissi litteras exhibent, quas dum ille legit, Marcus Antonius semel, iterumque sicam gutturi legentis immergit, prolabentem, & loqui volentem ceteri vulneribus cæsim, punctimque feriunt, & trucidant. *a)* Hic ambitiosi viri exitus fuit: cetera, cum nihil mediocre in eo fuerit, si potestatem sibi creditam, &, quæ illius fere ubique comes erat, fortunam temperamento quodam moderari novisset, ad summa quæque factus. Hæc, quoniam scriptores, qui viri casum memoriæ prodiderunt, magnopere a se discrepant, *b)* ex litteris autogra-

---

a) Litt. Castaldi ad Nádasdium ex Zazsebes 17. Dec. Act. Processf. Centorio l. cit. lib. 3.

b) Inter hos minime omnium veritati litat Canonicus *Bechet* in opere, cui titulum fecit: *Histoire du Ministere du Cardinal Martinusius*, ar-

[redacted] tographis, actisque publicis, licet prolixius, 1551. quam voluerim, promenda existimabam, cum ut vera a falsis secerni possint, tum ut regem ab invidia, qua passim per Europam propterea, præsertim in Italia laborabat, vindicarem. *a)* Cædis patratores variis subinde suppliciis affecti periere. Marcum Antonium Alexandriæ in furcam actum, Campegium Augustæ dextra manu in rixa truncatum, Viennæ ab apro effusis visceribus discerptum, & Scaramuciam in Gallia Narbonensi a militibus confectum memorant. Pallavicinus, nondum evoluto anno, a Turcis captus, XVI. aureorum millibus, regis, & conjugis beneficio redemtus est. *b)*

Didi-

archeveque de Strigonie, Primat, & Régent du royaume de Hongrie, avec l' origine des guerres de ce royaume, & de celles de la Transsilvanie. Dedie A. S. A. S. Monsigneur le Prince Rakoczy. à Paris. 1715. Erronea etiam sunt, quæ Odoric. Raynaldus annal. Eccles. ad an. 1551. refert, documentis destitutus.

a) Act. Processf. litt. Ferdinandi ad Isabellam 7. Jan. anni seq.

b) Litt. Franc. Batthyán ad Nádasd. Vien. 27. Aug. 1552. Franc. Strepati ad eund. Vien. 8. Sept. 1557. Centorio l. cit. Istvánfi l. 17.

Diditus de nece rumor variis per Europam opinionibus locum fecit, præsertim in Gallia, quæ quo diligentius per Legatos suos Constantinopoli agebat, ne Transsilvania in potestatem Ferdinandi veniret, & ad id etiam opera Martinusii utebatur, eo magis e medio sublatum doluit, & Ferdinandum invidiæ aliorum objecit. a) In Transsilvania minor, quam apud exteros, animorum motus fuit. Castaldus enim, confestim vulgatis per provinciam litteris, causas prolixe exposuit, cur hominem e medio tolli jusserit, quibusve ærumnis, si viveret, omnes fuerint involvendi, declaravit, quæ cum a nuncio recens intercepto, & quæstionibus subjecto firmata fuissent, pauci erant, qui ejus mortem graviter ferrent, aut non jure sublatum dicerent, mallentque Ferdinandi potius imperio parere, quam paratum sibi jugum Turcicum subire, magisque paulo post in fide confirmati sunt, cum ex confessione alterius 1551.

H 2 Tur-

a) Falluntur, qui thesaurum Martinusii in causa fuisse putant, cur cædi juberetur. Constat enim ex Actis Processs. & Castaldi litteris ad regem Hispaniæ ex Zazsebes 16. Oct. scriptis, hunc jussu Martinusii, dum Lippa obsidebatur, per 30. bajulos e Transsilvania, prætextu stipendii militibus solvendi, elatum, & in Varadinensi arce repositum esse.

[redacted] Turcæ patuit, Rustanem XL. millia Tartarorum;
1551. cum non temnenda Turcarum manu, Moldaviæ item & Valachiæ Vayvodis, grandique ære stipendiis destinato, pollicitum Martinusio fuisse, quibus regium exercitum ex Transsilvania ejiceret, & hoc ejecto, aut cæso, Posonium, inde Moraviam, & Silesiam invaderet, Viennamque infestaret. Quibus cognitis Ferdinandus, ut mature periculum averteret, Bathorio Transsilvaniam interea curare jusso, Conventum ad XVIII. Januarii sequentis anni Posonium indixit. *a)*

XX. Prius tamen, quod patratæ necis caussæ nondum in Hungaria satis cognitæ essent, has per regnum prolixis litteris vulgavit, ut Status, & Ordines, perspecta periculi, quod Hungariæ etiam imminebat, gravitate, tanto frequentiores Comitiis interessent, & ad hanc servandam pro virili opem suam conferrent. Spei respondit eventus. Primum regi pro cura, quam recuperandæ Transsilvaniæ impenderat, gratiæ habitæ, ad quam deinceps conservandam, aliaque ab regno propulsanda pericula, præter militiam, si rex, aut Maximilianus filius copias ducerent, Nobilibus viri-

a) Acta Processl. Litt. Ferdinandi ad Hungariam, apud Pray P. V. pag. 449. & 50. Cardinalis de Selve ad regem Galliæ. Venetiis, apud Ribier l. c. T. II. pag. 370.

viritim imperatam, de viginti colonis Eques, de decem unus Pedes constituti; qui signa se- 1551.
qui detrectarent, aut injussu ducis ea desererent, pœna capitis, præter infidelitatis notam, dictata: militi Hungaro, ne, ut fere hactenus, externo ære aleretur, subsidium pro hoc anno trium florenorum, in duos autem consequentes unius, & dimidii statutum; neve coloni injuriis militum pateant, annonæ, rerumque aliarum precia ex æquo definita; illata damna ex suis quisque rebus, vel stipendio sarciet; si Præfecti ad hæc conniverent, vel suos prædatum excurrere paterentur, tamdiu gradu motii in vinculis hæreant, donec duplum illati damni persolverint. Datum deinde negotium Dominico Doboni, ut coronam regni, quam Nádasdio, & Castaldo ab Isabella traditam, memoratum est, in Hungariam referret; & Andreas Báthori Transsilvaniæ Vayvoda renunciatus est. Ne præterea quidquam rex intentatum relinqueret, litteras ad Rustanem dedit, quibus causas, cur Transsilvaniam, quæ & vetusto jure, & ex pactis sibi debita erat, occupasset, nihilque propterea induciis adversum fuisse actum, explicuit, quæ, si Malvezzius e custodia liber dimitteretur, & Oratoribus, quos esset cum donis missurus, tuto ad Solymannum venire licuerit, luculentius se declaraturum, significavit; simul Legatus ad regem Poloniæ missus, qui illum ad societatem armorum invitaret.

Verum ante, quam litteræ Rustani essent
1552. redditæ, jam Turcæ Martinusii subsidio destinati, cum regiæ militiæ robur in Transsilvania hærere comperissent, bellum in Hungariam traduxerant. Id minus propitia nobis fortuna gestum. Dum nostri Szegedinum occupant, hostis interea in plures partes divisus, post *Dregel* arcem interceptam, *Gyermato*, *Szecsenio*, & castro *Saghiensi* exustis, Veszprimium aggresi, decem dierum obsidio ob *Hajdonum*, qui locum tueri debebant, rebellionem subegit. *Achomates*, is Turcas ductabat, occupato Veszprimio, ut Castaldum e Transsilvania proliceret, copias *Temesvaro* admovit, *Losoncius* mensem integrum obsidionem, magno hosti illato damno, fortiter sustinuit, ad extremum, cum nec suppetiæ e Transsilvania, cui Moldavi minabantur, adesse possent, & pulvis tormentarius, annonaque deficerent, salutem commilitonum pactus deditionem fecit. Egressos, suique securos Turcæ, violata fide, aggressi magnam partem, non tamen inultos, cædunt, *Losoncius* fortiter dimicans, cum, accepto jam lethali vulnere, evadere nititur, e fuga retractus capite truncatus est. Temesvaro dedito, *Caransebesum*, & *Lugosum* sponte se subdiderant. *Aldana*, vicino hoste territus, corruptis supposito pulvere tormentis, & mœnibus, *Lippam* turpiter deseruit; qua ab hoste restaurata, eadem facilitate, *Solmosia* arx, & *Csanadi-*

num

nam occupatum est. *Achomates* hoc successu [redacted]
tumidus supra centum millia *Agriæ* circum- 1552.
fudit. Ferdinandus, etsi quidem Stephani *Dobonis*, qui arci præerat, virtuti plurimum tribueret, veritus tamen, ne hostium numero opprimeretur, Mauritium Saxonem, contracta undique militia, opem ferre obsessis jussit; verum is magna æstatis parte, donec plures confluerent, in castris ad Jaurinum hæsit, cum Turcæ interea summa vi Agriam oppugnarent. Difficile dictu est, utrum diuturniore pertinacia hostis impeteret, an majore periculo, & constantia, novisque inventis nostri locum tuerentur. Nihil non a Turcis actum, ut cuniculis, ignitis globis, & pluribus eodem tempore, diverso loco tentatis assultibus obsessos lassarent: Frustra omnis conatus erat. Nihil etiam fraude profectum. Stephanus *Hegedûs*, qui arcem de pacto precio prodere volebat, de perfidia convictus pœnam capitis subiit. Frustra quoque fossis, terra, & ligno, arcis muro æquatis, res tentata. Toties rejecti, universis viribus, assultu tribus in locis tota fere die, submissis recentibus semper copiis, frustra producto, obsidionem, majore, quam tertia, exercitus parte amissa, solvere coacti sunt. *a*)

 Ser-

a) Cod. jur. patr. ad h. a. Litt. Episc. Jaurin. ad Nádasd. Poson. 26. Jan. Castaldi ad eund. ex

1553. Servata Agria magno omnibus incitamento fuit, ut in Sopronienſi Conventu opem regi in defenſionem regni liberaliter offerrent. Præter ſubſidium duorum florenorum, aliud quoque decretum, ex quo ii, qui in ſervanda Agria inclaruerant, præmium obtinerent, reliquum captivis redimendis impenderetur, & cum res ab ſe loqueretur, tot arcium jacturam anni prioris non aliunde, quam ex lente coacta militia, profectam fuiſſe, cuivis Comita-

---

ex Koloſvár. 28. Febr. Joſ. Macarii ad eund. Patavio 9. Apr. Franc. Kendi ad eund. Thorda 16. ejusd. Ferdinandi ad Ruſtanem. Liſcio 24. ejusd. apud Ribier. T. II. pag. 402. Epiſc. Jaurin. ad Comit. Veſzprimien. Poſon. 28. Maji. Joan. Balaſſa ex Komiath. 12. Jul. Eraſmi Teuffel. Leva. 20. ejusd. Ladisl. de Geuzboth. Vien. 3. Aug. Franc. Batthyán. ibid. 27. ejusd. Mauritii Duc. Sax. ad Franc. Bebek. Jaurino. 15. Oct. Joan. Ungnad ad eund. ibid. 10. ejusd. Supplicatio OO. Hung. ad Conv. Patavien. Poſon. 26. Jul. Solymanni ad Andr. Báthori. & Tranſilv. apud. Pray. P. V. pag. 481. Litt. Epiſc. Jaurin. ad Nádasd. Poſon. 23. Oct. Codignac Legati Gall. ad ſuum regem. Conſtantinop. 24. ejusd. Regis Gall. ad Solymannum Rhemis. 28. Nov. apud Ribier. T. II. p. 408. & 10. Iſtvánfi l. 18.

mitatui imperatum, ut copias statarias in numerato habeat, quae cis, ultraque Danubium, & Tibiscum, Hungaris Praefectis obnoxiae, quocunque periculum vocaverit, semper praesto sint. Ne autem exequendis mandatis morosa consilia, ut hactenus, obessent, rogatus rex, ut, si ipse non posset, Maximilianus in regno resideret, qui praesentia, & auctoritate sua quemvis officii sui admonere, &, ut mandatis pareat, cogere possit. 1553

Religionis etiam, quae Pastorum defectu sensim labascebat, non postrema cura est habita. Strigoniensi Ecclesiae Nicolaus *Olahus*, Agriensi Franciscus *Ujlakius*, Transsilvaniensi Paulus *Bornemisza*, Mathias *Zaberdinus* Varadiensi, Quinqueecclesiensi Antonius *Verancius*, Vaciensi Blasius de *Varadinopetri*, & Paulus de *Gregorianc* Jaurinensi, Antistites dati sunt, & leges priorum annorum, ut prisca tot seculorum religio ad pristinum florem reducatur, &, quae novitatem praeferret, tollatur, rursum confirmatae, poenaeque in eos statutae, qui Episcopos, & verbi divini praecones vituperiis, contumeliis, aut verberibus afficerent, quive Ecclesias destruere, profanare, spoliare, & sacras imagines flammis addicere ausint, luculento satis indicio, quantum mali studium novandae religionis, e Germania sensim etiam in Hungariam intestini dissidii, & belli tempore invexerit.

Conven-

& pacis conditiones uberius propoſituri eſſent.
1553. Difficilem ſe primum præbere viſus eſt, & *Aramontius* Galliæ internuncius nihil non apud Ruſtanem egit, ut Legatorum conatus impediret, id enim Ferdinandum agere, ut pace, vel induciis conciliatis, copias Carolo fratri, ad opprimendum ſuum regem, conjungat, id autem ſi fieri pateretur, inconſtantiæ notam in Solymannum redundaturam eſſe. Verum is, audito Ruſtane, ne ſibi cum duobus hoſtibus eodem tempore negotium eſſet, rem ex ſuo magis, quam fœderati regis commodo metiens, Legatos bene ſperare juſſos ab ſe dimiſit, datis ſimul ad *Tuygonem* Baſſam Budenſem, mandatis, ut, cum Oratores regii adfuerint, incolumes Conſtantinopolim deduci jubeat, & interim ab omni hoſtilitate abſtineat, tum revocata, ad tuenda Græciæ litora, ex mediterranea claſſe, apparatus in bellum Perſicum fieri juſſit. His intellectis Ferdinandus Antonium *Verancium*, Quinqueeccleſienſem Epiſcopum, & Franciſcum *Zay*, claſsis Danubianæ Præfectum, Oratores deligit, qui, quod Transſilvani Legati cœperant, ad finem perducerent, ſimul rationem agendi, quam cum Baſsis tenerent, in hanc ſententiam præſcripſit.

Cum Budam venerint, obtento a Tuygone Baſſa libero, tutoque commeatu, Conſtantinopolim properabunt, hic Ruſtanem præ reliquis, ſibi ut pollicitatione faventem red-

reddant, omnes nervos contendent, spemque ei ingerant, si industria sua effecerit, ut Hungaria iisdem limitibus comprehensa, quibus sub Ludovico rege fuit, in Ferdinandi potestatem veniat, perpetuaque pax coalescat, primo anno XXX. millia, altero XX. deinceps autem, ut Joannes rex solebat, quotannis decem millia aureorum, muneris honorarii loco, obtenturum: sin vero restitutis omnibus locis, quae anno superiore occupata erant, induciae solum aliquot annorum concederentur, tum eidem primo anno quinque, & reliquis tria aureorum millia, durantibus induciis pendenda, promittent. Deinde modeste querentur, *Malvezzium*, qui hactenus internuncii regii partes egisset, contra jus gentium, omnesque aequitatis rationes, innocuum custodiae fuisse traditum, agent proinde omni studio, ut liber dimittatur, quod si obtinuerint, cum eodem, qui multorum annorum usu morem aulae Turcicae sibi probe cognitum haberet, consilia sua in rebus tractandis conferent, petentque a Rustane, ut, quanto celerius fieri potest, ad Solymannum admissi negotium, cujus causa venissent, ei proponere liceat. Similiter operam dabunt, *Achomatem*, & ab hoc *Ibrahimum*, & *Haydar* Bassas, qui a Rustane proximi sunt, facta annui muneris honorarii spe, sibi, suaeque causae concilient, in eo autem praecipue enitentur, ut primariam Solymanni conju- 1553.

gem,

Kemény, & *Arimai*, qui Constantinopoli redierant, auditi, his subrogati Sebastianus *Zékely*, & Stephanus *Budai*, qui censum Solymanno adferrent, neve ulla mora interponeretur, Petro *Haller* Thesaurario mandatum, ut hunc mutuo, aut alia quavis ratione corraderet, quo uterque celerius mitti, & mandata regis exequi possint. His in provinciæ commodum statutis, novi in Hungaria motus a Petrovicsio excitati sunt. Venerat is ex Polonia *Munkacsinum*, quod ex pactis a rege obtinuerat, ubi cum Clemente *Arthandi* consilia plena periculi agitabat, inde *Debrecinum* digressus. Nobiles vicinorum Comitatuum in suas partes nitebatur pellicere, ab his rejectus, Turcas Szolnokenses, & *Kuzon* Bassam accersiit in subsidium, his conjunctus spem recuperandæ pro Isabella Transsilvaniæ conceperat, præsertim, quod Siculos res novas moliri, & Budensem Bassam auxilio venturum, intelligeret. Commodum huic *Malvezzius*, Constantinopoli ad regem dimissus, in itinere factus obviam, quid Solymannus de induciis constituisset, retulit, eumque a consilio juvandi Petrovicsium avertit, qui, ubi se a Turcis deseri, & copiosam illarum partium Nobilitatem ad *Nyved*, duobus stadiis Varadino dissitum, in castra convenire audierat, receptum parans a Zaberdino Episcopo, & Tahio, magna suorum strage, in fugam conjectus est. Siculi quoque brevi post in

1553.

in Conventu *Somkerekiensi*, positis armis quievere. Castaldus, cum se praesentibus Vayvodis invisum omnibus cerneret, impetrata missione, constituto, qui Germanis, & Hispanis interea praeesset, legato, e Transsilvania, invidiam caesi Martinusii secum ferens, discessit. *a)* 1553.

XXII. Malvezzius interea Viennam veniens, ut ad regem admissus est, in quem locum Oratores rem Constantinopoli adduxerint, ordine retulit. 1554. Solymannum in anni prioris exitu Alepum cum exercitu profectum esse, ut, exactis hybernis, primo vere in Persas movere possit; Rustani suffectum Achomatem, qui minus illo regis partes foveret, ab induciis quidem non abhorrere Solymannum, sed ea conditione, ut Isabellae filio aliquot arces in Transsilvania permittantur, nec enim se puero, cujus tutelam susce-

a) Litt. Ferdinandi ad Petr. Haller. Vien. 3. Jun. Casp. Pécsi ad Nádasd. ibid. 29. Jul. Zaberdini ad Franc. Tahi Varadin. 1. Aug. Nic. Olahi ad Nádasd. Vien. 5. ejusd. Ferdinandi ad Petr. Haller ibid. 13. ejusd. Casp. Pécsi ad eund. ibid. 5. & 11. Sept. Ejusd. ad eund. ibid. 25. ejusd. Andr. Báthori ad eund. ex Eched. 29. Oct. Episc. Bornemisza ad eund. ex Somkerek 8. Nov. Joan. Paxi ad eund. Comarom. 4. Dec.

susceptisset, ullo modo deesse posse, optareque, ut illi hac ratione consulatur, donec
1554. de statu ejus aliter ordinando se occasio offerret: sed id Oratoribus periculosum videri, si enim concessum fuerit, ut puer vestigium in Transsilvania figat, brevi futurum, ut plerique ejus partes sensim amplectantur. Sub idem fere tempus ab Oratoribus significatum est, Solymannum alia omnia, quam præ se ferret, agere, qui nuper scriptis Alepo litteris, Petrovicsium *Lugosino*, & *Caransebeso* donatum, Transsilvaniæ præfecerit, omnemque operam jusserit impendere, ut Reginam cum filio in provinciam reducat. His a rege in consultationem adductis, nova mandata exspectare jussus est, eaque Constantinopolim perferre, ob nuncium tamen a Vayvodis allatum, quo Isabellam cum filio reditum in Transsilvaniam parare, eamque a pluribus cupide exspectari, significabatur, destinatio in aliud tempus differri debuit, cumque fama in dies etiam e Polonia firmaretur, rex ad Calendas Martias Ordines Posonii adesse jussit. Convenere ad præstitutum diem, & præter subsidium, si res Transsilvaniæ causa ad bellum veniret, collatum, pœnamque in Præfectos militares, qui creditam sibi stationem metu, ignaviaque desererent, statutam, illud a rege præprimis flagitabant, ut Palatini magistratum, qui ab obitu Stephani Báthorii vacabat, ex legum præscripto instaurari

rari juberet. Ex candidatis electus eſt Thomas Nádasdius, per omnes tam in militari, quam civili re publica gradus ad primam a rege dignitatem Ordinum ſuffragio evectus. In *Aldanam*, qui *Lippam* turpiter prodiderat, conſtituto militari concilio, perfidiæ convictum, ut ceteris exemplo eſſet, pœna capitis decreta. *a*) 1554.

Comitiis ad finem vergentibus repente ad invidiam regi conflandam rumor diditus eſt, miſſum eſſe ſicarium *Petricoviam*, ut filium Iſabellæ, hic enim degebat, e medio tolleret. Id plerique Petrovicsio ſubornante factum judicabant, ut ſpecioſam cauſam recuperandæ Transſilvaniæ, quo illius curæ ſemper ferebantur, prætexeret. Vulgata fama, cui nunquam non aliquid veri ſubeſſe ſolet, regem permovit, ut Malvezzium cum novis mandatis ad Oratores remitteret: accedebat illud quoque, quod Turcæ violatis induciis, duce *Hazanbego*, nuper e captivitate dimiſſo, *Filecum* in Hungaria, & in Croatia *Chasmam* cum *Verucia* occuparint. Malvezzius Vienna dimiſſus, cum ob claſsiariorum, *Nazadiſtas* vocamus, tumultum, Comaromii ſubſiſtere cogeretur, & mox in gravem morbum incideret, Ferdinandus Augerium *Busbe-*

a) Iſtvánfi l. 18. memorat, illum Mariæ, Maximiliani conjugis, interceſſu liberatum eſſe.

quium e Belgio accitum ei ſubſtituit. Eadem
1554. huic, quae *Verancio*, & *Zaya*, mandata ſunt data: illud adjectum, ne in cenſu annuo, Transſilvaniae cauſa, pendendo ultra XXV. millia aureorum progrediatur, ſpem quoque iis faceret, qui abſente Solymanno rerum curam habent, muneris honorarii, ea ratione, qua illi ſe in Oratorum poſtulata proclives oſtendent, dederintque operam, ut induciae meliori fide ſerventur, neve Praefecti coloniis, qui ex pacto mediam tributi partem Solymanno, & regi mediam pendunt, hanc deinceps vi eripiant. *a)*

Busbe-

a) Cod. jur. patr. ad h. a. Litt. Epiſc. Bornemiſza ad Nádasdium, ex Gyalu. 16. Febr. Franc. Kendi, & Steph. Dobo ad eund. ex caſtro novo. 14. Mart. Solymanni ad Transſilv. Alepo. 7. Apr. Ferdinandi Poſon. 15. ejusd. apud Pray P. V. pag. 497. Caſp. Pécsi. Vien. 20. ejusd. Ferdinandi ad Oratores ſuos. Vien. 25. Maji. Epiſc. Zaberdini ad Nádasd. Gyula. 31. ejusd. Joan. Balaſſa ad eund. Veteroſolió 21. Sept. Euſtach. de Keledz ad eund. Caſſov. 22. ejusd. Pauli Zarkandy ad Epiſc. Ujlak. Agr. 24. ejusd. Verancii ad eund. Conſtantinop. 24. ejusd. Franc. Zay ad Nádasd. ibid. 25. ejusd. Steph. Dobo ad eund. ex Vincz. 3. Nov. Ferdinandi ad Oratores. Vien. 6. ejusd. Inſtructio pro Augerio Busbequ. ibid. Vien. 23. ejusd. Tuygon Baſſae Buden. ad Nádasd. ex Rákos. 28. Jul.

Busbequius sub finem Novembris Vienna discedens ut Budam venerat, suffecto sibi hic Legato, Paulo *Deák* de *Palyna*, sequente anno ipsis Calendis Januarii Constantinopolim attigit, rebus interea magnopere mutatis. Achomate enim jugulato, Rustanem in priorem dignitatis locum repositum reperit, qui, ut ante bellum Persicum Oratoribus faverat, ita hoc feliciter confecto minus tractabilem se præbuit. Quod, si Malvezzius morbo non præpeditus ante finem belli adfuisset, vitari, & stabilem pacem confici potuisse, Busbequius facile intellexit, nec tamen propterea cum collegis in credita sibi provincia quidquam negligendum, & meticulose tractandum putabat, tametsi videret, rem difficultate non carituram, quod ab adventu suo certis indiciis comperisset, Petrovicsium jam anno priore a Solymanno Transsilvaniæ præfectum, admonitumque fuisse, ut Reginam cum filio in provinciam reduceret. 1555.

Interea Ferdinandus malignum rumorem, quasi in filium Reginæ sicarium constituisset, jam late per Europam propagatum dissipare volens, scripsit ad regem Poloniæ, ut in eum locum, in quo sicarius tenebatur, viros fide dignos præstituto tempore mitteret, qui cum Georgio *Rakovszki*, quem illuc destinasset, captivum ad detegendam veritatem quæstionibus subjicerent: sua enim magnopere referre, ut tam gravis criminis suspicionem a

se amoveret. Rakóvszkius acceptis mandatis itineri confestim se accinxit, rectaque *Visniczam* profectus Reginam adiit, expositaque adventus sui causa, rogabat, ut, cum nemo adhuc ex Polonis ad condictum tempus adesset, liceat sibi interim adire sicarium, & præsentibus, quos fide dignos putaret, quid rei subesset, ex illo rescire. Regina tergiversari primum visa est, mox per Cancellarium suum responderi jussit, se magis de virtute Ferdinandi, ejusque magnanimitate persuasam esse, quam ut tantum scelus, obscuri hominis testimonio, regi ausit appingere, nec posse se, inscio patre rege, quidquam constituere, satius videri, si re, cui alioquin pauci etiam e vulgo fidem habeant, supersederetur. Verum, cum ille identidem urgere non desisteret, veniam obtinuit, ut *Violunum*, ubi captivus teneri dicebatur, concederet. Illuc digressus intellexit loci Præfectum, cujus curæ sicarius erat creditus, in Russiam abiisse, igitur ejus vicarium adit, petit, ut sibi cum captivo Hungaro loqui liceret, ille negare, quidquam ad id mandatorum se a Regina habere, nec de Commissariis a rege constitutis aliquid accepisse. Quare composito se circumduci videns, litteras conducto bajulo ad Præfectum dedit, a quo cum in sextum diem frustra responsum exspectat, concitis urbis primoribus scriptum porrigit, quo se a rege Ferdinando missum

1555.

esse,

esse, protestatus, ut in consortio delegatorum Poloniæ ex captivo resciret, a quo ad necem filio Reginæ machinandam subornatus esset? jussum se propterea ad hanc urbem venire, sed nec delegatos a rege adesse, & Præfectum iter longinquum de industria, nec alia de causa suscepisse, quam ne cum sicario loqui, ex eoque veritatem exsculpere posset: hæc se idcirco protestari, ut ostenderet, nihil a se, quod ad detegendam veritatem, famamque regis sui vindicandam pertineret, prætermissum fuisse. Inde domum redux seriem actorum ad regem perscripsit, adjecitque, se, cum apud Reginam, & *Violuni* moraretur, diligenti indagatione famulorum suorum comperisse, communem tam in aula Reginæ, quam vicinis urbibus sensum obtinere, captivum præ nimia tormentorum, quibus excruciabatur, acerbitate fassum esse, se a Thoma Nádasdio regni Palatino ad id facinus subornatum, sed a dolore sibi redditum rursus negasse, & constanter etiam nunc negare. *a)* 1555.

a) Busbequii epist. ad Nádasdium Constantinop. 5. Febr. inter editas secunda. Litt. Georgii Verneri ad eund. Eperies. 15. Mart. Relatio Georg. Rakovszki ad regem Violuno. 26. ejusd.

1555. Tam exquifita in occultando homine, ex quo uno vulgati criminis veritas, aut falfitas in lucem protrahi poterat, fedulitas luculento indicio eft, rumorem de ficario ex compofito fparfum effe, ut Ifabellæ, quam privatæ vitæ jam tædebat, fpeciofam caufam pro reditu in Transfilvaniam prætexerent, de quo jam ante per occultos nuncios Conftantinopoli opera Legati Galliæ agitatum erat, & recens, Francifco *Csanády* ad Solymannum *Amafiam* miffo, filii nomine petebat, ut in priftinam poffefsionem reponeretur. Non latebat id Oratores noftros, qui communi confilio Busbequium ad regem, ut in re tam ancipiti nova mandata afferret, remittendum exiftimabant, ipfi autem impetrato commeatu Ifabellæ Oratorem, ut ejus conatus everterent, confequuti funt. Accelerationem fuadebat periculi gravitas. Solymannus enim parum Ferdinandi litteris, quas ad eum dederat, tribuens, Ifabellæ filium rurfus in tutelam recepit, pollicitus, fe mandata ad Græciæ Præfectos daturum, ut ei ad recuperandam Transfilvaniam adjumento fint. Regina his promifsis illecta cum filio *Zonoćum* in Hungariæ, & Poloniæ confinio fitum venit, cum interea Baffa Budenfis ad Varadinum, Petrovicsius ad Lugofinum, & Moldavi, ac Valachi in Transfilvaniæ limitibus copias cogerent. Jam omnia in promtu erant, ut Regina in provinciam induceretur, cum repen-

repente ſtudio Oratorum apud Solymannum interpoſito induciæ in ſex menſes prorogatæ 1555. ſunt, ſed mala fide a Turcis ſervatæ, qui *Babolcsam*, & *Corothnam* interim, noſtris induciarum fide ſecuris, occuparunt, nec ante rapinis finis factus, quam Solymannus juſtis Ferdinandi querelis motus ſevere imperaſſet, ne quid hoſtiliter auderent, donec Busbequius rediret, qui per idem plane tempus Conſtantinopolim cum novis mandatis, & muneribus advenerat, indeque *Amaſiam* ad collegas profectus exiguam pacis in ſolidum conciliandæ ſpem ſupereſſe vidit, quod hanc Solymannus non aliter inire propoſitum habebat, niſi rex Iſabellæ filio præter Transſilvaniam *Varadinum*, *Gyulam*, *Caſſoviam*, aliaque cis, ultraque Tibiſcum inſigniora loca cederet, in qua ditione cum multi, qui Ferdinandi partes ſequebantur, bona poſsiderent, resque in utramvis partem difficilis conſultationem Ordinum poſcere videretur, comitia ad Calendas Januarias Poſonium indicta ſunt. *a*)

XXIII.

a) Litt. Epiſc. Bornemiſza ad Nádasdi ex Székelyvásár 5. Maji. Tuygon Baſſæ ad regem ex Kelenföld. 15. ejusd. Caſp. Pécsi ad Nádasdi Auguſta. 17. Jun. Fanc. Zay ad eund. Conſtantinop. 30. ejusd. Mich. Takaró ad eund. ex Tihany 3. Jul. Steph. Dobó ad eund. ex Zazſe-

XXIII. Hæc, cum rei momentum in ce-
1556. leritate situm esset, spacio XV. dierum, seposito altercandi studio, finem habuere. Præter subsidium consuetum quinquaginta numi, & operæ ad muniendas arces constitutæ, si bellum per Legatos gereretur: Nobiles de centum colonis decem Equites se ad id missuros, sin rex copiis præesset, viritim cum eo se ituros polliciti sunt. Eodem pene tempore Transsilvani, quos Petrovicsius adventantis Solymanni fama territabat, celebrato *Vásárhelyini* Conventu, nuncios ad regem misere rogatum, vellet pro sua in provinciam cura copias eo numero mittere, quæ hosti propulsando pares sint, alioquin sibi vitio, & fraudi minime verti posse, si alterius domini impe-

Zaszebes. 3. Aug. Pallavicini ad regem ex Csehi. 21. Sept. Maximiliani Boh. regis ad Nádasd. Vien. 29. ejusd. & ad Oratores. ibid. 23. ejusd. Regis ad eosd. Vien. ad eosd & ad Solymannum Oenipont. 4. Oct. Hujus ad Isabellæ filium, Amasia. 15. Maji. Ejusd. ad Ferdinandum regem. ibid. 1. Jun. Hujus ad Solyman. Augusta 17. Sept. & eod. ad Oratores. Rursum ad eosd. Oenipont. 4. Oct. & Hungariæ OO. Vien. 13. Nov. apud Pray. l. c. pag. 507. Codignac ad regem Gall. Martines ad eund. Constantinop. 20. Maji, & 2. Jul. apud. Ribier. T. II. pag. 559.—78.

imperata facere coacti fuerint, oratum proin velle, ut in eum eventum se a fidelitatis juramento solutos pronunciare non gravetur. Hæc ad speciem dicebantur, jam enim multo ante ad Isabellam respiciebant, quæ per nuncios apud Solymannum, & regem Galliæ, ut non solum Transsilvania, sed ea etiam, quæ conjux in Hungaria possederat, sibi redderentur, Petrovicsii suasu agebat. Ac Gallus quidem, quod ad Transsilvaniam attinet, operam suam se interpositurum receperat, a reliquis autem ut abstineret, & sponsioni nuptiarum cum Ferdinandi filia renunciaret, monuit. Hæc dum Legatus Galliæ cum Rustane regis sui nomine agit, nuncii e Transsilvania Viennam, ut periculi gravitatem regi proponerent, venere: auditos bono esse animo, &, quid Oratores cum Solymanno confecissent, exspectare, nihilque interim in provincia innovare jussit. Responsum non perinde ab omnibus acceptum est: major pars, eorumque in primis, qui Lutheri, & Calvini doctrina imbuti erant, constans Ferdinandi in religionem avitam studium aversati, Petrovicsium cum Moldavis, & Valachis accersierant, qui sine mora Transsilvaniam mense Martio ingressus, abrogatis in *Sebesiensi* Conventu Ferdinandi Statutis, & occupatis Episcopi, ac Capituli Bonis, Albam Juliam obsedit, qua subacta, facile reliqua in potestatem redegit; *Dobó* provinciæ 1556.

Vay-

1556. Vayvoda, *Kendius* enim ejus collega, jam ad Isabellæ partes transierat, in arce nova inclusus tenebatur, quo factum, ut plerique in verba Isabellæ, ejusque filii jurarent; Andreæ de Báthor LX. dierum mora deliberandi concessa, in quam partem se dare vellet: Franciscus *Bebek*, Gabriel *Perényi*, & Georgius *Báthori*, sponte defecerant.

Turcæ interim, ne nostri Transsilvaniæ possent opitulari, *Szigetum* obsederant, a quo semel, iterumque Marci *Horváthi* virtute rejecti sunt. *Babolcsa* primum irrito labore a nostris tentata, victo dein gemina pugna hoste, in potestatem redacta est. Commode Ferdinandus regis filius, rudimenta militiæ positurus, exercitum ex Bohemis, Moravis, & Styris, præter mille Equites Hungaros, decem fere millium adduxerat, cujus adventu hostis aleam tentare non ausus, intra suos limites se continuit. *a*) Utcunque autem ad Babolcsam, & Szigetum prospere res gesta fuerit, Ferdinandus tamen adversa sibi alias, & recens Caroli fratris, cui anno priore bellum cum Gallo infeliciter successerat, fortuna

a) Litt. Episc. Bornemisza ad Archiep. Strigon. ex Gyula. 15. Mart. Andr. Báthor ad Nádasd. ex Alvincz. 17. ejusd. Steph. Dobó ad eund. ex Ujvár. 13. Apr. Casp. Magochi ad eund. Gyula. 20. Jun. Marci Horváth ad regem Szigeto.

na motus, Oratoribus mandata dedit, ut pacem quibuslibet conditionibus, modo ne regiæ dignitati derogent, cum Solymanno ineant: Transsilvania se decessurum, si Isabella vicissim duos Ducatus in Silesia, & Petrovicsius *Munkacsinum* secundum transactionem olim initam reddiderint: agerent etiam cum Rustane, ut, qui arcibus inclusi adhuc tenentur, salvis rebus, cum tormentis, & reliquo apparatu bellico, quem ex Hungaria, & Austria in Transsilvaniam afferri curasset, quæve induciarum tempore, & nuper a Turcis occupata fuissent, reddantur, de limitibus dirimendis habere illos jam mandata, &, si novis opus esset, hæc se quoque, ut res se dederint, missurum, acturumque, ut in Comitiis Ratisbonensibus Imperii Principes nova subsidia decernant, quo pax facilius coalescat. 1556.

Finium constitutio, postremus protractæ jam in quartum annum Legationis actus, ma-

geto. 10. Jul. Franc. Batthyán ad Nádasd. ex Németújvár. 14. ejusd. & 22. 26. ejusd. Consultatio bellica in castris ad Csorgó, 16. Jul. ad Babolesam, 18. ejusd. ad Berzencze, 24. ejusd. & ad Canisam 28. ejusd. Ferdinandi ad Nádasdium, & ceteros duces. Vien. 27. ejusd. Codignac. ad regem Galliæ. Apud Ribier. T. II. pag. 591. Franc. Forgács hist. l. 2.

1556. maximam difficultatem Oratoribus confecit, quod Rustanes fastuoso supercilio Imperatorem suum non contentum sola Transsilvania, Hungariam quoque totam velle, nec aliter pacem conciliari posse, diceret. Id licet Oratoribus stomachum moveret, leniter tamen hominem tractandum rati, non satis assequi se posse dicebant, qui fiat, quod, cum Solymannus, si rex Transsilvaniam Isabellæ filio cederet, quidquid extra hanc illius esset, depenso quotannis munere honorario, in ejus potestate mansurum, antea promisisset, nunc mentem repente mutarit, vereri se, ne, si hujus fama ad exteros pervaserit, invidia in Solymannum, qui apud Principes Christianos datæ semel fidei tenacissimus haberetur, aut potius in Rustanem, cujus consilio illum omnia agere constaret, magna nominis diminutione recidat. Sensit se per latus peti, & aliorsum sermonem flectens, mirari se interjecit, cur Ferdinandus se regem Hungariæ diceret, & dici ab aliis pateretur, cum non ignoret, illam, victo ad Mohácsum Ludovico rege, Budaque Metropoli occupata, jure armorum Imperatoris, & ab hoc Joanni regi subdito suo, & fiduciario datam fuisse? Illi pauca de pactis inter reges Hungariæ, & Austriæ Duces olim, & nuper inter Joannem etiam initis, tum quid inter jus hæreditarium, ac electivum interesset, proloquuti, præcipuam quæstionem de industria in memo-

riam

riam ei revocantes petebant, ut finium diribitio in eum modum fieret, quem Solymannus jam ante verbis, & litteris suis regi ipsorum constituisset, hac solum conditione, nec alia, se conciliandæ paci posse assentiri; Hac spe jam in quartum annum se lactatos, & Solymannum magna cum sua, tum itineris molestia in Cappadociam fuisse consequutos; nunc rem in eum locum redire, in quo erat, dum Constantinopolim venissent, habere se in mandatis, ut, si, quæ petiissent, negarentur, domum redeant; itaque rogatum velle, ut de missione sua cum Solymanno quamprimum agat, firmam sibi spem esse, se non tam illiberaliter, ut olim Barnabam *Belajum*, retinendos, hærere adhuc Hungaris facti illius memoriam, nec facile, nisi a Solymanno obliterandam videri. Ille & Belaji exemplo se admonitum, & petita missione præventum videns, cum responsam rei opportunum in promtu non haberet, captiosis, & a proposito alienis quæstionibus Oratores fatigans, tandem ad *Szigetum* delapsus est, quod nisi funditus convellatur, de pace ne cogitandum quidem esse affirmabat. Quoties enim præsidiarii ex eo loco in domini sui ditiones procurrerent, ut hactenus crebro factum est, actisque prædis homines abigerent, toties quoque pacem interruptum iri, quæ autem stabilitas pacis sperari posset, si hanc privatis, cum libet, violare liceat? his dictis Oratores

1556.

tores

tores futuri incertos ab se dimisit, quod ni-
1556. hil prius de pace vellet constituere, quam, quo eventu res Transsilvanicæ se darent, comperisset. a)

Hæc, ut jam antea in fide regi obstricta nutabat, ita revocata Isabella penitus defecit. Adventanti cum filio XII. millia aureorum in limitibus dono oblata sunt, & Conventus Claudiopolim indictus, in quo, cum ante omnia agendum de re publica fuisset, hac cura insuper habita, postulatum a Regina est, ut cuivis, quam vellet, novitiæ religionis sectam profiteri fas esset, tum ut Episcopatus cum Capitulis aboleatur. Primum, hæc enim præcipua a Ferdinando recedendi causa erat, liberaliter concessum, non item alterum, graviterque Regina ferebat, quod Albense Capitulum demoliti fuissent, bonaque illius, Fisci quidem nomine occupata, sed a quovis, ut erat potentior, in suos usus direpta essent. De Dobone Vayvoda deinde actum, ut cum fratre Dominico, & familia liber dimitteretur, redire volentem Regina, quod inter impedimenta etiam arma veheret, contra fidem a se, tum Poloniæ regis Oratoribus, ac ipsis etiam provincialibus datam, rebus direptis, cum sociis in carcerem conjici jussit. Ea re plerique offensi sunt, illud

---

a) Litt. Ferdinandi ad Oratores. Vien. 15. Jun.

illud quoque graviter ferebant, quod proventus, quos ante Quæstor curabat, suæ unius curæ committi, nec provinciæ Præfectum, quod plures prensabant, ceterosque magistratus constitueret, Polonis plerumque in publicis negotiis usa. Itaque multos jam facti pœnitere cœpit, inter quos Melchior *Balássa*, & Gabriel *Peréni* fuere, qui cum amicis in Hungaria, ut regem sibi concilient, clam agebant. Ferdinandus de his edoctus, tanto magis subsidia ab Imperii Ordinibus flagitabat, quanto major, vacillantibus in Transsilvania rebus, si non recuperandæ provinciæ, certe vicinam illi ditionem retinendi spes erat, scripsitque Posonium ad Consiliarios, ut regni nomine Oratores Ratisbonam mittant, quorum adventu Imperiales ad ferendum auxilium proniores reddantur. Franciscus *Forgács* Episcopus Varadiensis, vir disertus, Petrus de *Macedonia*, cubiculorum regiorum magister, & Georgius *Hoszutkóti* ad obeundam hanc provinciam delecti sunt. *a)* 1556.

XXVI.

a) Litt. Anonymi ad Palatinum Nádasdi. 7. Sept. Joan. Listhii Episcop. Jaurinen. ad Franc. de Batthyán. Vien. 3. Oct. Ferdinandi ad Archiep. Strigonien. Ratisb. 9. Dec. Episc. Jaurin. ad eund. Poson. 26. ejusd. Georg. Seredi ad regem, ex Makovicza. 3. Jan. 1557. Relátio legationis Turcicæ.

XXIV. Rediere sequenti anno XVIII
1557. Martii, promissis amplissimis onerati. Ordines enim Imperii, cognito nostro periculo tantum æris se collaturos polliciti sunt, ut XL. Peditum, Equitum vero VIII. millia gravis armaturæ conscribi, & octo mensibus ali possent. Facile tam liberali subsidio Transsilvania recuperari poterat, si aut integre præstitum, aut tempori adfuisset, quæ enim ex Franconia venerant copiæ, & paucæ numero, & sero aderant, cum Petrovicsius interea; quidquid extra illam Tibisco, & Marusio fluminibus contineretur, ipsa hyeme occuparet, *Gyula* solum, *Huszthum*, & *Szölösum* vim represserant, quæ quo minus in hostis potestatem venerint, Rustanes spe munerum delinitus, in causa erat, qui Budensem, ceterosque Præfectos, ne, confectis jam induciis, se rebus Transsilvanicis ingererent, vetuit, Reginæ graviter infensus, quod missis ad Solymannum Joanne *Zalánczio*, & *Keményio* non solum ea, quæ extra Transsilvaniam occupasset, & Imperator jam ante ei pollicitus erat, sed quidquid inter Tibiscum, & Valachiam Turcis paret, jure mariti, & filii repeteret. Negatum cum indignatione utrumque postulatum est, & nuncii, quin adeundi Solymanni veniam obtinuerint, remissi, arctioresque limites ita constituti, ut, quod a fonte Marusii ad *Deva* tenditur, Reginæ, & filio, reliquum Turc

mane-

maneret. Perculit ea res Transsilvanos, qui eodem, quo nuncii redierant, tempore Conventum agebant, seque nimium angustis limitibus coarctari, nec tam Reginæ posthac subesse, quam Turcarum servos fieri dolebant, multosque temporis, quo Ferdinando parebant, recordatione admonitos non obscure feminei imperii tædebat, præsertim quod Petrovicsius Martinusium imitatus, restituta Reginæ potestate, gravissimis exactionibus plerosque ab ea averteret, qua occasione rex facile in suum commodum uti poterat, nisi illum induciarum fides, & Oratorum adventus, qui relicto Constantinopoli Busbequio, proxime affuturi erant, remorata fuissent. Viennam mense Octobri, itaque serius, quam Ferdinandus Pragam auxiliorum causa profecturus optabat, attigere, & Legationis suæ rationem, quoveloco rem Constantinopoli reliquissent, scripto comprehenderunt. 1557.

Summa illius hæc erat: Inducias quidem esse prorogatas, pacem tamen solum a *Szigeto* pendere, cujus, nisi id funditus evertatur, ambigua spes sit, atque hanc unicam viam a Rustane esse propositam, qua dominus suus ad eam conciliandam flecti possit. Ad limites utrinque dirimendos viros delectum iri, qui hos secundum pacta secernant; de his vero, quæ extra Transsilvaniam Re-

gina occupaſſet, nihil nunc conſtitui poſſe, 1557. quod, quibus conditionibus Transſilvaniam olim regi ceſſerit, ſibi non conſtaret, egere rem declaratione, quæ ſi jure niteretur; Solymannum deinde facturum, quod æquitati conſentaneum eſſet. His conditionibus ſi rex conſentiret, pacem, ſi contra, bellum ei denunciarent. Hæc Ruſtanes quidem ſolito ſibi faſtu, non ea tamen, qua alias, oris libertate. Cum enim non dubitaret Oratores, qui *Ferhato* natione Hungaro interprete utebantur, minime latere, Philippi regis Hiſpaniæ relatam nuper de Gallo victoriam, verebatur, ne non in hoc ancipiti fœderati regis ſtatu, parum æquas pacis conditiones Oratoribus propoſuerit. Accedebat & illud, quod ante, quam diſcederent, Perſarum Legatus liberum in Armeniam commercium, & Præfecturam Babyloniæ filio regis ſui peteret, & hac ſolum conditione ſtabilem pacem utrinque futuram, ſin minus, regem ſuum tempore uſurum diceret. Hæc Ruſtanem, qui Solymannum crebro morbo laborare ſciret, ipſe autem mulierum ſuarum lenociniis irretitus a bello abhorreret, permoverant, ut abituris Oratoribus ſpem de honeſtioribus conditionibus eminus oſtenderet, modo explorata regis ſui mente, quamprimum redirent, & Busbequium interea, quæ tractanda ſupereſſent,

essent, curare finerent. *a*) Sic per hunc in Ferdinandi partes alioquin proclivem, facile jam nunc pax coalescere poterat, nisi *Aly* Bassa paris fere apud Solymannum admissionis, bellique appetens, ob diuturnam cum illo simultatem restitisset, qui clam nuncium in Galliam, quo loco isthic res essent, exploratum misit, & Petrovicsio præterea, ne ab armis desisteret, autor erat, sive æmulo suo pacis, si quæ futura esset, gloriam præciperet, sive illi apud Solymannum, jacto novi belli semine, invidiam conscifcere voluerit. Utrumvis sit, Petrovicsius monitis *Aly* Bassæ obsequutus, dum annus jam in exitu erat, *Lelesʒino* intercepto, castrum *Sʒőlős* obsidione cinxit, quod cum ob hyemis rigorem, ad deditionem cogere non posset, actis, quacunque ibat, spoliis, in Transsilvaniam rediit. *b*) 1557.

a) Relatio Ant. Verancii, & Franc. Zay, de legatione obita ad regem. Ex Keupcsin. 18. Oct.
b) Litt. Casp. Pécsi ad Nádasd. Ratisb. 9. Jan. Joan. Listhii ad eund. Vien. 12. ejusd. Bassæ Buden. ad Casp. Magocsi Buda. 11. Febr. Joan. Paxi ad Nádasd. Comarom. 25. ejusd. Archiep. Strigon. ad eund. ibid. 18. Mart. Casp. Magocsi ad eund. Gyula. 15. Jul. Sigism. Torda ad eund. Eperies. 21. ejusd. Articuli Comitatuum citra Danubium, in Körmend. 22. Aug. Episc.

1558. XXV. Tam frequenti induciarum violationi, ut rex modum poneret, litteras per celerem nuncium ad Solymannum plenas querelis dederat, petiitque, juberet Transfilvanos, & Præfectos Turcarum, ne quidquam deinceps hoſtile tentarent. Erat is tum Adrianopoli, quo Busbequius quoque accerſitus, cum ex litteris ſibi inſcriptis mandata regis intellexiſſet, gravi oratione, quæ eſſet induciarum ubivis gentium ſanctitas, & fides, explicuit; venerat eodem & ab Iſabella nuncius auxilia poſtulatum. Hærebat anceps, quid faceret, conſilia ſua ex eventu rerum Gallicarum metiri ſolitus, fuere domi quoque, quæ vicinum periculum minabantur. Odia inter *Bajazethem*, & *Selymum* filios ita jam gliſcebant, ut in apertum eruptura plerique metuerent, & Perſas in Tartaros bellum parare, non inanis rumor erat, ex nuncio quoque, quem *Aly* Baſſa in Galliam miſerat, reduce intellexit, Ferdinandum Germaniæ regem, vivo etiamnum Carolo, renunciatum eſſe. Quæ ille omnia mente complexus, ne, quoad res apertius ſe darent, in alterutram partem offenderet, conſueta ſimulatione uſus, ad

Epiſc. Nitrien. ad Nádasd. 26. Sept. Ant. Verancii ad eund. ex Keupcsin. 18. Oct. & regis ad hunc. Vien. eod. Sigism. Torda ad Nádasd. Eperies. 4. Nov. & Caſſovia 27. Dec.

ad Bassam Budensem scripsit, ut ad consti-
tuendos ditionum utrinque limites loca de- 1558.
signet, eaque, si Ferdinandus suos delegarit, in numerato habeat: Reginæ autem nuncio mandatum, ut Moldaviensi Vayvodæ bona, quæ in Transsilvania possederat, reddantur; de auxiliis ita ambigue respondit, ut ea distulisse magis, quam negasse videretur. Nondum Transsilvanus redierat, cum Moldavus celerrime per suos familiares, quid Solymannus statuisset, edoctus armata manu, ut sua reciperet, in Transsilvaniam irrupit. Id *Kendio* utrique, & Francisco *Bebekio*, qui dudum feminæ Imperium exosi erant, occasionem præbuit, ut Reginam ab administranda provincia remotam Varadinum mittere, & filium a feminarum consortio abstractum retinere cogitarent, per cujus adolescentiam ipsi Triumviratum se consequuturos sperabant. Tempestive tamen machinatio detecta est, fatalis paulum post auctoribus futura. Petrovicsius a Legato Gallico admonitus, ut Reginæ suaderet, Solymannum nova Legatione convenire, qua partis Moldavo cedendæ jacturam, Lippa, & Temesvaro redditis, compensari peteret. Id *Kendiis*, & *Bebekio* interitum conscivit. Cum enim ipsi quoque nuncium Constantinopolim misissent, qui Solymannum edoceret, Reginam nil aliud, si Lippa, & Temesvarum redditum fuerit, moliri, quam ut Transsilvaniam Ferdinando ex

contineret, nullique, si in ditiones Ferdinan-
1559. di excurrerit, impune esset, Isabellam autem spe duceret, quod cis Marusium extra Transsilvaniam est, eidem adjectum iri. Quae ubi indicio Busbequii ad regem pertigere, Ordines Posonium ad Conventum excivit, cum subsidiorum causa, tum ut licentiae militari modus poneretur, fere enim more Turcarum non gregarii solum, sed Praefecti etiam in ditione, ubi stativa habebant, stipendia non rite praebita causati praedas agere solebant, plebe ad incitas fere redacta. His ad deliberandum propositis, ad Comitia, quae primum Imperatorio nomine indixerat, Augustam profectus, Principes, quod quaedam in pace religionis non satis perspicua viderentur, difficiliores in principio ad decernenda subsidia reperit, postea tamen, quam Passaviensem concordiam iterum ratam haberet, non solum XL. florenorum millia, quae ex superioribus annis restabant, sed in quinquennium praeterea quingenta quotannis se numeraturos receperant.

Ex Comitiis reversus, Archiepiscopum Gnesnensem a rege Poloniae, & Michaelem *Gyulai* ab Isabella missos, Viennae reperit. Mandatorum, quae afferebant, hoc praecipuum caput fuit: Reginam, cum se a Turcis inani spe circumduci videret, periculumque esset, ne non Transsilvaniam sensim penitus sub jugum mittant, paratam esse, consentiente etiam

etiam patre suo, in clientelam Regis concedere, si, ut pactis olim conventum erat, filio uxorem daret, eique Transsilvaniam cum ditione Marmarosiensi permitteret, & patrimonio *Husztum*, ac *Munkacsinum* præterea adderet. Quorum aliqua cum aperte conditionibus cum Joanne rege quondam initis adversarentur, & non vanam suspicionem regi ingererent, rem simulate agi, uterque re infecta, dimissus est. Regina partim ob repulsam, partim quod se suis in dies magis invisam existimaret, XV. Septembris mœrore confecta obiit. *a*) 1559.

XXVI. Nec feliciorem exitum Transsilvana Legatio sequente anno habuit, cum Joannes Sigismundus, defunctæ filius, non solum priora postulata instauraret, sed præter regium titulum, ut Danubius ditiones utriusque, & Tibiscus limes extra Transsil- 1560.

vaniam

a) Cod. jur. patr. ad h. a. Litt. Verancii ad Nádasd. Eperies 15. Jan. Casp. Magocsi ad eund. Gyula. 25. Mart. Joan. Listhii ad eund. Vien. 6. Apr. Anonymi ad eund. 12. Jul. Episc. Quinqueeccl. ad eund. Augusta 21. ejusd. Fran. Batthyán ad eund. ex Zolnok. 26. ejusd. Verancii ad eund. Vien. 16. Aug. Casp. Pécsi ad eund. ibid. 11. Sept. Andr. Báthori ad eund. ex Liszkava 22. Oct. Episc. Modrusien. ad eund. Vien. 22. Dec. Franc. Forgács hist. l. 9.

vaniam constitueretur, peteret. Titulum rex
1560. negavit, id enim quid aliud erat, quam jus ei in Hungariam asserere, &, ut sub patre erat, reddere bicipitem? Transsilvaniam quidem fiduciario jure se ei concessurum, modo vicissim, quæ extra hanc matris tempore occupata erant, redderet, & Transsilvania, si sine hærede masculo obiret, in pristinum Hungariæ jus redeat: quæ cum Legati in Transsilvaniam perscripsissent, nova mandata accepere, jussique sunt in petendo regio titulo, quem ei Solymannus, suique tribuissent, persistere, si Imperatorem difficiliorem viderent, negotium illo usque differre studeant, donec avunculum suum regem Poloniæ possit consulere, in reliquis habere illos satis explicata mandata, quæ sequerentur, agantque sedulo, ut inducias in tres, duosve annos, si nec id possent, certe annuas impetrare conentur, nec in eo difficiles sint, ut loca, quæ hactenus utrique parti tributum solverunt, etiam deinceps pendant. Cum neque hac ratione quidquam, præter inducias annuas, impetrassent, in Transsilvaniam rediere.

In Solymanno, cujus tutela alias nitebantur, nihil tum quidem spei erat, quem multiplices curæ magis occupatum habebant, quam ut illorum causam tuendam susciperet. Classis Hispana, Pontificiæ, & Siculæ conjuncta, provinciis illius imminebat, Turcica vero, quæ ex sinu Arabico mare Indicum oberrabat,

rabat, a Lusitanis partim missa, partim capta est, & *Bajazethes*, postquam Persarum Legatus frustra cum patre de concordia egisset, sumto ex desperatione animo, Turcicas ditiones infestabat. a) Tot eodem fere tempore allata nuncia, Solymanni mentem ab Hungariae, & Transsilvaniae rebus penitus abstraxerant. 1560.

Hoc, si ullum alias, tempus Ferdinando opportunum erat, ut inducias toties a Turcis violatas ulcisceretur, nisi earum fides, & curae ad consananda vulnera domestica, ex religionum dissidio inflicta, illum ab hoc proposito retraxissent. Bona Ecclesiarum exemplo Germaniae promiscue direpta, quo fiebat, ut Praelati, cum subsidia in bellum poscebantur, parum praebere possent, iniqui autem possessores ea vel inviti, vel sero praestarent, magis de constabilienda novitia religione, quam reprimendis Turcarum progressionibus soliciti. Huic vulneri curando, rex convocatis Viennam ad peculiarem Conventum Episcopis,

a) Litt. Casp. Pécsi ad Nádasdium. Vien. 5. Jan. Franc. Batthyán ad eund. ex Ujvár 7. Mart. Andronici Tranquilli ad eund. Tragurio 15. Apr. Szentgothárdi ad eund. Vien. 1. Jun. Sigismundi regis Polon. ad suos Legatos Albae Jul. morantes. 1. Apr. apud Wolfg. Bethlen. l. 5. apud Pray P. V. pag. 531.

scopis, & Magnatibus priscæ religioni addictis
1560. statuit, ut Bona Ecclesiarum sive vi erepta, sive a se aliis collata fuissent, sine mora legitimis possessoribus, si viverent, sin decessere, Archiepiscopis, & Episcopis interim curanda, donec ipse de iis pro jure suo constituat, redderentur, illis solum exceptis, quæ condendis scholis; & alendis Præceptoribus catholicis jam alias contulisset. Hæc Viennæ, cum fundi Ecclesiarum ad jus patronatus majestaticum pertinerent, non concitis regni Ordinibus acta. Id exteris scriptoribus non satis rerum nostrarum peritis occasionem præbuit, ut Ferdinandum ad opprimendam Protestantium religionem hæc egisse, in litteras referrent, quasi fas ulli unquam fuerit, cujuscunque tandem sit religionis, aliena invitis dominis rapere, & usurpare? *a)* Consultatum etiam fuit de Maximiliano coronando, intercessit tamen Palatinus Nádasdius, qui magis in Ferdinandum, militaris animi Principem, quam illum inclinabat, maluitque rem ad regni Ordines referri, quam ut privatim de ea decernatur.

In Transsilvania novi pene motus ex vicina Moldavia orti. Jacobus quidam natione Græcus, variis actus erroribus, ad Alexandrum Moldaviæ Vayvodam pervenit, cujus crude-

a) Ludov. Gebhard. Geschichte des Reichs Hungarn. P. II. pag. 350.

crudelitatem cum plerosque exsecrari videret, consilium ejus de sede deturbandi cepit. 1560.
Primum illi res cum copiis Alberti Laskii Siradiensis Palatini parum auspicato cecidit, mox permissu Ferdinandi a Francisco *Zayo* Cassoviæ præfecto octo armatorum millibus adjutus, victor provinciam regi clientelarem fecit. Transsilvani, qui hostem sibi in novo Vayvoda parari metuebant, Comitia trium Nationum, vocatis etiam iis, qui Hungariam cis Tibiscum colunt, ad V. Idus Novembres Claudiopolim coegerant. Hærebat illud præcipue omnium animis, quod Ferdinandus titulum regis suo Principi negasset. Ab hac de rege querela initium Comitiis datum, mox non servatæ fidei postulatus, quasi Transsilvanorum ditioni vim intulisset, cum hanc solum repulerit. Id illo spectabat, ut majora a provincialibus subsidia extorquerentur. Decimæ Episcopatus, & Capitulorum, quarum pars exactis e provincia possessoribus ad Fiscum recidit, partem Saxones usurpabant, in hunc censum venere: Ad hæc florenus ad sextam Decembris exhibendus cunctis imperatus, nec Siculi ab hoc onere liberi, Saxones præterea, si opus esset, militiam viritim se professuros receperant; ita religio mutata etiam animos, & immunitatum prærogativas, quod nec imperantium mandata, nec publica necessitas forte fecissent, subito immutavit. Inter hæc Solymannus,

nus, qui jam diu expeditionem in Persiam
1560. meditabatur, comperto Hispanam classem accepto ad Tripolim damno, domum revertisse, signum ad profectionem dedit, ne quid intutum tamen in limitibus relinqueret, misso ad regem Poloniæ apud Livones commorantem Legato, Tuygonem inducias inviolatas servare jussit, de Transsilvanis minor illi cura, quod ab imperio suo penderent, & domi oborto inter Calvini, & Lutheri asseclas religionis dissidio paribus fere odiis altercarentur. *a*)

Idem dissidium a *Melanchthonis* obitu in
1561. Germania exarsit, ad quod sedandum Conventus Naumburgum Saxoniæ oppidum indictus erat, cujus causa Ferdinandus, ut illi interesset, Comitia, quæ Posonium ad VI. Januarii indixerat, in aliud tempus prorogavit; sed cum videret disceptantes vel in ipsis suæ confessionis capitibus discordare, nec Concilio Tridentino, quod jam tertium illorum causa convenerat, adesse velle, re-

relictis

---

a) Decretum Ferdinandi. Vien. 10. April. Litt. Joan. Eiseler ad Nádasdium ex Paumgarten. 21. Sept. Articuli Statuum Transsil. Kolosvári. 11. Nov. Litt. Mart. Szentgothárdi ad Nádasd. Poson. 3. Dec. Ferdinandi regis ad Alex. Thurzo. Vien. 23. ejusd. Pauli Gregoriancz ad eund. ibid. Poson. 22. Jan. an. 1562.

lictis illis Pragam divertit, mox, quod Tur-
cas Szigeto minari crebro nunciaretur, Vien- 1561.
nam vocatus mandata ad Palatinum misit, ut vicinas hostibus arces, quae defensioni minus aptae, & illis forte, si occuparentur, usui esse possent, funditus evertat, militiamque *Papam* deducat, quod is locus Jaurino, & Comaromio tuendis, hostique a reliqua ditione arcendo prae aliis idoneus videretur; ipse, si quid rumori de Turcis didito subesset, Conventum ad Calendas Augusti Posonium indixit, ad quem Legati etiam e Transsilvania adfuturi nunciabantur, qua de causa *Cromerus* Poloniae regis nomine jam Viennam quoque advenerat; frustra tamen expectabantur, quin pro Legatione arma, Turcis etiam in societatem vocatis, parabant. Ferdinandus, cui necessarium in Bohemiam iter erat, constituto interea, qui res Hungariae curaret, Maximiliano filio, Franciscum *Zayum*, ceterosque finitimos Transsilvaniae Praefectos monuit, diligenter excubarent, ne quid contra induciarum fidem Transsilvani committant, nec tamen vim primi inferrent, sed illatam repellerent. Sed periculum, si quod erat, Mosci discusserant, qui magnam regionis Tartarorum partem occuparunt, quibus ut succurreretur, cum Turcas a Transsilvanis abstrahi necesse esset, nec Solymanno res

in

tempus non suos tantum in quiete continebit, sed Joanni etiam, quem his induciis comprehensum voluit, severe præcipiet, ne quid hostilitatis in citeriore, & transtibiscana Hungaria in populos Ferdinando subjectos moliri ausit. Melchior Balassa cum Nicolao Báthori, aliisque, qui ad regem transiissent, eodem pacis beneficio fruantur: cognitio damnorum, quæ utrinque illata sunt, ne novæ liti occasio detur, in aliud tempus prorogata: captivos, & transfugas, si qui postea futuri essent, utrique bona fide reddent, castella in finibus reparare, & erigere, liberum regi erit, singularia tamen certamina ex condicto hactenus usurpata, quæ crebro dissidiis utrinque occasionem præbuerant, vetita: lites inter colonos, aliosve orituras judices utrinque constituendi diriment, & violatores induciarum graviter punient. Legatis denique, nunciis, & id genus hominibus, quos tractandarum rerum causa Principes ultro citroque mittent, commeatus liber, tutusque erit. Tabulæ ipsis Calendis Septembris a Solymanno signatæ, & Ibrahimo *Strotschenio* origine Polono cum muneribus traditæ sunt, qui in comitatu Busbequii Viennam primum, mox Francofordiam, quo Imperator Maximiliano XX. Septembris Pragæ coronato venerat, profectus, & tertio post die, quam Ordines Imperii Maximilianum regem Romanorum XXIV. Novembris salutarunt, admissus,

1562.

missus, exposita in Principum corona Legationis causa munera exhibuit, ac vicissim splendidioribus, quam tulerat, excultus rediit. a)

Induciis firmatis nihil magis Ferdinando in votis erat, quam ut filium Germaniæ, & Bohemiæ regem jam declaratum, Hungariæ etiam regem vivens cerneret. Dedit propterea, cum Francofordia discedens Oenipontum venit, ad regni Ordines litteras, ut XX. Augusti ad Comitia Posonii adessent, caussamque, cur id cuperet, adjecit. Ut convenerant, prima de legendo Palatino cura, & quæstio erat: discordes fuere inter deliberantes sententiæ. Quidam dignitatem hanc hoc quidem tempore, & in tam exigua, quæ hosti non pareret, regni parte, nec necessariam nec auctoritati Palatini accommodatam videri 1563.

 deri

a) Litt. Sigismund. Torda ad Nádasd. Posonii 11. Februarii. Zrinii ad eund. ex Szigeth 16. ejusd. Nádasdii ad regem ex Kapornak 22. ejusd. Franc. Forgács ad Nádasd. Praga 12. Mart. Joan. Lifthii ad eund. Lincio 17. ejusd. Casp. Pécsi ad eund. ex Ujfalu 22. ejusd. Nic. Zrinii ad eund. 30. ejusd. Franc. Thurzo ad eund. ex Baymocz. 12. Apr. Steph. Máthisi ad eund. Tridento. 23. Jun. Busbequii epist. inter editas 4. & Relatio Legationis Turcicæ.

1563. deri dicebant; alii contra Majorum institutione ipso temporis præjudicium firmetur, inhærendum existimarunt, tandem relicta in medio potius, quam finita disceptatione, Maximilianus VIII. Septembris, & postridie Maria, ejus conjux solito ritu coronati sunt. Peracta inauguratione Nicolaus Olahus Strigoniensis Archiepiscopus pro Palatino regis locum tenere jussus, mox de rebus ad religionem, & regni commodum pertinentibus consultatum; limitum ratio in primis habita, ad quos conservandos tres floreni in sequentem, & in duos proxime futuros duo decreti, atque hos etiam Rutheni, ac Valachi, & qui urbes Austriæ oppignoratas colunt, Turcis autem subjecti dimidium pendant: Præfecti, qui finitima castra tenent, præsidiariis de duplicata annona providebunt, cavebuntque, ne Sacerdotibus hæresi infectis, & aliunde pulsis perfugium præbeant, qui fecerint, statione, & officio moveantur. Rogatus præterea rex, ut avitam, veramque religionem, quam sectarii nova doctrina contaminarent, integram servare, tuerique vellet. *a)* Milites

a) Cod. jur. patr. ad h. a. Joan. Listhii commentarius de coronatione Maximiliani I. apud Math. Bel. Coll. Miscell. Dec. 1. Heinrich Wirrich, wahrhaftige Beschreibung &c. ejusd. argumenti. Vien. per Mich. Zimmerman. 1563.

István-

tes exteri damna colonis illata ex stipendio sarciant, neve deinceps justam querendi causam præbere possint, e publica quiete videri, ut regno excesse jubeantur, & rex militares Præfecturas Hungaris credat. 1563.

Prius, quam Ordines Posonium convenissent, aderat Viennæ e Transsilvania Orator Stephanus *Báthori*, qui exhibitis Principis sui litteris conditiones pacis afferebat. Pleræque negatæ sunt: titulum enim *regis*, quem confirmari petebat, & hactenus Principi negasset, salva Imperatoris dignitate concedi non posse, nec quidquam propterea a Solymanno metuendum esse, si eo etiam in litteris ad illum scribendis abstineret, præterea monstrosum videri, si se superstite, & filio proxime Posonii coronando, etiam Princeps titulo regis uteretur, id enim posteros facile in errorem induceret, quasi in eodem regno, eodemque tempore tres reges exstiterint, quo quid magis absurdum esset? nec illud Imperatorem largiri posse, ut Princeps, si titulo *regis* abstinuerit, eandem tamen Majestatem, & potestatem in sua ditione retineat,

 cum

Istvánfi hist. l. 21. Franc. Forgács hist. l. 13. Confer. Pray commentatio historica, de vetere Reginas Hung. coronandi consuetudine, & quid inde juris consequutæ videantur, Pestini. 1792.

cum Orator, quid majeſtatis, & ditionis no-
1563. mine comprehenſum velit, non ſatis decla-
rarit. Hæc itaque prius in luce collocari oportere, quam de ceteris tractatio instituatur. Cæſarem probe etiam eorum meminiſſe, quæ olim per Caſtaldum, Nádasdium, & Andream Báthorium cum Principis matre transacta fuiſſent, eſſeque eodem nunc animo comparatum, ſi æquis, & honeſtis conditionibus locum dederit. De matrimonio autem cum aliqua filiarum Cæſaris ineundo jam ſerum eſſe, cum interim, dum Princeps a pactis conventis receſſerat, & Cæſaris ſe hoſtem declaravit, aliis Principibus partim jam locatæ, partim promiſſæ fuerint, quæ autem reliquæ ſunt, certo propoſito decreverint, innuptæ manere; facturum tamen Cæſarem, ut Principi de honeſtis, & illo dignis nuptiis conſulat; poſtremo, cum gubernationis, & ſucceſſuum proſperitas in conſervanda vera, & avita religione ut plurimum ſita ſit, monitum Principem velle, ut Eccleſias, & Catholicam religionem defendere, & conſervare pro viribus nitatur.

Hæc reſponſa Oratori generatim IX. Julii data, ad quæ ille quatriduo poſt iis, quæ obſcura videbantur, illuſtratis repoſuit: Principem ſuum a titulo *electi regis* facile receſſurum, modo ille, quem ſuggereret, *Principis* nempe *Hungariæ*, & *Transſilvaniæ*, ei tribueretur, & auotoritas, poteſtasque conferen-

di

di Bona ne negetur: ditionem vero eam ab [redacted]
se intelligi, quæ citra, ultraque Tibiscum 1563.
Bereghiensi, *Ugonensi*, & *Marmarosiensi* provinciis, una cum arcibus *Huszt*, *Munkács*, *Tokaio*, & *Zerencsino* comprehenditur, quæ, si certior spes cum aliqua filiarum Cæsaris ineundi connubii affulgeret, sponsæ in dotem conferri possent, nec eo Principem suum videri indignum, qui non tam ex proposito Cæsaris adversarium se fuerit professus, quam sua se tueri debere crediderit. De religione nulla quidem se habere mandata, minime tamen se dubitare, quin Princeps, qui moriturae matri idem pollicitus erat, pio, & salubri huic consilio morem gesturus sit.

Neque hæc Imperatori probabantur: verba enim solum, non rem mutari, si ad titulum Principis *Transsilvaniæ* etiam illum *Hungariæ* adjici sineret, cum non aliud eo, quam jus in Hungariam tacite exposci videatur, satis esse, si solum *Principis Transsilvaniæ*, cujus celeberrima sit inter Christianos existimatio, deinceps titulo utatur. Quod ad ditionem attinet, ea, quæ petebantur, videri non solum pactis, quæ cum ejus patre, quin matre etiam, dum Transsilvania excessit, sed cum ipso etiam Principe, quoties induciæ erant confectæ, inierat, omnino adversari. Meminisse item oportere Principem, dum e Polonia cum matre reversus erat, Cæsarem non alia, quam publicæ quietis causa Transsilva-

& Carolo Styriam, Carinthiam, & Carniam reliquerat, nondum exacto ætatis anno sexagesimo primo Viennæ XXV. Julii obiit, Pragæ, quod Albaregalis in potestate Turcica esset, sepulcro illatus. Princeps a pietate in DEUM, studio religionis, & pacis in in Ecclesia, ac Imperio instaurandæ, clementia, liberalitate, & fide, quam dedisset, servanda, coævis scriptoribus, & ipsi etiam Solymanno collaudatus. *a*) Primus Hungariam veterum quoque pactorum fide, Ordinum regni suffragiis, & jure uxoris, ex qua XV. liberos, quatuor mares, & XI. feminas, plerasque Principibus matrimonio junctas, susceperat, Domui Austriacæ innexuit. Regimen illi diuturnum, sed multis calamitatibus implicitum fuit. Regnum, quod intestinis dissidiis jam pridem a primæva compage sua magnopere luxatum, dein in partes distractum ab æmulo, & ab hoste externo prope in ruinam impulsum adiit, mox sectarum religionis, quæ e Germania Hungariam inundabant, varietas, perpetuis fere deinceps motibus adeo involverat, ut mirum sit, in tam crebra rerum vicissitudine vel hanc, quam moriens reli-

a) Joan. Artopæi oratio funebris Brisgoiæ, Joan. Sambuci Vien. & Comitis a Saueran Græcii, Ferdinando dictæ. Busbequius epist. 4. & Surius ad h. a.

relinquerat, Hungariæ partem ab eo servatam fuisse. Quamquam autem illi res cum externis hostibus fere semper fuerit, nullam tamen magis infestum habuit, quam reges Galliæ, qui a Francisci I. tempore, cui cum Carolo Cæsare perpetua æmulatio intercesserat, & ad successores propagata est, adornatis ubique, præsertim Constantinopoli per Legatos suos machinationibus Domum Austriacam constanter infestabant, quo minus possessione tot regnorum ad reprimendos hostium conatus uti posset, quo factum, ut, quantum illi ex Germaniæ Imperio sensim decerpserant, tantum fere Hungariam, magno florentissimi olim regni damno, perdere coegerint. 1564.

MAXI-

MAXIMILIANUS.

Ab anno 1564 — 1576.

1564. I. Curam rei publicæ confeſtim a tractatione pacis cum Transſilvano, quæ prius abrupta erat, orſus eſt. Sperabat enim illum, quod ad hanc conciliandam ſe interprete alias uſus eſſet, magis tractabilem futurum; ſed is rurſus ſuorum conſilio inductus bellum præ illa maluit, & ſub ipſa pacis tractatione *Szatmarinum*, abſente Melchiore Balaſſa aſtu intercepit, mox eodem impetu Rivulo dominarum, & vicinis oppidis potitus ad obſidendam Caſſoviam animum adjecerat, a quo tamen propoſito illum annus jam inclinans, & Lazarus *Schvendius* cum copiis appropinquans avertit, qui adſcitis in ſocietatem Andrea *Báthorio*, & vicinis militiæ Hungaricæ Præfectis ipſa hyeme ſequentis anni expugnato Tokaio Szatmarinum cum Rivulo dominarum recuperavit. Miſsi propterea

1565. Conſtantinopolim nuncii, qui, ne invidia in regem, quaſi prior inducias violarit, recideret, ſeriem rei geſtæ, & cauſas referrent. Transſilvanus, ne noſtri porro progrederentur, Stephanum Báthori ad Schvendium inducias flagitatum miſit, quibus durantibus de pace poſsit agi. Coaluit in eas fere condi-

IX. tiones

tiones, quas Ferdinandus ante dictaverat, [redacted] quibus Joanne etiam consentiente, Szatmari- 1565. ni scripto firmatis, Báthorius Viennam proficisci jussus, ut eas Maximilianus ratas haberet. Hic, dum rem sui Principis diligenter agit, alia ab eo mandata accepit, quæ cum in consultationem adducta fuere, & *Schvendius* Joannem cum Turcis Temesiensibus arma parare nunciasset, rex ludificari se ratus, Báthorium, Legato Poloniæ frustra obnixo, honesta custodia teneri jussit. Inde bellum ad Tibiscum recruduit, & mox in Croatiam propagatum, alterna utrobique fortuna gestum est. *a*) Interea, cum nuncii nondum Constantinopoli rediissent, missus est *Hosszutotius*, qui largitione benevolentiam palatinalium captaret, daretque operam, ne Transsilvanus induciis, quas pro arbitrio suo rumperet, & discordiæ semen inter Cæsarem, & Solymannum jaceret, deinceps comprehensus censeatur. Hæc ille quidem pro muneris sui ratione naviter egit, sed cum & census jam biennio intermissus, nec Tokaium esset redditum, Solymanni jussu, ut pro captivo Báthorio obsidem haberet, in custodia retentus est.

a) Istvánfi l. 22. Franc. Forgács. l. 15. Resolutio Cæsaris, cur Steph. Báthori in custodiam datus sit. Vien. 21. Jun. & 25. Jul. Vid. etiam Alphonsi Ulloa hist. belli anni 1565.

est. Cæsar, qui Turcarum morem patris
1566. exemplo probe nosset, bellum sibi instare
videns, Conventum regni Ordinibus ad IV.
Nonas Februarias Posonium indixit, cui,
quod ipse ad Comitia Augustam profecturus
esset, Carolum fratrem præesse jussit. Initia non
satis pacata erant, nam & Cæsaris absentiam
moleste ferebant, & exteros nondum belli præfecturis amotos, militumque, qui his parebant, in Nobiles perinde, ac plebem, insolentiam, minus, quam promissum erat, repressam querebantur, duo tamen floreni in bellum unanimiter decreti, &, quæ majori deliberatione, regisque præsentia egere videbantur, ad futurum Conventum dilata. Satis etiam prospere res in Comitiis Augustanis gesta. Etsi enim Imperii Ordines graviter ferrent, exterum militem cum suis Præfectis, qui sæpe adjumento Hungariæ fuissent, officiis moveri, & regno exigi, communis tamen periculi causa, si bellum Hungariæ Solymannus inferret, XL. Peditum, & VIII. Equitum millia in subsidium decrevere.

II. Durantibus adhuc Posonii Comitiis, Transsilvanus quoque suos Tordam VI. Idus Martias concivit, causamque, cur eos vocari jussisset, exposuit; Solymannum nempe universis viribus expeditionem in Hungariam parare, se propterea per *Chausium* fuisse ab eo admonitum, ut ipse socius quoque accederet, propositum sibi esse, voluntati Impe-

rato-

ratoris morem gerere, si ipsi ære, & milite se adjutum irent. Consensere, metu magis, quam æquitatis causa persuasi. Bello, post- 1566.
quam Solymannus Dravum attigit, prælusum. Turcæ Temesienses *Gyulam*, Transsilvani *Tokaium* obsidendum delegerant, quo reliquam belli molem Solymannus vellet convertere, cum incertum esset, nostrorum quoque vires distrahi oportuit. Schvendius ad Cassoviam, Comes Salmensis ad Comaromium, alii alibi, quo periculum vocare videbatur, excubabant, Cæsar cum robore exercitus, & Carolo fratre stationem Ovarini fixit. Dum hic de belli ratione consultatur, Solymannus ab itinere, quod inierat, repente digressus, *Szigetum* contendit, eique centum pugnatorum millia circumfudit. Zrinius ad famam adventantis hostis copias undique contrahens, annonam, ceteraque tolerandæ obsidioni necessaria arci intulit, certus animi, vitam prius ponere, quam deditionem facere. Nec minore, quam constituerat, virtute, locum eousque tuebatur, donec mœnibus in rudus prolapsis facta eruptione in medio hostium dimicans occumberet. Mortuo caput amputatum, & triumphi specie per castra circumlatum. Solymannus magna suorum jactura, supra XX. & quod supra est, millia amisisse fertur, votis suis tandem potitus non diu superstes fuit, paullo post in castris exstinctus; cujus mortem cum Turcæ summo silentio premerent,

Cæſar copias Jaurino Comaromium promo-
1566. vit, ut ex temporis opportunitate conſilium caperet, Strigoniumne obſidendum, an hoſtis alio diſtrahendus eſſet. Neutrum ob inſtabiles Turcarum evagationes præſtitum, res velitationibus ſolum acta, poſt vero, quam Transſilvanos Tokaio receſsiſſe allatum, & Solymannum certo obiiſſe, a Venetorum duce nunciatum eſt, communita adjectis operibus Caniſa, copiæ in hyberna diſtributæ. a)

III. Defuncto Solymanno certior ſpes pa-
1567. cis affulgebat. Selymus illius ſucceſſor *Hoſzſzutotium* cum ambiguis quidem reſponſis liberum dimiſerat, ſed cura ſtabiliendi imperii recens aditi, & noſtrorum, qui *Munkácsum* interea, *Senderoviam*, & *Patakinum* occuparunt, progreſsiones illum magis, quam pater fuerit, tractabilem redditura credebantur. Ipſis etiam regni Ordinibus viſum ad ſervandas, quæ ſupererant, reliquias pacem bello præferendam eſſe. Miſſus igitur eſt Verancius jam alias legatione apud Solymannum perfunctus

a) Litt. Joannis Sigismundi. Alba Jul. 6. Febr. Nic. Zrinii ad Urſulam de Caniſa ex Csáktornya. 19. Apr. Maximiliani ad Viennen. 21. ejusd. Andronici Tranquilli ad eand. Vien. 24. Jul. Iſtvánfi l. 23. Franc. Forgács l. 16. Surius ad h. a. Hiſt. Szigeti capti. T. I. Script. rer. Hung. pag. 723. & ſeq.

functus cum Christophoro *Teuffenbachio*, qui Selymi animum periclitarentur, monito prius de eorum adventu Alberto de *Vys*, qui internuncii locum Constantinopoli tenebat. Opportune Persarum Legatum, qui ipse etiam pacis causa paullo post aderat, prævenere, alioquin provinciam multo difficillimam adituri erant. Pax in octennium, quamquam non sine molestia, quod Turcæ pagos dedititios, qui hactenus tributum utrique parti ex æquo pendebant, sibi penitus dedi postularent, non incommoda Adrianopoli sequente anno confecta est, ea in primis conditione, ut, quæ in alterutrius potestate jam essent, tuta, salvaque utrique parti maneant, & ab omni hostilitate utrique durantibus induciis abstinerent. Joannis nulla in conditionibus facta mentio, qui Varadinum, unde Canonicos rebus omnibus privatos jam ante expulerat, indicto Conventu, religionum tricis, quæ Lutheri, & Calvini asseclas colliserant, magis erat implicitus, quam ut tunc quidem Cæsari negotium facessere potuerit; sed his utcunque sopitis, quod armis prius frustra tentaverat, occultis machinationibus perficere statuit. Fuere nonnulli, & inter hos Joannes *Balassa*, & Stephanus *Dobó* præcipui, qui non tam exemplo Francisci *Forgács* Varadinensis Episcopi, qui ob denegatum sibi Jaurinensem Episcopatum jam ante ad Joannem desciverat, quam largitione, & pollicitis per-

1567.
1568.
1569.

moti una cum arcibus, quas nomine regio
1569. tenebant, in partes illius concedere propofuerant, cum detecta ante tempus confpiratione majeftatis rei in Comitiis acti, & in carcerem conjecti funt, ferius poftea Ordinum deprecatione dimifsi. Transfilvanus exfpectatione fua fruftratum fe videns, cum nec a Selymo ob bellum Cyprium, nec a Vezirio Mehmete fibi perinfenfo quidquam auxilii fperaret, pacem miffo ad Cæfarem Gafparo *Bekefsio* folicitabat, & *Konarfzkio* Poloniæ Legato in-
1570. terprete his conditionibus obtinuit. Principis *ferenifsimi* titulo deinceps uti integrum ei fit, modo a *regio* abftineat: Transfilvaniam jure hæreditario pofsidebit, in Hungaria vero titulo *domini*, Comitatus Biharienfem, Krafznenfem, Marmarofienfem, & Zolnok mediocrem folum vita comite. Cæfar, cum unam filiarum Hifpaniæ, & alteram Galliæ regibus jam defponderit, pollicetur fe facturum, ut alterutra ex fuis neptibus, ad quam animum adjecerit, ei connubio jungatur, ex qua fi nullos liberos fufciperet, Transfilvanis liberum erit ab ejus obitu Vayvodam, quem volent, eligere, qui tamen fidelitatis juramento regibus Hungariæ obftrictus fit. Si quid verfus ortum Turcis eripuerit, id in ejus patrimonio cenfebitur; fin autem per eosdem Transfilvania cogeretur decedere, Ducatum Opolienfem, & Ratiborienfem jure fiduciario

obti-

obtinebit. Conventum præterea utrinque, ut pax, hujusque conditiones clam Selymo haberentur, liceretque Principi priſtinis externæ amicitiæ ſignis illum etiam dehinc obſervare, ne irritato hoſte ſibi, & provinciæ periculum accerſat. Pactis in hunc modum conſignatis cœpit per Legatos, præcipue Bekeſsium de matrimonio cum alterutra Cæſaris nepte ineundo agere: Juliacenſis ob non ſatis liberalem formam diſplicuit, Bavara autem, niſi nuncium Socinianiſmo mitteret, rediretque ad ſacra Catholica, nuptias averſata eſt. *a)* 1570.

IV. Mœror, quem ex repulſu animo conceperat, ſenſim in corpus etiam ceteroquin 1571.

a) Cod. jur. patr. ad a. 1567. & 69. Litt. Verancii ad Franc. Forgács. Epiſc. Varadinen. Vien. 22. Maji. 1567. Ejusd. ad D. Dornberg. Adrianop. 19. Mart. 1568. & ad Cameram Aulic. 28. Maj. ibid. Ejusd. ad Abbatem S. Georgii in portu Veneto. 3. Sept. & ad Epiſc. Zagrabien. Vien. 29. Apr. 1569. Sigismundi Pol. regis ad Adam. Konarſzki 26. Apr. Varſav. 1570. Dogiel Diplomatar. Pol. T. I. pag. 151. Cæſaris ad Camer. Poſon. Spira. 7. Nov. Joannis ad Albertum Bavar. Ducem. Alba Julia. 15. Dec. Iſtvánfi. l. 23. & 24. Wolfg. Bethlen. l. 5. Forgács l. 17. & ſeq. Octavianus Strada in Maximiliano II.

morbis crebro tentatum redundans, quatri-
1571. duo poſt, quam Cæſar X. Martii peculiares tabulas de Ducatu Opolienſi, & Ratiborienſi ſignaverat, tricesimo primo ætatis anno languentem exſtinxit. Condito teſtamento equos, & vetuſta ex auro, & argento numiſmata Cæſari, Selymo autem phaleras aureas gemmis ornatas legavit. Transſilvani ſecundum nuperna pacta liberam ab ejus obitu eligendi Vayvodæ poteſtatem nacti in partes abiere. Nobiles Stephanum *Báthori*, Siculi Chri-
1572. ſtophorum *Hagymdſsium*, & Saxones Caſparum Békeſsium apud Cæſarem Pragæ commorantem deſignabant; vicit tamen Nobilium auctoritas, & Báthori Vayvoda provinciæ renunciatus eſt, qui, ut ſe in dignitate conſtabiliret, Legatos confeſtim miſit, qui Cæſarem, & Selymum de re edocerent. Uterque electionem ratam habuit; Cæſar quidem ea conditione, ut pactis cum deceſſore initis ſtaret, fidemque ſuam juramento obſtringeret, quod ille haud gravate præſtitit, paullumque poſt cum aliquas ex conditionibus, quæ magis familiam deceſſoris, quam provinciam ipſam ſpectabant, mutari petiiſſet, Principis *Transſilvaniæ*, ſed *partium* regni Hungariæ ſolum *Locumtenentis* titulo, vetere *Vayvodarum* penitus abrogato, uti cœpit, qui ad reliquos ſucceſſores regum diſsimulatione tranſiit.

Cæſar afferta rurſum Hungariæ juribus Transſilvania, & finito Pragenſi Conventu Vien-

Viennam reversus lætissimum nuncium accepit; classem Turcicam ad sinum Corinthium auspicio Joannis de Austria, cæsis IV. hostium millibus, & C. ac LXXX. triremibus in potestatem redactis, ceteris mersis, & vix quinque fuga servatis die VII. Octobris profligatam fuisse. Ex hac victoria, cum hostis vires magnam partem accisæ fuerint, rex spem emolumenti aliquam concipiens, regni Ordines ad diem XI. Novembris Posonium convocavit, sed, cum ob grassantem aeris contagionem adesse non possent, Comitia in VI. Januarii sequentis anni differri oportuit. In his ante omnia provinciarum Legati Rudolphum Cæsaris primogenitum regem designari flagitabant, quod liberaliter illis datum, cumque præterea precibus contenderent, ut primo quoque tempore coronandum decerneret, VIII. Septembris cum conjuge, Rudolpho, Mathia, & Maximiliano filiis Posonium venit. Regem designatum Verancius Strigoniensis Archiepiscopus postridie luculenta oratione salutavit, paucis ea complexus, quæ rex regno, & hoc illi ad servandam animorum utrinque conjunctionem, sine qua rem publicam vacillare necesse sit, ex Majorum instituto, quod gentibus lingua, moribus, & indole discretis diversum quoque esse solet, præstare debeant. Inauguratione solito ritu peracta Cæsari subsidium, & no- 1572.

vo regi donum gratuitum pro veteri more ab
1572. Ordinibus constitutum.

Intervenerat utrisque Comitiis destinato tempori, ipsis Calendis Julii mors Sigismundi regis Poloniæ, quæ in tam frequenti, qui futurus erat, concursu competitorum Cæsarem solicitum habuit, veritum nempe, ne non hic etiam Gallia suas machinas adhibeat, ad quas impediendas Guilielmum *Rosenbergium* Comitiis interesse voluit, privatis mandatis instructum, ut pro Ernesto filio suffragia solicitet. Pro ambientium regiam dignitatem numero, & largitionum copia, diversæ etiam Senatorum, aliorumque suffragatorum erant sententiæ: pars ipsum Cæsarem, ejus filium Ernestum altera, Hispanum alii, rursus alii Gallum, vel Moscum designabant, quin non deerant, qui in Cæsaris Legatum Rosenbergium etiam conspirarent, ut Comitia quamdam fere nundinationis imaginem referre viderentur, donec anno insequente Henricus Galliæ regis frater reliquis
1573. tandem prælatus, &, ut regnum capesseret, per Legatos eo fere tempore invitatus est, quo nuncius a Selymo Viennam advenerat annuum munus petitum, & nisi confestim exhiberetur, etiam bellum comminatus. Arrogantiam hominis fovit spes pacis cum Venetis ineundæ, eosque a reliqua in Turcas confœderatorum societate abstrahendi. Illud etiam perincommode in idem tempus inci-

derat;

derat, quod decem fere ruſticorum millia inter Culpam, & Savum arma in dominos, a 1573.
quibus ſe nimium premi querebantur, corripuerint, & Turcæ hac occaſione uſi Sclavoniam, & Croatiam percurſantes ſpolia agerent, magnaque colonorum pars propterea aliorſum migrare cogeretur. *a)*

V. Remiſſo ſine annuo munere, quod illius mittendi tempus nondum adeſſet, nun- 1574.
cio Turcico, ne quid moleſtiæ propterea regno conficeretur, additus eſt ei ſocius, qui non ſolum cauſas dilati muneris referret, idque conſueto tempore exhibendum polliceretur, ſed locum quoque defuncti Alberti de *Wys* internuncii teneret. Ut Conſtantinopolim venit,

---

a) Cæſaris diploma Pragæ. 10. Mart. 1571. apud. Wolfg. Bethlen. l. 5. & Báthorii juramentum Cæſari præſtitum. l. 6. Litt. Verancii ad Georg. Draſcovics. Epiſc. Zagrabien. Poſon. 8. Mart. Ejusd. ad C. Eckium a Salmis. Tirn. 14. Apr. Ejusd. ad Draſcovics. ibid 27. Maji. & ad Paul. Bornemiſza. Ujvár. 26. Jul. Cæſaris ad Verancium. Vien. 29. Sept. Anonym. ad eund. ex portu Cardella Ægei maris 9. Oct. Verancii ad Sambucum Tirnav. 13. Dec. Cod. jur. patr. ad an. 1572. Litt. Verancii ad Franc. de Nádasd. Vien. 1. Jul. Cæſaris ad Verancium. Vien. 27. Febr. 1573. & rurſus 28. ejusd. Verancii ad Sambucum Poſon. 20. Apr.

venit, parum liberaliter a Selymo acceptus
1575. est, nec apud Amurathem, qui haud multo post patri defuncto successerat, spes ulla prorogandi inducias apparebat. Cæsari magnopere propterea solicito altera mox cura ex improviso subnata est. Henricus, qui superiore anno electus regnum jam adierat, repente insalutatis Polonis, ut fratri Carolo succederet, in Galliam reversus est. Fuga regis Polonos valde anxios reddidit. Scripsere idcirco ad Cæsarem, ipsum quoque Henricum, aliosque Principes, ut sinistram de se famam, si quæ spargeretur, mature occuparent, cumque frustra integro prope anno reditum Henrici præstolantur, Senatores unanimi consensu regnum vacare editis sequente anno XV. Julii litteris declararunt, Comitiis ad Calendas Decembris Varsaviam indictis, in quibus de novo rege eligendo ageretur. Poloniam prensantium pene idem nunc, qui ante numerus erat: præter Cæsarem, filiumque Ernestum, fuere Joannes rex Sueciæ, Alphonsus Ferrarienus, & Jannes Basilides Moscorum Duces. Stephanus quoqe Báthorius Georgium Blandratam eo miserat exploratum, &, si quæ spes potiundi regni appareret, confestim ad se referat, ut misso Oratore ipse etiam inter candidatos nomem suum profiteretur, monuit tamen, ne, si vota in Cæsarem conspirare videret, quidquam adversum moveat, mox tamen, ut ex eo intellexit,

tellexit, Oratorem, ſi mitteretur, non fru-
ſtra venturum, Martinum *Berzeviczium* Var- 1575.
ſaviam legavit, ſimul apud Amurathem egit, ut ſibi ea in re adjumento eſſet, vetera fœdera inter Turcas, & Polonos olim ſancita ſe optima fide ſervaturum pollicitus. Diuturna fuit Legatorum Cæſaris, erant hi Joannis *Cobenzl*, & deſertor religionis Andreas *Dudicsius* cum *Berzeviczio*, in Comitiis concertatio.

Conditiones, quas Principis ſui nomine proponebat, erant ſplendidæ, & regno utiles: præter immunitates, quas juramento ſe firmaturum receperat, promiſit quoque ſe non ſolum regni debita, quæ prope quingenta aureorum millia æquabant, velle diluere, ſed quod per Moſcos hactenus ex regni ditione decerptum erat, recuperaturum, limitesque ita firmaturum, ne ulli hoſtium aditus deinceps pateat, &, ſi uſpiam interea periculum ingrueret, ad id propulſandum ducenta florenorum millia, ut primum voluerint, miſſurum, His addebant pondus Amurathis litteræ per *Chiauſium* ad collectos Ordines miſſæ, quibus ſuadebat, ut, ſi neminem ex ſuis vellent, regem vel Suecum, cui ſoror Sigismundi nupta eſſet, vel Báthorium deligant. Unica, quæ hunc morari poterat, ea conditio a Polonis propoſita fuit, ut Annam defuncti regis ſororem duceret uxorem, in hanc quoque, licet quadragena-

ria

ria jam eſſet, regni cauſa conſenſit. Cæſar
1575. intereà, dum Comitia apud Polonos variis opinionibus æſtuabant, poſt abſolutum Poſonii Conventum, Pragæ, ut filium Rudolphum coronari curaret, morabatur, inde Ratisbonam, ut eundem Germaniæ regem daret, digreſſus eſt. Hæc mora cum videretur minus, quam par erat, ambiendi ſtudium præferre, multos Procerum in Báthorium, qui largitione Cæſarem ſuperabat, inclinare viſa eſt, cumque ad ſuffragia ventum, Gnesnenſis Archiepiſcopus Cæſarem, & Palatinus Cracovienſis Báthorium regem renunciarunt, miſsique e veſtigio ad utrumque Legati, qui eos gentis nomine ad capeſſendum regnum vocarent. *a)*

VI.

a) Joan. Ozwog. Pol. Legati oratio ad Steph. Báthori, dicta in Megyes. 25. Jan. Litt. Senatorum Pol. ad Cæſarem, & Henricum regem, horum reſponſa. Tom. III. ſcript. rer. Polon. Amurathis ad Polonos. Conſtantinop. 13. Mart. Cæſaris ad Báthorium. Vien. 30. Jul. Georg. Blandratæ ad eund. Varſovia. 20. Octobr. Wolfg. Bethlen. l. 6. Sed conditiones aliquæ diſſentiunt ab iis, quas Blandrata ad Principem perſcripſit. Confer etiam hiſt. belli Valachici anni 1574. Leonardo Gorecio autore.

VI. Uterque electionem ratam habuere: ac Cæſar quidem Legatis urgentibus XXIII. Martii Viennæ juramentum Ordinibus præſtiterat, ſed cum tempus moroſe terit, & jus aquiſitum in Erneſtum filium transferre cogitat, Báthorius concitis provincialibus, iisque conſentientibus fratrem Chriſtophorum Transſilvaniæ præfecit, & ſervata ſibi in eam ſuprema auctoritate, parteque proventuum, in Poloniam profectus *Andreoviæ* omnium conſenſione rex confirmatus, & Calendis Maji coronatus fuit. Sero Cæſarem moræ pœnituit, nec reſtabat aliud, quam ut vel jus in Poloniam perſequeretur, vel Transſilvaniam ex pacto repeteret. Neutrum ſine armis fieri poſſe cum videret, & Turcæ etiam occupata *Caniſa* non quieſcerent, conſtitutis, qui ſe abſente curam Hungariæ haberent, Carolo fratre, & Erneſto filio, Ratisbonam abiit, ut cum Principibus Imperii de ſubſidiis decernendis ageret, in quo conatu illum mors XII. Octobris præter opinionem occupavit. *a*) Toto, quo rerum ſummam tenuit tempore, illud ſibi propoſitum in primis habebat, ut, quoad poſſet fieri, pacatiſsime re- 1576.

a) Wolfg. Bethlen. l. cit. Iſtvánfi. l. 25. Litt. Maximiliani ad Cameram Poſonien. Ratisb. 1. Jun. & 22. Sept. Rudolphi ad eand. Piespordius in in Maximiliano II.

1576. regnaret. Hac de causa nulli religionum molestus fuisse legitur, cura, quæ Principes illius temporis magis, quam res politicæ, exercebat, posteris relicta. *a*)

RUDOL-

a) Filios quatuor superstites præter Rudolphum, reliquit Ernestum, Mathiam, Maximilianum, & Albertum; filias tres, Annam Philippo II. Hispaniæ, Elisabetham Carolo IX. Galliæ, regibus nuptas, & Margaretham inter sacras Virgines cooptatam.

RUDOLPHUS.

Ab anno 1576. — 1608.

I. Cum ab adito regno provinciæ Belgicæ
magis jam, quam alias, aperte nutarent, id 1576.
ante omnia ſibi agendum exiſtimavit, ut
inducias cum Turcis ſtabiliret. Negotium id
datum eſt Joachimo *Sinzendorſio*, qui Davidis *Ungnadii* miſsionem flagitantis locum Conſtantinopoli deinceps teneret. Nec Amurathes bello Perſico occupatus prorogatis ad octennium induciis difficilem ſe præbuit. Sed, ut Turcarum Præfecti longe Conſtantinopoli remoti inducias ex ſuo commodo ſervabant, ita impune per Sclavoniam, & Croatiam ad fines Styriæ, & Carnorum graſſabantur. Hanc partem juſſu Cæſaris Carolus patruus curandam
acceperat, qui, ut hoſtium procurſiones ſiſteret, fundum ſitu opportunum a Zriniis coemerat, in quo munimentum, collato ab Ordinibus Imperii, & provincialibus octingentorum, & quadraginta quinque millium florenorum precio erexit, *Caroloſtadium* a ſuo nomine dictum. Ob præſidii hujus utilitatem Ordines ad Calendas Februarias ſequente anno Poſonium convocati præfecturam militarem in Sclavonia Carolo, in Hungaria Erneſto ea 1577.
conditione decreverant, ut hic Hungarorum, 1578.

ille

ille Bani consilio uterentur. His constitutis
1578. Rudolphus Pragam sibi stabilem sedem delegit, majorem temporis partem, neglecta fere rei publicæ cura, litteris, &, si ab his vacabat, hastiludiis impendens, quæ vitæ ratio primus ad amittendum postea regnum quasi gradus fuit.

Carolus vero, & Ernestus, quibus cura
1579. militiæ erat credita, hanc inter se rationem inierant, ut inducias quidem bona fide se servaturos, procursiones tamen in hosticum, si has Turcæ inchoarent, demtis solum, quod induciis diserte cautum erat, obsidionibus, facturos constituerint. Et Carolus quidem, postquam Turcæ primi inducias rupere, coactis ex Styria, Carniolia, & Carinthia copiis, aliquot arces in Croatia iis ademit, tametsi nostris in hyberna dilapsis rursum in hostis potestatem venerint. Quare, ut res majoribus viribus agi posset, Comitia, quibus absente Rudolpho Ernestus præerat, coacta sunt, quorum non is tamen, qui sperabatur, exitus fuit.
1580. rabatur, exitus fuit. Nobilitas, quæ frustra toties flagitaverat, ut exteri a militaribus præfecturis, aliisque, quæ magis opulenta erant, officiis moverentur, nec subsidia decernere, nec de iis, quæ ad communem regni defensionem pertinebant, consulere voluit, quin Ernesto obtestante, ut Cæsaris responsa exspectaret, a Conventu, quod nunquam alias contigit, rebus infectis digressa est.

est. Quæ secessio cum periculo non vacaret, Cæsar rursum Comitia, quibus se interfuturum promiserat, in annum sequentem ad VIII. Idus Januarias indixit, quæ tamen partim ob res Belgicas nondum pacatas, partim Transsilvanas, quæ mortem Principis Christophori Báthori consequutæ sunt, ad diem XI. Novembris differri debebant. Transsilvani vivo adhuc Principe, utrum summa rerum Sigismundo illius filio, nec ne, a patris obitu committenda esset, in partes scissi erant, nec Stephano regi eorum opinio probabatur, qui id onus puero imponi cupiebant, Cæsar quoque ex pactis cum Stephano initis ad se pertinere arbitrabatur, ut Transsilvanis Vayvodam, quem vellent, libera eligendi potestas inviolata maneat, a se deinde in dignitate confirmandum. Distractas sententias mors Principis, & Stephani regis, Cæsare non invito, & dissimulante, suffragium conciliavit, & puer sub cura Tutorum Vayvoda declaratus est. *a)* 1581.

II.

a) Cod. jur. patr. Wolfg. Bethlen. l. 6. Istvánffi l. 25. Valvasor Descript. Carnioliæ. pag. 347. Cæsar Canonic. Lateran. Descript. Styriæ P. I. pag. 464. Megizerus annal. Carinth. l. 12. Litt. Cæsaris ad Bassam Budensem. Vien. 4. Oct. Ejusd. ad eund. 4. Nov. ibid. Ad Turcar. Imp.

1582. II. Interea tempus Comitiis præstitutum aderat. Præfuit illis, ut receperat, ipse Cæsar, sed ob contentiones, quas Ordines de firmandis regni immunitatibus instaurabant, in annum sequentem protracta sunt, diuque nihil effectum, donec Procerum sponsione omnia futuro Conventu in pristinum statum reponenda esse, Nobilitas tandem pacata, subsidium, ceteraque, quæ petebantur, decresset. Nicolaus Istvánfius, elegans rerum nostrarum scriptor, omnium consensu, ut locum Palatini teneret, ejusque officio fungeretur, electus est, & soluto Conventu Stephanus *Nyári* Legatus ad Amurathem missus, qui prope anni finem inducias in novem annos firmatas, ducto a Calendis Januarii sequentis anni initio, retulit, ad cujus Calendas Martias rursum Conventus Posonii habitus priore nihil ferme pacatior. Subsidium quidem in futuros duos annos ea conditione decretum est, ut Cæsar immunitates regni secundum leges Majorum in integrum reponat, nisi id fieret, nulla deinceps subsidia a se conferri posse

1583.

Imp. eod. ibid. 1577. Ejusd. ad Bassam Buden. ibid. 12. Febr. 1578. Ejusd. encyclicæ ad Hung. Prag. 6. Jan. 1581. Joan. Zamoisci Pol. Canc. ad Wolfg. Kovácsoczi. Vilna. 10. Jun. 1582. Andr. Báthori Cardinalis ad Princip. Transsilv. Cracov. 11. Sept.

posse indicabant. Delecti postea, quoniam id Ordines vehementer flagitabant, duo Consiliarii ex Hungaris, qui ad certum tempus, & his recedentibus alii duo semper Cæsari ad latus sint, quorum opera in rebus Hungaricis utatur. Actum præterea, ut usus Calendarii novi, seu Gregoriani in regno induceretur, sed obstabat illud, quod auctoritate Pontificis, & Catholicorum studio annus emendatus fuerit, *a*) satis probabili indicio eos, qui ab avita religione desciverant, præcipuas tunc in Comitiis, ut fere deinceps, partes habuisse. Ceterum nimia Ordinum libertate Cæsar offensus tricesimo post, quam cœpit, die Conventum solvit, & quadriennio ab habendis Comitiis abstinuit. 1583.

a) De Calendario res Episcopis commissa, ut ejus usum in suis Diœcesibus provehant. Sed obstabant Acatholici. Certe Schemnicienses d. 8. Dec. cur id nolint acceptare, hanc rationem reddidere: *quia nusquam, nisi ubi Papatus dominatur, illud receptum esse intelleximus.* Et Emeric. Forgács, ex castro Byche d. 12. Dec. ad Trenchinien. Ministros: *proinde mandamus — ne ulla ratione audeatis recipere recens Calendarium, — quod non solum regni Status repudiant, sed neque Imp. Principes, neque vicinæ provinciæ approbarunt.*

Viennam reduci litigium cum rege Po-
1583. loniæ obortum. Petebat is *Szatmarinum* non tam ſibi, quam Transſilvanis reſtitui, præterea conſcribendi in Hungaria, & Imperio militis veniam poſcebat, tum, ne Cæſar cum Moſcis conſilia Polonis noxia ineat, neve navigationem Narvicam iis impediat, denique ad finitimorum querelas, injuriasque cognoſcendas, & diſcernendos utriusque regni limites ex Hungaris probos viros deligat. Ad poſtulata nomine Cæſaris reſpondit Joannes Cyrus: Cæſarem nihil contra regem moliri, cum Moſcis tractari res privatas, quæ nihil ad Poloniam pertineant: Szatmarinum vero contra pacta cum Joanne Sigismundo inita, quæ ipſe rex, dum Transſilvaniæ præerat, rata habuiſſet, repetere haud æquum videri, militem in Imperio conſcribere, lege vetitum exteris eſſe, & Hungariam, quæ potentiſsimum hoſtem in viſceribus habeat, ſi milite nudetur, manifeſto periculo expoſitum iri: Narvicam navigationem cuivis ex conſtitutione Imperii eſſe liberam, modo ne arma, aliasve res bello idoneas hoſtibus vehat, quod ad finitimorum querelas attinet, Cæſarem amicitiæ colendæ conſtanter ſtuduiſſe, ſi quid contra factum fuiſſet, id privatis tribuendum; ad diſcernendos vero regni limites, in proximis Comitiis, nec enim ſine Ordinum conſilio id fieri ſolere, arbitros deligendos, qui litem ex æquo componant. Demum

num, quoniam dissidium a Szatmarino ortum haberet, Cæsarem pacis, & quietis retinendæ causa *Nagybányam*, olim *Rivulum Dominarum* dictum, *a)* oppidum ab auri fodinis celebre pro *Szatmario* cedendum duxisse. *b)* 1583.

III. Iste in hunc modum composita Cæsar ob famem, & quæ hanc consequuta est, pestem integro fere biennio per Hungariam, & vicinas regiones grassantem in Bohemia con- 1586.

N 3

a) Fere enim semper dotis nomine Reginis inscribi solebat, unde *Dominarum* nomen accepit.

b) Cod. jur. patr. ad a. 1582. Cæsaris respons. ad supplicat. Ordinum. 21. Apr. 1583. Replica illorum. 24. Apr. Modus a Cæs. propositus tollendi gravamina. 25. ejusd. Ordinum responsa. 26. ejusd. Litt. Cæsaris ad regem Polon. Vien. 28. Febr. Ejusdem ad suum Legatum ex Ebersdorf. 24. Jun. Ejusd. ultimum responsum Legato Pol. datum. Pragæ. 17. Sept. Magistratus Schemnicien. ad Emeric. Forgács. 8. Dec. Hujus ad Pastores Trencsinien. de novo Calendar. ex Byche. 12. ejusd. Wolfg. Betlen. l. 6. Sed quædam ex testamento Stephani, quæ hujus in religionem catholicam studium commendant, omittit. Cons. Georgii Chiakor, de morte Stephani regis libellum Claudiop. editum fine a. Fuit Secretarius regis, refertque hunc non sine veneni suspicione ab Italo Medico porrecti exstinctum.

se impediturum promittet, Lubloviam cum
1589. bellico apparatu, quem ibi repererat, XXI. Julii Polonis reddet, &, ut sopitis dissidiis amicitia in solidum stabiliatur, vetera pacta, quæ inter regna, & provincias utriusque partis olim sancita erant, novo fœdere roborentur, conditiones denique has præter Cæsarem, regem Poloniæ, & Maximilianum, reliqui quoque Archiduces, regnorumque omnium, & provinciarum utriusque partis Ordines juramento firmabunt, & litteras fidei testes regi Poloniæ tradent.

Exemplum transactionis ad Cæsarem eo tempore missum est, quo ei ob dilatum munus honorarium difficile cum Amurathe negotium intervenerat, quo per Oratorem, & litteras ad Sultanum, aliosque datas utcunque composito, Episcopum Vratislaviensem in Poloniam ire jussit, ut postremum transactionis caput de juramento per Cæsarem præstando mutari, aut certe leniri curaret; satis esse ad fidei auctoramentum, si Cæsar, & rex verbo regio, Legati autem juramento transactionem firment, qui mos olim inter Ferdinandum Imperatorem, & Sigismundum Poloniæ regem observatus fuisset, esse enim inter Principes, & qui horum personam gerunt, Legatos discrimen, Cæsarem sibi persuadere eos magis civiles esse, quam ut id ei negent. Poloni, qui capto Archiduce potestatem dandi, non accipiendi leges, in suo arbitratu habe-

be-

bebant, in proposito persistere. Itaque Cæsar juramentum præsentibus Poloniæ Legatis Pragæ tandem præstitit, nondum tamen Maximilianus e custodia dimissus, nisi cum Cæsare data cautione promiserit, Hungariæ etiam Ordines pacta in proximis Comitiis juramento confirmaturos esse, verum hi, si Lublovia cum reliquis oppidis, a) in jus Polonorum concederet, veriti, ne juribus coronæ præjudicium creetur, adduci non poterant, ut, hoc capite transactionis nondum satis illustrato, se juramenti religione obstringant. 1589. 1590.

Rex Poloniæ hac tergiversatione ludificari se existimans, litteras querelarum plenas ad Pontificem, qui conciliationis autor erat, ad Cæsarem, & Archiduces dedit, acerbe questus pacta, quæ unanimi partium consensione inita, ac Oratorum stipulatione firmata fuissent, pe-

a) In formula juramenti hæc continentur: castrum nostrum *Lublow*, alias *Lublowa* cum oppido, & oppidum *Podolinecz* cum *Fortalitio*, lacrualis, — nec non civitatibus oppidisque nostris *Scepusiensis*, *Diœcesis Strigoniensis situatis*, videlicet, *Gnyzna*, *Bela*, *Leubicz*, *Maynhardsdorf*, *Deuchendorf*, *Michelsdorf*, *Ilka*, *Walendorf*, *Kyrchdorf*, *Georgenberg*, *Durelsdorf*, *nuncupatis*.

rum millibus Adrianopoli movens Belgradum Octobri exeunte venit. Hic ei primum de pro-
1593. fligato III. Novembris ad Albam regiam Bassa Budensi, & paullum post de occupato a nostris *Filekino*, vicinisque aliquot arcibus, & amisso ad *Sisciam* Peditatus robore nuncium allatum est. Tot cladibus, praesertim Albensi, qua XIV. millia amissis castris perierant, coactus est distributo in hyberna milite alias consilii rationes inire. Incertum tamen erat, in quam partem sequente anno evasu-
1594. rus esset, praeter Hungariam enim Valachiam quoque sibi eo destinari Legatus Angliae ad Principem Transsilvaniae perscripserat, qui, ut avertendo periculo, nec enim socium se Turcis jungere volebat, mature caveret, missis ad Pontificem, Caesarem, & Regem Poloniae, aliosque Christianos Principes nunciis auxilia implorabat. Ac Caesar quidem *Teuffenbachio* mandarat, ut quantis sine suo periculo posset copiis, si opus fuerit, Principi adsit, Regina quoque Angliae datis ad Sultanum litteris petebat, ne arma in Transsilvanos converteret, Poloni, ut lenta ambiguaque spe *Sinanum* duceret, suadebant. Vis itaque omnis Hungariae incubitura videbatur, quantum ex hostis apparatu conjici poterat, quem ut Caesar anteverteret, fratrem Mathiam copiis in Hungaria, Maximilianum in Croatia praefecit. Utriusque ductu res initio satis feliciter gesta: Maximilianus *Petriniam* arcem,

Ma-

Mathias *Neogradum* subegere; tentatum quoque est *Hatvanum*, & *Strigonium*; sed cum prope deditionem jam esset, adveniente *Sinano* relictum; qui nostris *Comaromium*, mox in mediterranea insulæ *Cituorum* regressis *Veszprimium*, & *Palotam* nullo pene negotio occupavit; tum ultra progressus dedita *Tata*, Jaurinum obsedit, & post duos menses proditione *Hardeckii* obtinuit. 1594.

Cæsar Hungaros tot arcium jactura consternatos litteris in spem erigere nitebatur, auxilia non solum in Comitiis Ratisbonensibus decreta tempori affutura, sed Moldaviæ, & Valachiæ etiam Vayvodas, qui Legatos ad Imperium jam misissent, in belli communionem futuro anno venturos pollicitus, quos propterea in Principum Imperii cœtum cooptatos missis vexillis inauctorasset. Princeps quoque Transsilvaniæ Constantinopoli a familiaribus admonitus XL. Tartarorum, & X. *Circassorum* millia ad invadendam Transsilvaniam destinata esse, de excutiendo Turcarum jugo, & communi cum Cæsare, & Principibus ineundo fœdere cogitabat. Causa amplectendi hujus consilii erat *Sinani* fastus, qui præter imperatum tributi augmentum, in bellum futuri anni tormenta currulia, naves, annonam, ac reliquum apparatum a Principe subministrari, &, ut sibi ea pompa, qua Joannes Zapolya Solymanno obviam veniret, poscebat. Re Ordinibus proposita plerique ser-

id gerendum apparatu, ut res, locus, & tem-
1595. pus poscent, juvabit: postremo, si nuptiæ non coalescerent, utraque pars liberam a fœdere recedendi, quin id alterutri fraudi sit, potestatem habeat. Actum quoque de pactis nuptialibus, quibus rite conditis Legati Praga Græcium profecti *Christiernam* Caroli Archiducis Patrui Cæsaris filiam Principi in Transsilvaniam adduxere, & Cæsar conditiones cum eo initas, ab Ordinibus, qui Posonii in Comitiis collecti erant, firmari curavit.

His solutis apparatus ad bellum, quod Mehemetem Amurathis successorem moliri allatum erat, per hæreditarias provincias facti. Collectæ præter Hungaros, ex Imperio, Bohemia, Italia, & ex hac Pontificis præcipue sumtu, ex Belgio, & aliunde stipendiis copiæ LX. facile millia superabant, his ut Carolus *Mansfeldius* sub Mathia Archiduce præesset, e Belgio accitus, qui in citima Danubii parte rem gereret, trans Danubium Maximiliano additus est *Teuffenbachius*, ut ex pacto Transsilvanis adesset, his enim proximum ab hoste periculum imminebat, vocatus etiam in societatem rex Poloniæ, qui, quod Transsilvanus Moldaviæ, & Valachiæ Vajvodas, quos sibi fiduciario jure obnoxios prætendebat, in clientelam recepisset, subornante Zamoiscio venire renuit. Mansfeldius igitur nihil morandum ratus in Hungariam duxit, & cæsis non longe Strigonio XV. Turcarum millibus ar-

arcem assultu cepit. a) Alia parte Sigismundus Partis Lippa, totaque vicinia exactis, Vayvodæ Transalpinensi, cui Sinanus imminebat, Germanicis copiis a Maximiliano adjutus, auxilio veniens, gemino prælio hostem profligatum trans Danubium repulit.

Mahometes tot cladibus irritatus expeditionem suis in sequentem annum edixit, cujus fama cum percrebresceret, nec Turcas frustra minari solitos constaret, Transsilvanus, cujus provincia periculo proxima erat, Pragam, ut de belli futuri rationibus consultaret, ad Cæsarem contendit. Promissi sunt ex Hungaris mille Equites, & tria Peditum millia, ex Germanis bis mille Equites, & trimestri spatio stipendia, in quemvis mensem XXX. 1596.

a) Conventio inter Cæs. & Principem Transsilv. Pragæ 28. Jan. Privatæ utrinque conditiones, ibid. 6. Febr. Tab. fœderis inter Sigismundum, Moldav. & Valach. Vajvodas. Alb. Jul. 20. Maji apud Pray supplem. Annal. pag. 154. Litt. Sigismundi ad Cæs. & Maximilian. Archid. Alba Jul. 2. Jun. item 10. ejusd. Maximiliani ad Sigismundum, ex castris ad Rakomaz. 6. Sept. Consilia Transsilvanorum ad Maximilian. quibus Turca vinci possit. l. d. Wolfg. Bethlen. l. 8. & 9. Istvánfi. l. 29. & 30. Závodski Diar. l. c. Legatio Cæsar. ad regem Pol. apud Matth. Bel. monument. Dec. 1. pag. 329.

1597. regi, ad quam vetusto ceteroqui jure pertinebat, tradere constituit. Hoc proposito Pragam profectus Cæsarem in principio difficilem reperit, qui, ut ab hac destinatione desisteret, multis rationibus agebat, facile enim fieri posse, ut hac, qua erat, ætate illum coepti non sine nota inconstantiæ poeniteat, spemque rerum, quæ hactenus utcunque feliciter cecidissent, importune succidat; idem cum Pontificius Legatus, & Hispaniæ Orator irrito conatu suasissent, de conditionibus agi coeptum: interpretes fuere Stephanus *Bócskai*, quem multi auctorem hujus consilii habebant, & Josephus *Josika* Cancellarius Principis, qui magis, quam Princeps tunc fuerit, pacato, subactoque animo deliberarent; quorum studio in hæc capita conventum: Cæsar Principi Ducatum Oppoliensem, quem Isabella Regina cum filio olim tenebat, cedet, adderque quinquaginta aureorum millia, quæ Venetiis, vel Romæ, aut Genuæ eidem numerentur. Privatim ipse cum Cæsare de divortio egit, & si forte animum ad Sacerdotium appelleret, uti apud summum Pontificem pro consequenda purpura adjumento sit, & reditus ex optimo quod in ejus potestate futurum esset, beneficio Ecclesiastico designet. His utrinque roboratis Princeps ad suos rediit, ut transactionis conditiones Ordinibus proponeret. Quamquam autem hæc clam acta fuerint indi-

judicium tamen ad Cardinalem Andream Bathorium pertigit, qui, cum jus in Transsilvaniam ad se pertinere existimaret, nullam sui in tractatione rationem fuisse habitam Pontifici questus, orabat, ne, si coepta tractatio impediri non posset, se deserere vellet, a quo cum responsum accepisset, curam illius pro dignitate habitum iri, monitusque esset, ne se rei jam transactae ingereret, a coepto desistens ipse etiam conventionem ratam habuit. 1597.

Interim res belli fere alterna fortuna agebantur. Nostri *Tatam*, & quae non longe disjuncta est, *Papam* occuparunt, etsi paullum post cum *Vacio* iterum a Turcis receptae fuerint. Jaurinum quoque frustra hoc anno tentatum, sequente *Schwarczenbergii*, & Nicolai *Pálfii* virtute paullum post, quam XXIX. Martii Comitiis finis esset Posonii impositus, recuperatum est. Accepta hac jactura cum Turcae quiescerent, Caesar ad capessendam secundum pacta Transsilvaniam Stephanum Szuhai, Franciscum *Nádasdium*, cui postea Nicolaus *Istvánfi* subrogatus est, & Bartholomaeum *Pezium* Legatos ad Principem misit, qui sub idem tempus Conventum *Tordae* eadem de causa habebat, res tamen, cujus causa venerant, per *Josikam* Cancellarium, qui ipse Principatum clam prensabat, interversa erat, nisi machinatio mature detecta fuisset. Dicto igitur ab Ordinibus regi Hungariae, & 1598.

regi, ad quam veluti ceteroqui jure perti-
1597. nebat, tradere constituit. Hoc proposito Pragam profectus Cæsarem in principio difficilem reperit, qui, ut ab hac destinatione desisteret, multis rationibus agebat, facile enim fieri posse, ut hac, qua erat, ætate illum coepti non sine nota inconstantiæ poeniteat, spemque rerum, quæ hactenus utcunque feliciter cecidissent, importune succidat; idem cum Pontificius Legatus, & Hispaniæ Orator irrito conatu suasissent, de conditionibus agi coeptum: interpretes fuere Stephanus *Bócskai*, quem multi auctorem hujus consilii habebant, & Josephus *Josika* Cancellarius Principis, qui magis, quam Princeps tunc fuerit, pacato, subactoque animo deliberarent; quorum studio in hæc capita conventum: Cæsar Principi Ducatum Oppoliensem, quem Isabella Regina cum filio olim tenebat, cedet, addetque quinquaginta aureorum millia, quæ Venetiis, vel Romæ, aut Genuæ eidem numerentur. Privatim ipse cum Cæsare de divortio egit, & si forte suis animum ad Sacerdotium appelleret, ut sibi apud summum Pontificem pro consequenda purpura adjumento sit, & reditus ex optimo, quod in ejus potestate futurum esset, beneficio Ecclesiastico designet. His utrinque roboratis Princeps ad suos rediit, ut transactionis conditiones Ordinibus proponeret. Quamquam autem hæc clam acta fuerint, indi.

judicium tamen ad Cardinalem Andream Báthorium pertigit, qui, cum jus in Transsilvaniam ad se pertinere existimaret, nullam sui in tractatione rationem fuisse habitam Pontifici questus, orabat, ne, si coepta tractatio impediri non posset, se deserere vellet, a quo cum responsum accepisset, curam illius pro dignitate habitum iri, monitusque esset, ne se rei jam transactae ingereret, a coepto desistens ipse etiam conventionem ratam habuit. 1597.

Interim res belli fere alterna fortuna agebantur. Nostri *Tatam*, & quae non longe disjuncta est, *Papam* occuparunt, etsi paullum post cum *Vacio* iterum a Turcis receptae fuerint. Jaurinum quoque frustra hoc anno tentatum, sequente *Schwarczenbergii*, & Nicolai *Pálfii* virtute paullum post, quam XXIX. Martii Comitiis finis esset Posonii impositus, recuperatum est. Accepta hac jactura cum Turcae quiescerent, Caesar ad capessendam secundum pacta Transsilvaniam Stephanum *Szuhai*, Franciscum *Nádasdium*, cui postea Nicolaus *Istvánfi* subrogatus est, & Bartholomaeum *Pezium* Legatos ad Principem misit, qui sub idem tempus Conventum *Tordae* eadem de causa habebat, res tamen, cujus causa venerant, per *Josikam* Cancellarium, qui ipse Principatum clam prensabat, interversa erat, nisi machinatio mature detecta fuisset. Dicto igitur ab Ordinibus regi Hungariae, & 1598.

curitate Demetrium *Napragium*, & Stepha-
1599. num *Bocskaium* Pragam misit, qui post explicatas, cur Princeps rediisset, caussas, novas redintegrandæ amicitiæ conditiones proponerent, quæ ejusmodi fuere, ut vacillantem Principis animum satis proderent, magisque fucata Legatio videretur, quam conciliationis gratia suscepta. Præterquam enim, quod ad priorem *Illustris Principis* titulum etiam Moldaviæ, & Valachiæ adjici, omnesque arces, quas Cæsar extra Transsilvaniam ex fœdere occuparat, reddi peteret, postulabat quoque, ut ingruente a Turcis bello, eoque durante CCC. imperialium millia cum necessario belli apparatu quotannis præberet, & copiis subsidio esset Principi, si major vis ab hoste immineret, conscripto ex regnis Christianorum Principum exercitu se hosti opponeret. Si his Cæsar assentiri nollet, nec jure suo in Transsilvaniam decedere, locum in Tyroli, vel Bohemia, aut Austria designet, in quo ut cum conjuge pro utriusque dignitate possit vivere, centum florenorum millia quovis anno administret, posterorum utriusque sexus, si quos relinquerent, eandem curam gerat; erratorum venia omnibus detur, donationes Joannis Sigismundi, Zapolyæ filii, patrui sui Stephani, & quas ipse fecisset, suo, & successorum Hungariæ regum nomine ratas habeat, nihil in Transsilvaniæ immunitatibus mutet, nec, si provin-
ciali-

cialibus, Vayvoda, qui ex ipſis Tranſſilva- [redacted]
nis ſemper deligendus erit, præfuerit, eos 1599.
novo fidelitatis juramento obſtringat.

Apparebat conditiones ex ingenio Bocs-
kaii, qui, ut principem ex Sileſia revocave-
ret, ita eundem in provincia volebat conſer-
vatum, dictatas fuiſſe, nec enim Cæſarem his
conſenſurum ſibi perſuaſerat. Verum quo is
dolo Cæſarem ludere cogitabat, eodem a Prin-
cipe deluſus eſt. Rurſus enim conjugis tædio
captus Tranſſilvaniam patrueli Andreæ Bátho-
rio Cardinali aſſerere conſtituit, quod cum vi-
deret præſente Bocskaio, inter quem, & Car-
dinalem, ob cædem fratris Balthaſaris Bátho-
rii, autore illo patratam, inimicitia interceſſe-
rat, commode fieri non poſſe, ſpecioſo Lega-
tionis titulo illum abs ſe amovit, quo apud
Cæſarem abſente, Cardinalis jam ante per nun-
cios e Polonia accerſitus, in Tranſſilvaniam
venit, quem Princeps *Megyeſinum*, quo Con-
ventum, ſed numero, quem excedere nefas
eſſet, præſtituto indixerat, cum prætoriana mi-
litia deduxit, ubi utrumque armati Siculi jam
præſtolabantur. Comitium ingreſſus, paucaque
pro tempore loquutus, Cardinalem inopinan-
tibus omnibus, & pene invitis Principem de-
claravit, annuo XXIV. millium florenorum
cenſu ſibi ſervato, conjuge dein, decreta per
Cardinalem XIV. millium aureorum annua
penſione, ad matrem dimiſſa, ipſe in Poloniam
ad Zamoiscium affinem ſuum diſceſſit.

In-

Inter hæc Legati rerum, quæ apud Transsilvanos agebantur, ignari, concordiæ capita
1599. paucis mutatis ad finem feliciter adduxerant, id solum sibi Cæsar servavit, ut, quem ex familia sua Principem voluerit eligere, Cæsari, & successoribus regibus Hungariæ fidelitatis juramentum præstet. Praga in Hungariam reversi cum res interim in Transsilvania mutatas intellexissent, *Napragius* recta ad novum Principem contendit, *Bocskaius* vero in Hungaria primum substitit, mox, quod sibi Cardinalis diem dixisset, duorum mensium spacio ad respondendum præstituto male sibi conscius Pragam reversus, &, cum ad constitutum tempus non adesset, bonis omnibus, quæ perampla a Sigismundo obtinuerat, privatus est, quam jacturam ille in suum commodum vaferrime vertens, Cæsari persuasit, se non tam ob cædis suspicionem, quam fidelitatem Domui Austriacæ hactenus præstitam, & deinceps servandam rebus omnibus a Cardinale exutum fuisse, qua simulatione Cæsar in fraudem inductus illum Consiliariis suis adlegit, brevi credulitatem suam damnaturus.

Cardinalis intellecto *Bocskaium* Pragam rediisse, veritus, ne istic sibi negotium apud Cæsarem conficeret, consilio *Malaspinæ* Nuncii Apostolici, qui recens in Transsilvaniam advenerat, persuasus, missis Pragam Michaele *Bogatio*, & Stephano *Kakasio* in Cæsaris clientelam iisdem, in quas primum cum Sigis-

gismundo conventum erat, conditionibus præter illas, quæ a Sacerdotio alienæ erant, concessit. Hac parte cum se adversus *Bocskaii* technas tutum credebat, aliunde ei periculum confectum est. Michael Transalpinus Vayvoda, etsi juramentum fidelitatis Cardinali præstiterit, facto tamen belli Turcis, ut præferebat, inferendi apparatu, repente posita larva Transsilvaniæ infusus Cardinalem cum paucis tumultuarie collectis congredi ausum cruento, & ad octo horas protracto prælio victum in fugam egit, quem per silvas errantem, & per Moldaviæ fines in Poloniam volentem evadere, Siculi spe potiundæ prædæ, quamquam non inultum, trucidarunt. Vayvoda ne suo, sed Cæsaris nomine rem egisse videretur, Georgium *Bastam*, qui Maximiliano Cassovia Viennam digresso locum illius tenebat, ad recipiendam in fidem Transsilvaniam crebris nunciis accersiit, apparebat tamen hominem longe alia, quam præferebat, agitare. Vix enim ille cum Davide *Ungnadio*, & Michaele *Székelio* ad res provinciæ coordinandas a Cæsare missis Varadinum venerat, ut ex propinquo consilium caperet, cum Vayvoda non solum Transsilvania excedere noluit, sed Cæsareos etiam hostilem in modum fere habere cœpit, unde inter utrumque simultas, & odiorum causa orta, quæ, quo minus tum quidem in apertum erumperent, Ibrahimi Vezirii in Hungariam adventantis fama præpedivit,

1599.

Ve-

1599. Venerat is cum mandatis a Sultano, ut pacem cum Cæsare conficeret, cui ob componendam Transsilvaniam nihil magis opportunum erat. Datis utrinque obsidibus insula, quæ Buda, & Strigonio pari fere spacio dissidet, ad tractandum delecta est. Pacis arbitri a Cæsare constituti fuere, Joannes *Katasi* Archiepiscopus Strigoniensis, *Pálfius*, *Nádasdius*, & *Pezius*, sed confestim in primo congressu exigua conciliationis spes apparebat. Ibrahimus enim præter Jaurinum alia quoque loca a nostris occupata repetebat, id cum negaretur, nec enim nostris ignotum erat, Turcas recrudescente bello Persico vires suas alio conversuros esse, abrupta tractatione, & redditis utrinque obsidibus, discessum est. Quamobrem Ibrahimus fortunam armis volens experiri, castra nostrorum castris ad Strigonium opposuit. Præerat his Schwarczenbergius, qui cum ad pugnam, etsi id Pálfius, ceterique magnopere cuperent, elici non posset, Tartari vastata ea regione, quæ inter *Ipolim*, & *Granum* amnes sita est, ac *Uj-helinum* usque divagati ingentem hominum, pecorumque vim abegerant. Cum ne sic quidem Schwarczenbergius, qui equestribus copiis inferior hoste erat, se prolioi sineret, Ibrahimus Belgradum rediit. *a*) VIII.

a) Volfg. Bethlen. l. 10. Isthvánsi l. 31. Diar. Zavodski l. cit. Litt. Cardinalis Báthori ad Cæs. Alba

VIII. Transfilvani, quibus Vayvoda Transalpinus perinde, ac suis superbe imperitabat, crudelitatem illius, & avaritiam pertæsi, vocato in auxilium *Basta* copias eidem junxere, & hominem barbarum pugnam primum detrectantem, postea in insidias pellectum, ac memorabili clade affectum, in Valachiam ejecere, ex qua cum in Moldaviam reparatis viribus parat, a Zamoiscio quoque victus, datis uxore, & filio obsidibus, facultatem, quamquam ægre, a Basta ad Cæsarem eundi obtinuit. Vayvoda utraque provincia exuto, Comitiisque celebratis, præter juramentum, si immunitates, & religionum consuetudo salvæ, integræque sinerentur, Cæsari ab Ordinibus dictum, & his illius nomine a Basta vicissim præstitum est, aliaque ad reparanda Transsilvaniæ damna præclare constituta, illud quoque sancitum, ut *Bocskaius*, quod reducto ex Silesia Sigismundo malorum omnium causa fuisset, bonis omnibus, & jure civitatis privatus Transsilvania in perpetuum excludatur, ad quæ firmanda Legati ex Comitiis ad Cæsarem missi, qui hæc rata haberi peterent, rogarentque, ne Transalpino Vayvodæ fidem habeat, verum pœna ex perfido sumta Maximilianum Archiducem, quem alias jam 1600.

in

Alba Jul. 1. d. Relatio Melchior. Bogati, alias cit.

1601. niete *Kihata*, urbeque Alba regia quinquagesimo post anno, quam a Solymanno nobis erepta erat, recuperata, majori fœnore pensavit. a)

1602. IX. Exacto in Moldaviam Sigismundo, & Michaele Vayvoda cæso, nihilo pacatior res in Transsilvania fuit. Provinciales, qui Bastæ facta perinde, ac profana diripientis avaritiâ, & militum licentia, qua in plebem, & Nobiles grassabantur, offensi, a Germanorum imperio vehementer abhorrebant; Sigismundum *Coronæ* clam morantem ad resumenda arma cohortati sunt; verum is adversa sibi totius fortuna cautior redditus maluit pace, quam bello afflictis provinciæ rebus consulere. Conditionis igitur ad Calendas Martias induciis, cœpit per familiares suos cum Basta agere, quo Transsilvani pauci expectans, quo consilia illius essent evasura, intelligerent. Consultatio, quod Basta nisi imprudente Cæsare vellet transigere, eousque producta est, donec responsa *Bogatio* internuncio Praga in hanc sententiam fuissent allata; Cæsarem injuriarum, quibus a Principe affectus fuisset, memoriam penitus ponere, gratumque sibi esse, quod firmo proposito Transsilvania decedens hanc pristino juri, & legitimo domino re-

a) Bethlen l. 10. & 11. Istvanffi l. 32. Diar. Zavodski ad hor an. l. cit. Relatio Mich. Bogati.

restituere cupiat, pro qua cum Opoliensis Ducatus ei displiceret, in Bohemia ditionem Lobcoviczianam cum annua quinquaginta millium aureorum pensione daturum, & alia, quæ ad dignitatem Principis pertinerent, liberaliter administraturum esse. Rata hæc habuit Sigismundus, & itineri in Bohemiam se accinxit. Præcipuum dedendæ provinciæ auctorem habuit *Bocskaium*, qui, cum ab eo tempore, quo bonis a Cardinale privatus erat, Cæsaris partes necessitate magis, quam æquitatis studio sequeretur, ut primum, quæ mens illius esset, animique nosset mobilitatem, comperit, per nuncios, & litteras eum in proposito confirmabat, idque ut quantocius faceret, cohortatus est, viam sibi, ut ex eventu patuit, sensim ad Principatum sternens, ad quem cognationis, qua Sigismundo junctus erat, jure non exiguam spem habere sibi videbatur. Cæsar dedita rursum provincia Michaeli *Székelio*, & Joanni *Molardo* adjunxit Nicolaum *Istvánfium*, qui res istic perturbatas in ordinem redigerent. 1602.

Quod dum illi secundum data sibi mandata diligenter agunt, *Hasanes*, qui anno superiore Albam regiam amiserat, dolore, & vindictæ studio incitatus eam absente *Rosvurmio* aggressus est. Obsidio paucos dies tenuit; Germani præsidiarii, qui insciis Præfectis de deditione cum hoste pacti sunt, præcipua amissæ iterum Albæ causa fuere. Rosvurmi-

us quidem deducto Vaciam exercitu, & hac
1602. extemporaneis operibus communita, Peſtoque expugnato damnum reparare volens, Budam obſidione in menſem Novembrem producta, irrito tamen conatu premebat. Aliquot in receptui, quae Danubio vicina erant, occupata Caſtella unicus fere expeditionis fructus erant. a)

1603. Commiſſarii, poſtquam Sigismundus Tranſſilvania exceſſerat, conſilio cum Baſta inito provinciales Albam Juliam ad Comitia convocarunt, in quibus Ordines iisdem conditionibus, quibus anno ſuperioris ſeculi nonageſimo octavo cum Sgismundo transactum erat, quibus libertas religionem quamcunque libere profitendi recens addita eſt, in fide Cæſaris ſe futuros promiſerant, orabantque, ut, ſi Maximilianus provinciæ præfici non poſſet, Baſtam ei ſubrogaret, magnam enim jam gratiam apud eos inierat, quod *Hajdonum*, & *Vallonum* partem, qui plebem expilare ſolebant, Debrecinum, alioque exegerit. Deſignati dein ad Cæſarem Legati, qui poſtulata firmari peterent. Aderant Comitiis nuncii quoque a Je-

a) Iidem, qui ſupra. Baſtæ reſponſa ad Sigismundi poſtulata. Claudiopoli. 29. Jun. Litt. Cæſ. ad Transſilvanos. Praga 8. Sept. Commiſſar. Cæſ. reſponſa ad poſtulata Transſilvanor.. 13. Dec. Bogati relatio cit.

Jeremia *Mogila*, Moldaviæ Vayvoda, qui sine arbitris ad Bastam admissi veniam suo Principi, quod Sigismundo nuper suppetias venerit, flagitabant, ejusque nomine polliciti sunt, illum deinceps partes Cæsaris sequuturum, cujus indicium cum ad *Radulem*, quem Valachi cæso Michaele Vayvodam elegerant, pertigisset, suspicatus Moldavum aliquid contra se moliri, Legatos cum muneribus Pragam misit, qui suo nomine clientelam professi, provinciam sibi a Cæsare firmari rogarent. Libenter Cæsar, cui belli curæ alioquin jam molestæ erant, annuit, modo constans in fide maneret. Sub idem tempus oratores e Transsilvania Pragam advenere, qui, dum tractando, cujus causa missi erant, negotio sedulam operam navant, Transsilvani, postquam Basta illis nimium confisus copias ob lente administrata stipendia *Szatmarinum*, & *Tokaium* incaute eduxisset, *Moysem* Siculum, qui hactenus apud Turcas *Temesvarini* latebat, sibi Principem delegerunt, quem Turcarum Sultanus missis pro more insigniis, & decreto, *Athname* Turcæ vocant, per *Chiausium* inauctoravit. 1603.

Cognita hac perfidia Cæsar oratores Praga excedere, & Bastam damnum, cujus caussa deductis importune e provincia copiis fuerat, reparare jussit, qui confestim *Mogila*, & *Radule* fidei admonitis, militeque collecto versus Transsilvaniam movit, præverterat il-

1603. lum *Moyses*, qui præmisso Gabriele Bethlenio cum *Becta* Temesiensi, & quos hic ductabat, Turcis, ac Tartaris occupata *Claudiopoli*, & *Alba Julia*, *Cibinio* autem dedito, *Coronam* prius obsederat, quam Basta limites Transsilvaniæ attigisset. Radul, qui, donec Basta adesset, *Moysi* suam amicitiam litteris contestatus erat, cum videret illum moras trahere, superatis alpibus hunc XVII. Julii inopinato aggressus cæsis quatuor millibus, inter quos & *Moyses* erat, reliquos metu consternatos facile dissipavit; *Bethlenius* magno Hungariæ malo incolumis evasit, signa militaria CLV. Cæsari in tesseram victoriæ transmissa. Victo, cæsoque *Moyse* Basta, qui interim in provinciam penetraverat, palantes a prælio, Ludovici *Rákoczii* ductu, partim cepit, partim dispersit. Inde laudem receptæ Transsilvaniæ sibi tribuens, morem suum sequutus, provinciales crudelitate in officio continebat, quod cum diuturnum esse non posset, Commissarii auctores Cæsari fuere, ut homini decem viros adjungeret, qui præferocem illius indolem consiliis suis temperent. Lecti sunt ex Hungaris, & Germanis æquo numero, sed hoc ipsum, quod componendis animis maxime opportunum credebatur, mox occasionem provincialibus, qui exteros sibi præponi ægre ferebant, ad seditionem præbuit, quam cum Commissarii prudentia sua sopivissent, Basta otii impatiens cum

cum parte copiarum provincia egreſſus *Lippam*, & *Lugoſinum* Hungaris, qui ea tuebantur, ſponte ſe dedentibus recepit. In Illyrico duo caſtella a Turcis recens exſtructa, e quibus ditionem Cæſaris crebro infeſtabant, a Nicolao *Zrinio*, & *Trautmansdorfio* funditus everſa, *Hatvanum* a Nádasdio recuperatum, & Turcæ ad *Sexardum* a *Kollonicsio*, rurſum ad Budam a *Rosvurmio* cæſi, non ſolum tuta noſtris hyberna reddidere, ſed ſpem etiam pacis conciliandæ eminus oſtentabant. *a*) 1603.

X. Hujus indicium primus Baſſa Budenſis *Althamio* Strigonii Præfecto per litteras ante fecerat, quam *Mehmetus* Idibus Januarii relicto *Achmete* filio impubere e vivis exceſsit. Cum ſucceſſoris ætas paci magis, quam bello apta eſſet, Turcæ nihil magis optabant, quam ut pax iisdem conditionibus, quas defunctus alias propoſuerat, coaleſceret, ad quam conciliandam ſub ipſis, quæ Poſonii agebantur, Comitiis delecti fue- 1604.

a) Iidem, qui ſupra. Legatorum Mogilæ poſtulata, & Baſtæ reſponſa 25. Jan. Litt. Radulis, & Boerorum ad Moyſem Siculum. Tergoviſtia. 11. Jun. quas Bethlen. l. 12. ſuis verbis, ſed non integre reddit. Baſtæ reſolutio data Transſilvanis. 13. Sept. Bogati relatio. Aloyſii Radibrati, Radulis ſecretarii commentar. Italice ſcript. de pugna Moyſis Siculi.

re Andreas *Szuhay*, Agrienſis Epiſcopus, Tho-
1604. mas *Erdődi*, *Althamius*, & Bartholomæus *Pezius* linguæ Turcicæ gnarus. Conventum eſt in agro Peſtano, & conditiones propoſitæ. Turcæ præter intermiſſum aliquot annis munus honorarium, *Jaurinum*, & *Strigonium* ſibi dedi poſtulabant, Cæſarei his repudiatis *Caniſam*, & *Agriam* contra induciarum fidem interceptas repetebant. Cum Turcæ nihil de ſuo faſtu remitterent, & noſtri ex adventu Perſarum Legati, qui Cæſarem ad commune in Turcas bellum hortabatur, animum ſumſiſſent, re infecta utrinque diſceſſum, & ad arma ventum. Hæc Turcæ primi reſumſerant, quorum metu *Jagenreuterus* Peſtino præfectus avecto Strigonium bellico apparatu urbem deſeruit, ab Althamio poſtea cuſtodiæ traditus, cujus exemplo Hatvanienſes quoque incenſa arce profugerant.

Interrupto hac ratione pacis negotio Comitia Poſonii finem prope turbulentum habuere. Prodierat libellus, qui Statuum, & Ordinum nomen generatim præferebat. Petebatur eo, ut libera cuivis eſſet religionis profeſsio, additis querelis ob Eccleſias, harumque proventus ereptos, & miniſtros loco motos, Cæſar indignum ratus petitioni eorum, qui nec ſua nomina, nec cujus eſſent, religionis, aut, quas prætendebant, injurias ſpeciatim edere auſi fuiſſent, morem gerere, actis Comitiorum ſua auctoritate, ut leges

omnes,

omnes, quæ a decessoribus ad constabiliendam religionem Catholicam perlatæ erant, 1604.
firmæ, & inviolabiles essent, adjecit, vetuitque, ne ulli posthac in Comitiis, quæ bono solum rei publicæ, non item tricis religionum, quæ ex instituto ad Synodos pertinerent, sermonem inferre liceat. Intempestivam contentionem diremit *Hasanes*, qui cum LXX. millibus Strigonium obsederat, forte etiam expugnaturus, nisi Basta, cui hostis destinatio prodita erat, citatis itineribus e Transsilvania *Parcanum* prior veniens, accita Jaurino, & Comaromio militia, & contabulato duobus pontibus Danubio ex adversa ripa Turcarum conatus inutiles reddidisset.

Sub ipsum obsidionis initium Stephanus *Bocskai* telam ordiri cœpit, quam postea, qui rerum in Transsilvania potiti sunt, usque Leopoldum pertexebant. Is ab eo tempore, quo a Sigismundo Báthorio Legatus Pragam missus, & mox decreto provincialium hostis declaratus erat, ita se Cæsari insinuaverat, ut, si quid ambiguum in rebus Transsilvanicis occurreret, ejus potissimum consilio uteretur, eique post recuperatam provinciam bona restitueret. Inter hæc cum aliqua essent, quæ jure ad Michaelem *Bogatium* pertinebant, hic porrecto Cæsari libello versipellem illius animum, fluxamque fidem incusans omnium, quibus Transsilvania hactenus agitata erat, motuum, amissæque provin-

ciæ auctorem faciebat; ad quam criminatio-
1604. nem cum respondere jussus esset, frivole admodum se purgavit, compertoque litteras, quas ad Gabrielem Bethlenium, & Turcas, ut sibi ad occupandam Transsilvaniam adjumento essent, a Cæsareis fuisse interceptas, clam fuga se in Hungariam subducens, posita simulatione, diu agitatam proditionem maturavit. Ut vulgum in suas partes pertraheret, sparsis per regnum litteris Cæsarem militia Germanica in regnum inducta nihil aliud moliri commentus est, quam ut omnes, qui religionem Catholicam deseruerant, exstirpentur. Invenit apud plebem, quæ alioqui militiæ Germanicæ ob crebras rapinas infensa erat, fidem. *Hajdones*, erant hi primitus ex variis nationibus coorta hominum colluvies, quos sola prædæ spes militiæ auctoraverat, primi omnium violata fide, victisque, qui obstabant, Cæsareis ad *Bocskaium* defecere, quorum exemplum mox Cassovia, Cibinium, Leucsovia, & Eperiessum sequutæ. His initiis in spem erectus, cœpit de fœdere cum Turcis ineundo agere. Conditiones Bassæ Temesiensi has proposuerat: Turcæ a munitis Hungariæ oppidis, & urbibus, quæ suas partes erant amplexæ, vim abstinebunt, præbito dein suis stipendio conjunctis animis, armisque Cæsari, & Germanis perpetuo molesti esse pergent, si quæ præterea ex usu futura essent, de iis postea communicato utrinque

que consilio agetur. Icto in has leges fœdere, causas defectionis vulgato libello in Comitiis *Belgiojoso* Cassoviensis antea Præfecti avaritiam, & crudelitatem, militum Germanorum rapinas, & Cæsaris desidiam, odiumque, quo in religionem a Catholica diversam ferretur, conjecit; quo factum, ut ingens agrestium copia se Blasio *Némethio* Hajdonum duci adjungeret, in quos dum Basta a liberato Strigonio redux fortuito incidit, congredi ausos profligavit, & Eperiessum duce, quem ceperat, post varia supplicia quadrifariam secto recepit. a) 1604.

1605.

XI. Barbarum Bastæ facinus eos sensim apud omnes, jam ante exacerbatos, animi motus concitavit, ut non solum Comitia ad VIII. Idus Januarias indicta, in aliud tempus differri oportuerit, sed non pauci etiam ex primoribus ad Bocskaium transirent, inter quos præcipui fuere, Sigismundus *Rákoczius*, celebrem postea in Hungaria futuram progeniem editurus, & Paulus *Nyárius*, uterque prius a Cæsare ad Senatorium ordinem, & illustres præfecturas promoti. Horum accessione, & missis a Vezirio in subsidium Turcis, ac Tartaris, aliquid se dignum patraturus in Moraviam procurrit, hac vastata in vicinam Silesiam, & utrobique sparsis litteris incolas ad-de-

a) Istvánsi l. 33. Zavodski Diar. c. Bogati relatio. Manifestum *Bocskai*.

1605. defectionem solicitans, actaque præda, & ingenti captivorum numero, quos Turcis deinde ac Tartaris vendiderat, abducto in Hungariam rediit. Diu Basta redituro frustra insidiabatur, nactus illum tandem loco opportuno, ad pugnam coegit, victumque, & castris exutum in fugam egit. Infelici pugnæ eventu animum pene despondens, Budam ad Turcas securitatis causa profugere cogitabat, nisi hæsitantem alii erexissent, qui communi Baronum, & Nobilium nomine libellum *a*) in vulgus emisere, in quo nec veritatis, nec, quæ regibus alias debetur, reverentiæ habita ratio est. Illud Cæsari maxime crimini datum, quod stipendia ab Imperialibus in bellum Turcicum decreta, ad comparandas gemmas, & uniones converteret, *b*) Pragæque hærens, neglecta rei publicæ cura studium omne affligendis, & opprimendis iis impenderet, qui religionibus addicti essent. Hæc dum vulgari lingua in vulgus edita passim circumferrentur, brevi incredibilis ex superiore Hunga-

a) In vetusto Ms. reperi auctorem hujus fuisse Leopoldum *Beck*, Cameræ Posonien. Secretarium.

b) Gemmarum & unionum etiam ad ostentationem fuisse studiosum, Bohusl. Balbinus, epit. rer. Bohem. l. 5. c. 14. notat.

garia ad eum concurſus hominum factus, qui, dum religionem ſuam in ſummo diſcrimine verſari putabānt, nova illi fomenta ad confirmandam tyrannidem imprudentes ſubdidere. Ne ſeditio reliquas partes regni corriperet, primores ex Conſiliariis Poſonio Viennam profecti, autores Mathiæ erant, ut legatione decreta hominem ad ſaniora reducere conaretur, quod cum ille injuſſu Cæſaris ſe facturum negaret, ipſi privato ſtudio Demetrium *Napragium*, & Sigismundum *Forgácsium*, familiariter olim ei notos, miſere, quos ille, dum *Eperieſſum* fruſtra obſidet, ſero admiſſos, quod ſuo, non item Principis nomine veniſſent, aſpernatus re infecta dimiſit, ſolutaque obſidione Conventum factioſis *Szerenchinum* ad XVII. Aprilis indixit. Convenere frequentes, Transſilvani quoque, in primis Siculi, ut adeſſent, invitati. Prima in hoc Conventu religionis cura erat; profeſsio trium religionum *Catholicæ*, huic primum locum ad conciliandos Catholicos dabant, *Lutheranæ*, & *Calvinianæ*, reliquis excluſis, libera cuilibet permiſſa: mox in ſuffragia itum, & *Bocskaius* Stephano *Báthorio*, qui proximum jus habere videbatur, præterito, Princeps Transſilvaniæ XX. Auguſti declaratus eſt, qui credita Valentino Homonnaio copiarum præfectura, ceterisque rebus pro tempore conſtitutis, ſine mora in Transſilvaniam profectus, dictoque Claudiopoli provincialibus, & præſtito viciſ-

1605.

ſim

1605. ſim eidem ab his juramento in dignitate confirmatus, non multo poſt clavam, & vexillum Principatus, & clientelæ Turcicæ teſſeras a Sultano miſſas grato animo accepit. a)

Jam ſub ipſum Conventus initium videns omnium vota in ſe conſpirare, regia pene uſus autoritate, Stephanum *Illéshâzi* Quæſtorem regni, & partium cis Danubium Gubernatorem conſtituerat, principatum vero adeptus, ut memorem beneficii animum oſtenderet, legatos Conſtantinopolim miſit cum ingentis precii muneribus, quibus pueros Germanos liberalis formæ, quos bello ceperat, purpura amictos, &, ne ludibrium deeſſet, infula, qua Epiſcopi, dum ad aras operantur, uti ſolent, ornatos adjunxit. Poſt, ubi Baſta infeſtæ multitudini cedere coactus Poſonium ſe receperat, copias ſuas in omnem partem dimiſit, quæ occupatis partim vi, partim deditione, qua ibant, urbibus, in ſocietate Turcarum, & Tartarorum in Auſtriam, Styriam, & Moraviam effuſæ incendiis, cædibus, & rapinis graſ-

a) Iſtvánfi l. 34. Diar. Zavodski l. c. Querelæ, & proteſtatio regni partium ſuperior. contra Cæſ. Litt. Baron. & Procerum ad Siculos ex Zerencs. 20. Apr. affirmant in his ſe Conventum *invocato nomine Spiritus S.* celebraturos. Ladisl. Gyulaſi ad Nobiles Tranſſilv. ex Zékely Wáſárhely. 25. Apr.

graſſabantur, captosque, quos magno numero abigebant, Turcis viliſsimo precio reduces vendebant. Interea præſidiarii Germani Strigonium, *Dampiero* loci Præfecto cuſtodiæ tradito, Turcis prodidere; Sclavonia Joannis *Draskovicsii* virtute ſervata eſt. Bocskaius proſpero ſuorum ſucceſſu majora animo volvens, ut Budam a Baſſa vocatus venit, ſe, ſuæque fidei aſſeclas potenti patrocinio Sultani commendans, & ab hoc propterea laudatus, neve poſthac Germanis ſe crederet, monitus, corona lignea aureis lamellis veſtita donatus, rex Hungariæ renunciatus eſt. Accepit donum, ſed id mox Georgio *Szécsio* proxime adſtanti tradidit, &, ſive vera, ſive ſimulata modeſtia reſpondit: gratum quidem id ſibi eſſe, verum ſuperſtite legitimo rege ſe vetari, ut eo utatur; urgente conſcii animi monitu teſtari coactus, ſe injuſto titulo arma in dominum corripuiſſe. 1605.

Cæſar his motibus tandem experrectus fratri Mathiæ poteſtatem fecit, ut conciliationis ineundæ periculum faceret, qui etſi ſentiret, quam difficilis ſibi provincia mandetur, pro ea tamen, qua Hungaros in ſe ferri expertus erat, animi propenſione, & quod plures factionis ſectatores cis, ultraque Danubium ſe Cæſaris clementiæ permiſiſſe ſciret, de ſucceſſu nihil dubitans Sigismundum *Forgácsium*, & Benedictum *Pográny* Leucsoviam, in pacificationi locus a Mathia erat deſtinatus,

[redacted] tus, properare juſsit, ſed Bocskaius *Carpo-*
1605. *nam*, hoc ei quoque indultum, delegit. Id eo conſilio illum feciſſe, exiſtimabant, ut, ſi conciliatio non cederet ex ſententia, montanis urbibus, ubi aurum, agentumque eruitur, propinquior nervum trahendi belli in promtu haberet. Forgácsio ea præcipue cura data eſt, ut, convento ſeorſim Bocskaio, tamquam aliud agens, indicaret, quam male neglecta ſecuriore via in perniciosum bellum prorumpens, beneficiis à Cæſare acceptis reſponderet, meminiſſet, quam benevole, dum e Transſilvania proſcriptus, bonisque privatus erat, ab eo fuiſſet acceptus, auctus honore, & recuperata provincia, in poſſeſsionem ſuorum bonorum repoſitus: fruſtra illum ſpem in Principibus Imperii reponere, qui, niſi poſitis armis a ſocietate Turcarum recederet, Cæſari copioſa auxilia promiſiſſent, ſed illum malle concordia, quam armis cum eo tranſigere, annuere poſtulatis, quæ privatim propoſuerat, conditionibus tamen in hunc modum immutatis: Transſilvaniam durante vita poſsideret, ſi fidelitatis juramentum coram provincialibus præſtaret, regique in clientelæ teſtificationem munus honorarium quotannis mitteret; fas ei erit, nuncios ex Transſilvanis eligere, qui Comitiis Hungariæ cum jure ſuffragii interſint; limites provinciæ ita præſidiis firmet, ut hoſtes ab aditu ſine magnis impendiis arceri poſsint, *Varadinum*, cum *To-*

kaio,

kaio, & quidquid extra Transsilvaniæ montes cis, ultraque Danubium occupasset, restituat, detque operam, ne interim quidquam istorum in manus Turcarum veniat: arcem quoque *Fogaras*, cum reliquis bonis, quæ Sigismundus Báthori Christiernæ conjugi suæ in dotem dederat, indemnem servet, nec impediat, quo minus ei proventus rite ex iis administrentur. Quod ad auxilia, quæ necessitatis tempore sibi mitti cupit, attinet, Mathiam nomine Cæsaris polliceri, hæc semper præsto futura, modo ne ipse hostium incursioni occasionem præbeat. Ceterum ipsis etiam Imperii Principibus, qui conciliationis suasores essent, indignum videri, ut Cæsar ejus militibus, qui violata fide, desertisque signis, ex hæreditariis provinciis fœde vastatis, ingentes prædas abegissent, stipendium præterea in duos menses præbeat, satis esse, si fœdifragos, in quos jure, & ex præscriptio legum posset agere, obliterata præteritorum memoria in fidem reciperet.

[redacted]

1605.

Hæc Forgácsius cum Bocskaio candide, & diligenter secundum data sibi mandata egit, sed hic, ut ii solent, quibus commemoratio beneficiorum tacita exprobratio est, ambitione jam eo abreptus erat, ut nihil sani consilii facile videretur admittere, & procul a sincero conciliationis studio ea cum factiosis XXIV. Novembris in medium proferret, quæ nec sine regiæ auctoritatis, nec religionis

Ca-

1605. Catholicæ detrimento indulgeri poterant. Ea huc fere redeunt: præter libertatem, quam quis volet religionem profitendi, antiquetur lex anno 1525. de comburendis Lutheri affeclis statuta, & quod proxime in Comitiis anni 1604. Cæsar de prærogativa religionis Catholicæ statuerat: pax cum Turcis ne fiat, nisi fieret etiam cum Cæsare: Palatinus eligatur idoneus, qui regni jura tueri norit, coronam extra regnum servare nec regi liceat: nemo, nisi Nobilis fieri possit Episcopus, horum numerus sit restrictior, nec pateat illis deinceps ad dignitates regni aditus, jurisdictio fori Ecclesiastici una cum *Capitulis*, & *Jesuitis* tollantur, Concionatoribus *Romanis*, ita Catholicos nominabant, negentur stipendia, bonorum collationes a Bocskaio factas Cæsar ratas habeat. Flagitatum præterea, ne factiosis, quod hactenus patratum erat, unquam oggeratur, neve Cæsar propterea in eos animadvertat, justo enim titulo se in eum arma sumsisse, qui prior jura regni læserit, bulla aurea Andreæ II. quod fere in morem deinde abiit, pro scuto impunitatis usi. Hæc propemodum imperiose petebantur, quorum aliqua cum Forgácsius judicio regis relinqui oportere, quædam posse temperari, alia videri cum multorum injuria esse conjuncta, complura autem, de quibus sine Ordinum arbitrio nihil constitui posset, proin ad Comitia esse differenda affirmaret, altercatio ad

XXIX.

XXIX. Novembris extracta est, donec sopito tantisper dissidio, qui acta ad Cæsarem, vel Mathiam referret, *Illéshdzius* cum Petro *Mladasovicio*, &, qui Constantinopolim ad tentandam pacis conciliationem proficiscantur, Nicolaus *Bdnfi*, & Joannes *Lukdtsius* designati fuissent. *a)*

XII. Mathias, qui conficiendi negotii plenam a Cæsare potestatem acceperat, prorogatis ad XXIV. Junii induciis, & accitis in consilium Hungaris, rem cum Legatis eo adduxit, ut in ea fere capita, quæ Forgácsius Carponæ proposuerat, coaluerit: electione Palatini ad futurum Conventum dilata, religio in eo, quo sub Ferdinando, & Maximiliano erat, statu permaneat; Episcopos nominandi potestas regi salva sit, & integra, modo ex Nobilibus deligantur, regni coronam, cui turbulento hoc tempore vix tutus in Hungaria locus sit, Cæsar ad vicinum regno præsidium perferri curet, qui cum ob Imperii curas abesse ex Hungaria cogatur, fratri Ma- 1606.

thiæ

a) Istvánfi, & Diar. Zavodski, c. l. Litt. Bocskai ad Claudiopolit. 18. Jan. Cassov. Instructio pro Commissariis, hor. propositiòn. Legatorum Replica, Forgácsii Respons. Legator. altera Replica. Actor. Conclusio. d. 24. — 29. Novembr. Ex Cod. Ms. hist. civil. Num. 907. Biblioth. Cæs.

thiæ plenam auctoritatem dabit, regnum gubernandi: de bonorum restitutione, aliisque querimoniis cognoscetur in futuris Comitiis: Bocskaio Principatus Transsilvaniæ cum solitis provinciæ, suisque Insigniis, & Comitatibus Hungariæ, qui Sigismundo Báthorio amicitiæ causa permissi erant, concessus, alii, quos sibi adjungi petebat, negati: cautum etiam, ne Transsilvania a jure regni propterea censeatur avulsa, in cujus agnitionem quotannis munus honorarium regi, & ad regni Comitia nuncios suos mittet, & ut ab ejus obitu provincia rursus Hungariæ jungatur, cujus fidem cum ipse, tum ejus consanguinei, & affines, arciumque Præfecti literis, subscriptione nominum, & sigillis pro more firmatis præstabunt, idemque Ordines Transsilvaniæ in proximis Comitiis coram Legatis a Cæsare designandis edito juramento facient. Jus monetæ non aliter ei tributum, quam ut ex una parte nomen Cæsaris referat, sine cujus, aut Mathiæ scitu, & consensu nihil cum Turcis, aliisque Hungariæ, & Cæsaris hostibus tractabit, aut societatem inibit; protestabitur quoque se coronam a Vezirio nequaquam in præjudicium sacræ coronæ accepisse, nec ea se unquam usurum. Postremo additum, ut firmata concordia possessoribus reddat, quæ vi rapuerat, & Vayvodam Valachiæ in fide regis confirmet.

1606.

Po-

Poterat, ut a plerisque etiam ejus affeclis existimatum est, his conditionibus ambitio illius satiari, sed, ut privati homines raro modum tenent, cum repente ad fastigium emergunt, ita is has aversatus, graviter Illésházio indignatus est, quod Legatione tam oscitanter perfunctus fuisset, qui dum omnem invidiam in Franciscum Forgácsium Nitriensem Episcopum, a quo multum sibi in tractatione negotii esset confectum, rejecisset, Viennam additis sociis Paulo *Apponyio*, Thoma *Vizkeletio*, & Andrea *Osztrosicsio*, ut quasdam ex conditionibus mutari, aliasque addi peteret, remissus est. 1606.

Interea autem, dum Bocskaius de immutandis conditionibus Cassoviæ cum suis consultabat, Mathias fratrem Maximilianum cum patruelibus Ferdinando, Ernesto, & Maximiliano Viennam accersiit, quibus cum exposuisset, Cæsarem ea, quæ periculosa intervalla habeat, ægritudine teneri, minusque propterea tot regnis, & provinciis gubernandis esse idoneum, ut adeo periculum sit, ne, quæ a Majoribus parta erant, sensim amittantur, illorum interesse ajebat, ut rationes secum inirent, quibus præsenti malo occurri possit. Quibus intellectis, habita inter se deliberatione, unanimi consensu Mathiam secundum Ferdinandi I. constitutionem caput Austriacæ familiæ declararunt, in reliquis judicio summi Pontificis, regis Hispaniæ, & Alberti Archidu-

ducis judicio se staturos polliciti, interea, dum
1606. opus fuerit, se opera, & consilio eidem affuturos, &, si Imperium Germaniæ ob easdem causas de eligendo rege cogitaret, omnem conatum impensuros, ut suffragia in illum conspirent, edito, sigillisque firmato documento promisere. Hic primus ad Rudolphum a solio Hungariæ amovendum gradus fuit.

Incertum, cujus indicio Viennam redux Illésházius hæc compererit, quibus cum nihil aptius suo foro videret, nova a Bocskaio postulata Archiduci remotis arbitris aperuit, &, ut ad hæc concedenda proniorem redderet, spem ostendit, Bocskaium, aqua intercute laborantem, ac hærede destitutum non diu superfuturum, a cujus obitu quidquid ei concederetur, facile mutari posset. Archidux non tam suo, quam Consiliariorum arbitrio rem cupiens transigere, Sixtum *Trautsonium*, Carolum *Liechtensteinium*, Ernestum *Molardum*, Sigfridum *Preinerum*, & Ulricum *Crembergum* Cancellarium ex Germanis, ex Hungaris Thomam *Erdődium*, Georgium *Thurzonem*, & Sigismundum *Forgácsium* delegit, ut, quod e republica videretur, decernerent, Francisco *Forgácsio* Nitriensi Episcopo, & Regni Cancellario a consultatione excluso. Id, ne sibi rursus negotium facesseret, suasu Illéshazii factum, qui, dum inter deliberandum ex Trautsonio intelligeret, inter Cæsarem, & Archiducem, quod ille hoc præterito Ferdinandum

Sti-

Stiriæ Ducem Germaniæ, & Hungariæ regem designet, simultatem intercedere, convento privatim Archiduci pollicetur, se curaturum, ut ei, in quem ceteroquin animi Hungarorum ob militarem illius indolem propenderent, regnum Hungariæ præ aliis obtingat. 1606.

Hoc verborum lenocinio captus indulgentiorem se Illésházio præbuit. Postulata eadem, quæ ante, paulum tamen mutata fuere. Religionis negotium difficultatis plurimum habebat, & diu ab utraque parte disceptatum est, donec exercitium illius cuivis liberum quidem esset permissum, sed *absque*, ut diserte cautum erat, *præjudicio Catholicæ Romanæ religionis*, quæ prærogativa cum & hujus vetustatem, & novitatem aliarum luculente indicaret, crebris postea tricis multorum ingratiis ansam præbuit. In reliquis facilius omnibus convenerat: illud præprimis constitutum, ut Cæsar Mathiam Hungariæ Gubernatorem renunciet, qui in consortio Hungarorum exclusis Germanis eandem, quam Cæsar, in regno auctoritatem habeat, & ab hoc Palatinus, qui in proximo generali Conventu eligendus erit, Quæstor item, sublatis Cameris, regios proventus prisco more administret, neque hic unquam ex Sacerdotum ordine sumatur; præfecturæ militares conferantur Hungaris, Jaurino solum, & Comaromio, quæ Imperii Germaniæ sumtu servata erant, possint præfici, arcibus tamen, quas in pignore habent, red-

dito ab Hungaris precio excedant. De donationibus a Bocskaio factis judicium ad futura Comitia dilatum, in quibus de Sacerdotiorum oppignoratione, foro Ecclesiastico, aliisque, quæ in controversia sunt, itidem agetur, postremum impunitas eorum, quæ a Bocskaianis in regno, & vicinis provinciis a XIV. Octobris anni 1604. ad hoc tempus nefarie, & crudeliter patrata erant, omnibus facta, causam vero *Jesuitarum*, quos regno eliminatos cupiebant, Mathias Cæsaris arbitrio servatam voluit. Hæc regni nomine factiosi petebant.

1606.

Ut Bocskaio etiam gratificarentur, eo rem adduxere, ut non solum Transsilvaniam eo modo, & jure, quo illam Sigismundus Báthori tenuit, haberet, sed præter arces *Tokaium*, & *Szatmarinum*, Comitatus etiam *Bereghiensis*, *Ugocsensis*, & *Szatmariensis* eidem adderentur, qui cum Transsilvania, si hærede caruerit, ad regni coronam redeant, nec quidquam juris consanguinei illius, & affines in hæc sibi arrogent: qui Bocskaio in Hungaria hactenus adhæserant, fidei, quam illi dedere, renuncient, & Cæsari denuo fidelitatis juramentum dicant. Pax cum Turcis communi studio ineatur, quæ si æquis, & honestis conditionibus non posset coalescere, junctis viribus bellum gerent, qui se a communi in hostem profectione subduxerint, notam infidelitatis censeantur incurrisse, denique

deníque transactionem his capitibus compre-
hensam Cæsar diplomate suo confirmet, fa-
cietque, ut eandem regnum Bohemiæ cum 1606.
Moravia, Austriales utrique, Ducatus Silesiæ;
& Ferdinandus cum Ducatu Stiriæ, ac re-
liquis Archiducibus ratam habeant: Hunga-
ri vicissim idem præstabunt, & Cæsari se
obstringent, nunquam se a fidelitate defectu-
ros, nec vicinas provincias hostiliter invasu-
ros, vitaturos etiam privata contra regem
conventicula, & cum exteris conspirationem,
neque facturos, ut Turcas, & Tartaros dein-
ceps in regnum inducant.

His XXIII. Junii utrinque firmatis, Illés-
házius cum Collegis ad Bocskaium reversus,
transactionis capita ordine ei recensuit, ex
quibus illud cæteris ratihabitis penitus re-
sectum cupiebat, quo religionum libertas non
aliter, quam absque *præjudicio Romanæ Ca-
tholicæ* indulta esset, ratus hanc prærogati-
vam malo dolo irrepsisse, nec ante hæc ei
suspicio eximi poterat, quam Mathias additis
litteris testatus esset, communi partium con-
sensu in principio velut basim futuræ tracta-
tionis decretam fuisse, cujus testimonio tan-
dem pacatus Illésházium, adjunctis ad prio-
res sociis Georgio *Homonnaio*, Francisco *Ma-
gocsio*, Stanislao *Thurzone*, Sebastiano *Tökö-
lio*, & Georgio *Hofmanno*, Viennam, licet se-
rius, quam constitutum erat, remisit, ubi Bo-
hemiæ, & reliquarum provinciarum Legati,

 ut

1606. ut transactionem subscriberent, jam dudum adfuere. Ac Cæsar quidem, ut sanguinis effusioni parceretur, eam VI. Augusti, promulgata generali amnestia, ratam habuit, reliquæ provinciæ serius; Bohemi, & Moravi quamvis de illatis sibi per Bocskaianos damnis graviter essent questi, & Australes cum Stiris nondum injuriarum memoriam posuissent, cum tamen spes illis affulgeret, in hac confœderatorum societate potestatem Principis, quo minus religioni novitiæ, quam plerique sequebantur, obstaculum possit ponere, coarctatum iri, litteras consociationis primum mense Septembri subscripserant. Idem a Bocskaianis, & Cæsareis factum, verum ex his Franciscus Forgacsius Episcopus Nitriensis nomine universi Cleri solum fœdus provinciarum ratum habuit, ceteris capitibus intercessit, quod ingens Catholicæ religioni præjudicium crearent, quod Cæsari adeo probari videbatur, ut eum Strigoniensi sedi præficere constituerit. Hæc celebris illa Viennensis pacificatio est, quam aliqui *compactata* amant dicere, etsi necessitate magis, quam, quæ pactorum natura est, æquali partium libertate coaluerit.

Composito hac ratione Bocskaiano tumultu pax cum Turcis ineunda restabat, ad quam conciliandam Cæsar Joanni Molardo, Adolpho Althanio, & Nicolao Istvánfio, qui jam ante cum Turcis egerant, adjunxit Geor-

orgium Thurzonem, Franciscum Batthyánium, Sigfridum Kollonicsium, & Christophorum Erdödium, a Bocskaio præter Illésházium Paulus Nyári, Michael Czobor, & Georgius Hoffmann missi, qui operam suam Cæsareis conjungerent, Vezirius *Alym* Budensem Bassam, & *Habil* Effendium delegit. Turcæ in oppido *Almás* infra Comaromium sito, Cæsarei e regione trans Danubium stationem fixere. Post quinque dierum disceptationem, cum utraque pars, quæ bello occupata erant, repeteret, & Cæsarei Agriam præcipue, & Canisam restitui urgerent, tractatio fere abrumpenda erat, nisi Turcæ, quibus bellum a Persis imminebat, Canisam, si Sultanus annueret, restituendam polliciti, resectis ambagibus pacis conditiones, in quas etiam conventum est, proposuissent; quarum hæc sententia erat: Sultanus Cæsari sit filii, & hic illi patris loco; alter alterum in litteris, & Legationibus Imperatorem, non regem nominet, pax firma a sequentis anni Calendis Januarii inter Cæsarem, hujus successores legitimos Hungariæ reges, item fratres, horumque nepotes, & Sultanum XX. annis duret, in qua Tartari quoque comprehendantur ea conditione, ne Christianorum ditionibus damnum inferre audeant, in primis vero ab Hungaria, & adnexis ei provinciis, regnisque ad Domum Austriacam terra, marique pertinentibus durante pace tam illi, quam Turcæ infestandis absti-

1606.

tineant: Hispaniæ regi, si foederi volet accedere, liberum erit; excurrere in hosticum, captivos, & prædas agere, vel arces vi, dolove
1606. occupare, penitus vetitum; qui contra fecerint, in eos jure, ut locus delicti poscet, utrinque agetur, in Hungaria a Jaurinensi Præfecto, & Bassa Budensi, in Sclavonia a Bano Croatiæ de gravioribus; si quæ intervenerint, ad alterutrum ex paciscentibus referetur: arces vetustate collapsas instaurare, non item novas erigere utrisque liceat; captivos mutuo liberos dimittent, iis exceptis, de quorum precio jam ante conventum erat, villæ per Cæsareos receptæ liberæ sint a tributo Turcis pendendo: illarum vero numerum, quæ circum Canisam sunt, Franciscus Batthyánius cum Bassa Budensi inibit, in quibus si Nobiles fuerint, ab his nihil exigatur, æquum enim videri, ut, qui legitimo regi nihil pendunt, nec Turcis sint tributarii: quamprimum conditiones utrinque fuerint subscriptæ, Cæsar, ut promissum erat, Sultano munus ducentis florenorum millibus æstimatum, nunquam deinceps interandum mittet; Vezirius Archiducem Mathiam honestis muneribus colet; triennio post pro confirmanda solemniter pace Legati utrinque Pragam, & Constantinopolim mittentur. Bocskaio, qui per suos Cæsareis spem restituendæ Agriæ, & Canisæ fecerat, omnia in pacificatione Viennensi concessa nunc quoque Turcis agentibus confirma-

ta

ta sunt, tametsi iis frui non potuerit, hydrope XXVIII. Decembris exstinctus, finem vitæ inhumano facinore contaminans, dum Michaelem *Kátaium* Cancellarium suum, qui illum scripto libello apud Cæsarem ab impactis criminibus purgaverat, ob suspicionem porrecti veneni, re autem vera, ne post mortem arcana ejus proderet, carceri mancipatum, Hajdonibus deinde dilaniandum reliquit. *a*) 1606.

XIII. Transsilvania sublato Bocskaio regi ex pactis reddenda, & in pristinum Hungariæ jus reponenda erat, cum provinciales Sigismundum Rakoczium, Homonnaio, quem Bocs- 1607.

a) Isthvánsi, & Diar. Zavodski. cit. l. Codex jur. patr. Litt. Cæsaris. Praga. 6. Aug. Ejusd. amnestia general. ibid. eod. & seorsim pro Bocskaio. Objecta Boh. Morav. Silesiæ, & Lusatiæ utriusque contra Hung. & horum respons. Transactio inter Mathiam, & Archiduces Austr. Vien. 15. Apr. apud Lunig Part. spec. contin. 1. Vol. VII. Transumtum autem Senatus Bohem. Brodæ habet 24. Maji. Assecurat. Mathiæ de formula: *absque tamen præjudicio* &c. Vien. 25. Sept. Litt. ratific. Ferdinandi, Austriæ utriusque, Boh. & Morav. 16. ejusd. Hungaror. 23. ejusd. Protestatio Cleri. Instrument. pacis ab Ali, & Habil Effendi subscript. in Almás 11. Nov.

1607. Bocskaius condito testamento illis commendaverat, præterito, pene reluctantem, invitumque Principem salutarat, quam defectionem plerique in superiore Hungaria aversati minime a Viennensi pacificatione recedendum putabant, quo comperto Cæsar Georgium Thurzonem, & Sigismundum Forgácsium Cassoviam misit, ut urbes, arcesque cum Nobilibus in fidem reciperent. Res indicto particulari Conventu ex sententia successit; Cassovia, & Tokajum reddita, coercita Hajdonum licentia, qui vel justa stipendia mereri, vel ad stivam redire coacti sunt; coitiones autem tam publicæ sine regis scitu, quam privatæ, periculosæ teterrimorum plerumque consiliorum officinæ, penitus interdictæ: Nicolaus Bocskaius in reddendo Szatmarino difficilem se præbuit, Homonnaius vero res novas moliri, & admissis Turcicis nunciis Transsilvaniam invasurus ferebatur, uterque tamen a Legatis Cæsareis admoniti, ut a novandis rebus abstineant, imperata se facturos polliciti sunt; quibus utcunque pacatis, Thurzo ad Cæsarem contendit, suasitque, ut ad tranquillitatem solide restituendam Comitia Nobilibus indiceret. Jussi sunt XXV. Julii. Posonium convenire; aderant ex superiore Hungaria frequentissimi, sed Mathias Viennæ hærebat, & Cæsar mandata Ordinibus communicanda eidem mittere differebat, sive inter utrumque simultas jam eo evaserat, ut fratri-

tri diffideret, five pro folita fibi in tractandis negotiis lentitudine moras ultro nectebat, 1607.
quamquam illud, ut ex eventu patuit, præ isto in caufa erat. Nobiles duorum menfium, quibus fruftra exfpectabant, tædio capti, domum parabant, ne quid tamen fraudi propterea fibi daretur, aut violatæ pacis Viennenfis infimulari poffent, litteris fuis caufas, quibus ad difceffum adducti effent, profefsi funt, easque in Tabulario Capituli Pofonienfis reponi petiere. Nec minus graviter illud ferebant, quod pacem Turcicam, quam tamen vel eo titulo, quod muneris honorarii quotannis mifsitatio per eam antiquata fuerit, plerique cum Mathia honeftam cenfebant, confirmare differret, & Legatis Rakoczii, qui in clientela Cæfaris fe futurum promiferat, non fatis explicata refponfa dederit, quo fiebat, ut Hungariam rurfus Turcarum incurfionibus, & Transfilvaniam novis motibus de induftria exponi putarent, quæ protelatio multorum animos a Cæfare fenfim averterat, rurfumque occafionem præbuit, ut fufpiciones inter Cæfarem, & Mathiam jam pene in apertum erumperent. Hoc tempus deftinationi fuæ opportunum ratus Illésházius autor Mathiæ fuit, ut, quoniam Cæfar curam Hungariæ penitus pofuiffe videretur, ipfe confcripto milite, & Nobilibus Pofonium vocatis regnum, fi quod periculum a Turcis pace nondum confirmata ingrueret, tuendum fufciperet.

Ob-

Obsequutus illecebroso consilio Posonium
1608. Calendis Januariis venit, quo jam ex composito magna utriusque Ordinis Nobilitas confluxerat, cujus indicium cum *Althanius* Cæsari fecisset, operamque suam cum *Tillio*, aliisque militum Tribunis ad coitionem hanc interturbandam addixisset, ille morem suum sequutus, repudiato consilio missis Posonium litteris conventum irritum declaravit, sed, qui jam huc progressi Cæsaris fratrem pro scuto prætendebant, arduum, & inutile erat, solis litteris in viam revocare, veriti tamen, ne insolito hoc ausu invidiam apud exteros incurrerent, scripsere primum ad Cæsarem, causa in Hajdones conjecta, qui, quod pax nuper cum Turcis inita nondum confirmata esset, horum instinctu Hungariam rursus infestarent, in eandem sententiam litteras ad Principes, & Ordines Imperii dederant; quibus se, ut id consilii amplecterentur, suis ingratiis coactos fuisse, affirmabant. Facto dein consultationum initio illud ante omnia statutum, ut Archidux quamprimum fieri potest, munus honorarium Constantinopolim mittat, Thomas Nádasdius cum Gasparo *Csuthy* ad Bassam Budensem pro induciis, dum pax firmetur, prorogandis, Georgius Thurzo, & Illésházius ad Ordines Hungariæ superioris Cassoviæ collectos proficiscantur, qui causam, cur Posonium convenerint, referrent, quos mox Michael *Czobor*, & Andreas

Lonyai consequuti sunt, ut eos in partem fœderis vocarent. De Transsilvania, quam Homonnaius prensabat, & Rakoczio sponte provincia decedente Gabriel Báthori præripuerat, nihil tunc quidem agere placuit, reliqua ad futurum Conventum dilata. 1608.

Cæsar, qui ex litteris ad se missis facile intellexerat, quo res evasura sit, rursum gravissime mandavit, ut Conventum se invito coactum solverent, ni faciant, notam infidelitatis incursuros, & quod statuerent, robore cariturum declaravit. Tam gravis denunciatio multos, ne reliquis consentirent, deterruit; præcipue Franciscum Forgácsium, quem Cæsar ex Nitriensi sede ad Strigoniensem, & in Cardinalium Collegium promoverat, nullis minis, ut se eis adjungeret, permoveri poterat, non tam gratitudinis, quam æquitatis titulo ductus. Unius tamen, & paucorum, qui ei adhærebant, constantia parum ad alios valuit; quorum exemplo Austriæ utriusque Ordines Posonium invitati commune fœdus pepigere, quo contra omnes, qui transactioni Viennensi, & paci cum Turcis initæ adversum aliquid molirentur, junctis consiliis, & viribus se acturos, mutuoque defensuros stipulati sunt. Superiorem quoque Hungariam ad id fœdus accessisse, Illésházius Cassovia reversus ad Conventum retulit. Lentius res cum Turcis succedebat, ad quam accelerandam idem Illésházius cum

Prei-

Preinero, Sigfrido Kollonicsio missus brevi
1608. effecit, ut pax iisdem, in quas anno abhinc altero, conditionibus coaluerit. Actum quoque cum Andrea *Nagy* Hajdonum ductore, quem constabat nuncios Constantinopolim misisse, qui partes Homonnaianas istic tuerentur: huic cum sociis promissa præteritorum impunitas, si compressa prædandi licentia sub signis Mathiæ stipendia meruerint. Ad Moravos missi Valentinus *Lépes*, Episcopus Veszprimiensis, Petrus *Révai*, & Stephanus *Pálfi*, qui illos novo fœderi adjungerent.

Hos Mathias cum decem pugnatorum millibus consequutus Znoimam venit, inde, postquam Maximilianus suas quoque copias sociasset, magnis itineribus Pragam contendens castra non longe ab urbe defixit. Cæsar *Tillio* auctore vim primum repellere constituerat, at, ubi Bohemos etiam cum fratre conspirasse vidit, interventu Cardinalis *Dietrichsteinii* Olomucensis Episcopi, cui Saxoniæ, & Brandenburgici Electorum Legati operam suam conjunxerant, ad ineundam cum fratre concordiam se adduci passus est. Concordiæ leges hujusmodi fuere: Cæsar coronam regni cum reliquo apparatu Mathiæ tradet, agetque in proximo Imperii Conventu, ut stipendia præsidiario militi in Hungaria decernantur: Bohemi, nomine Cæsaris pacem cum Hungaris, & Turcis nuper initam ratam habebunt, præterea litteras exarabunt,

bunt, quibus Mathiæ, si Cæsar sine hærede decederet, jus in Bohemia succedendi asseratur, ad tuendos autem Hungariæ fines majora, quam hactenus, subsidia præbebunt. Cæsar titulis provinciarum, quas fratri cedet, etiam deinceps utetur, hic vicissim juri in Tyrolim renunciabit, & cum provinciarum, quæ ei tribuentur, Ordinibus transiget, ut quotannis certa ex his pecuniæ summa Cæsari pendatur. Redintegrata his legibus inter fratres amicitia, Cæsar Mathiæ Austriam cum Moravia cessit, & reddita corona Hungaros juramento fidelitatis solvit, data libertate, ut fratrem sibi regem subrogent. 1608.

His mutuo pacto firmatis Mathias deducto exercitu Viennam rediit. Acceptus est magna, sed paucorum dierum lætitia, quod Australes liberum religionis exercitium importune postularent, & is nil aliud vellet concedere, quam quod a Maximiliano eis indultum erat, qua repulsa irritati Hungaros religione sibi conjunctos ex pacto ad corripienda arma solicitabant, verum hi rebus nondum etiam apud se constabilitis, pacatiora consilia suggerebant, ne, si vim pararent, Catholicis occasio præbeatur, se, viresque suas conjungendi, qui si vincerent, facile efficerent, ut id etiam, quod hactenus impetratum erat, amittatur; simul Georgium Thurzonem ad Maximilianum Viennam misere rogatum, ut Australium causam apud fratrem

tueri velit. Mathias intellecto Hungarorum
1608. consilio Australibus dato, ut hos ipsa mora a proposito averteret, Comitia Posonium ad XXIX. Septembris indixit. Cæsar facti sui pœnitens, ubi Australium animos a fratre alienatos comperit, spem conceperat, Hungaros quoque ab eodem prius, quam coronetur, abstrahi, & in suas partes reduci posse. Itaque per fidos sibi nuncios chartam suo nomine misit, pollicitus, quidquid ei inscriberent, se ratum, gratumque habiturum esse. Anceps erat deliberatio, ne vel ante parum grati in Cæsarem fuisse viderentur, vel nunc apud Mathiam inconstantis animi notam incurrerent. Quare servata in omnem eventum charta nuncios ambiguo cum responso dimisere. Interim Mathias rerum, quas Cæsar moliebatur, ignarus, XX. Octobris, ut Comitiis præesset, Heimburgum venerat, cui die sequente Nicolaus Istvánfi, & Stephanus Pálfius obviam missi cum salutationis causa, tum ut Principem Posonium accersant, quo cum venisset, interposita aliquot dierum mora rogatus est, ut conditiones sibi exhibitas ante inaugurationem ratas habere vellet.

Præcipuæ in hanc sententiam conceptæ erant: liberum cuivis sit religionem, quam vellet, profiteri, & amplecti, exclusa, in quam prius utrinque per pacta Viennensia conventum erat, prærogativa: *absque tamen præjudicio*

dicio Catholicæ Romanæ religionis; Rex inſciis Ordinibus bellum ne moveat, neve militem extraneum in regnum inducat; Palatini electio ne differatur, Candidati æquo numero ſint, duo Catholicæ religionis, & duo Auguſtanæ confeſsionis aſſeclæ; quæ dignitas ne deinceps, ut hactenus, diu vacet, ab obitu Palatini intra anni ſpatium Comitia pro novo deligendo cogantur, ſi id rex nollet, aut negligeret, idem jus eſto judici Curiæ, vel Tavernicorum magiſtro: corona Poſonii reponatur tuto loco, viri ex ſacro Ordine ne poſtea ærario regio præſint, rex in regno degat, ſin negociorum cauſa non poſſet, Palatinus cum Conſiliariis Hungaris regni curam habeat, inter Conſiliarios autem nulli Epiſcopo locus ſit, niſi Diœceſano: in bonis conferendis non tam pecuniæ habeatur ratio, quam meritorum: *Jeſuitis* nulla liceat ſtabiliter poſsidere; quæcunque autem collata fuerint, niſi litteræ donationis per Cancellariam datæ fuerint, vigore careant, quæ Auſtrales in pignore habent, niſi gratuito reddita fuerint, exhibito precio redimantur: præfecturas præſidiorum demto Jaurino Hungari ſolum gerant, & miles Germanus, alteriusve Nationis quamprimum regno excedat: quarum aliquæ cum ad arctandam poteſtatem regiam, aliæ in avitæ, & ab ipſo regni ortu legibus ſtabilitæ religionis detrimentum ſpectare viderentur, longa acrisque 1608.

contentio orta est. Episcopi cum non paucis
1608. Magnatibus ingens Catholicæ religioni præjudicium inferri contendebant, & scripto Mathiæ porrecto intercessere, totius *Ecclesiastici Ordinis* nomine protestati se legi, qua promiscua religionum libertas conceditur, nunquam consensuros, aut consentire posse, nec deerant, qui politicis rationibus ducti de milite extraneo contrarium sentirent. Imperium enim Germaniæ graviter offensum iri ostendebant, si miles Germanus, qui de regno hucusque non male esset meritus, inofficiose non tam dimittatur, quam expellatur, posse, quod licentia hactenus peccatum fuit, corrigi, viderique e re publica, ut in regno potius resistat, quam ut rursum, si periculum a Turcis fuerit, precario in auxilium vocatus impendiis exterorum reducatur.

Mathias auditis Consiliariorum, quos Vienna adduxerat, rationibus in utramque partem propositis, hærebat primum, mox, cum alieni magis, quam sui jam esset arbitrii, & major Comitiorum pars in sententia perstaret, nec, quid Cæsar clam molitus fuisset, illum lateret, veritus, ne, quod jam manu fere tenebat, regno excideret, omnibus, etsi difficulter, assensus est. Hæc ad XXIII. Octobris acta. Sequenti die candidati pro Palatini officio propositi, ex Catholicis Thomas *Erdődi*, & Sigismundus *Forgács*, ex adversa parte Stephanus *Illésházi*, & Georgius *Thurzo*,

ex

ex his *Illéshdzius* non tam suffragiis viritim petitis, quam conclamatione renunciatus est, 1608.
non invito Mathia, qui hoc ei laborum, quos sui causa in adipiscendo regno exantlaverat, præmium jam ante destinasse credebatur. Electo Palatino, dies XIX. Novembris coronationi constituta est, & Mathias votis suis tandem potitus. a)

a) Istvánfi in epit. & Diar. Zavodski. l. c. Kevenhüller annal. Ferdinandæi T. VII. col. 7—31. Cod. jur. patr. Litt. Cæsar. Convent. Posonien. vetant. Praga 23. Jan. 1608., Hungaror. ad Ordin. Imp. Poson. 30. ejusd. & ad Cæsar. ibid. 1. Febr. Confœderatio Austral. cum Hung. ibid. eod. Litt. Cæs. prohibitor. Praga 23. Febr. Conventus Cassovien. ratificatio actor. Posonien. Cassov. 25. ejusd. Pacificatio cum Turcis Ujvárin. 28. Mart. Confœder. Moravor. cum Hung. Ivanicii. 15. Apr. Cæs. cessio regni, & coronæ. Prag. 25. Jun. Litt. *Terdzuman Jahya*. Constanstinop. 2. Jul. Diar. Ms. anonymi de expedit. Mathiæ in Morav. & Boh. a d. 15. Apr. ad 26. Jun. Joan. Jessenicii Equit. Hung. Descriptio inaugurat. Mathiæ. Articuli ante coronat. 29. Sept. Proposition. Mathiæ. 24. Oct. Postulata Hungar. 13. & 29. Nov. Artic. post coronat.

MATHIAS II.

Ab anno 1608. — 1619.

1608. I. Peracta inauguratione Comitia ad VIII. Idus Decembres protracta sunt, &, quod supererat, diremtum: quatuor regni Status, Episcoporum, Magnatum, Nobilium, & Urbium regiarum, quas liberas dicimus, quibus jus adeundi Comitia, & suffragii esset, constabiliti; donationum, quas Bocskaius fecerat, litteræ in proximis Comitiis, ut de illis judicium ferri possit, exhiberi jussæ: Transactio, quæ cum Gabriele Bathorio per Illésházium Cassoviæ XX. Augusti inita erat, Ordinum consensu firmata, &, ut Decreto Comitiorum conditiones inserantur, statutum, incertum tamen, cur omissæ sint. Fuere autem hujus tenoris: amicitia inter Domum Austriacam, & Principem sincera sit, & constans, Transsilvania cum additis extra illam in Hungaria Comitatibus, quos reges hactenus quietis publicæ causa decessoribus indulsere, nunquam a jure regni avellatur. Princeps, si necessitas poposcerit, auxiliares copias adversus omnes Mathiæ hostes mittet, Sultano Turcarum solum excepto, a quo in Principatu acceptis pro more Insigniis confirmatus erat. Datum id etiam Palatini dignitati, ut sententia, qua anno 1603. bonis in Fiscum redactis proscriptus erat, antiquare-

retur, ob quam illum adeo vindictæ ſtudio exarſiſſe ferunt in Nicolaum Iſtvánfium, qui tunc regis locum tenebat, ut parum abfuerit, quin is, & clarus vetuſta nobilitate, & de regno optime meritus, ac Comitiis præſens in exilium ageretur, niſi potior Ordinum pars virum hemiplectico fulmine tactum, commiſerata majorem æquitatis, quam Palatini rationem habuiſſet. De religione nihil præterea additum, quod Cardinalis Forgacsius cum Epiſcopis concepta verborum forma interceſſerit, Mathia non invito, nec ignaro, qui cum obſervaret aſſeclas novæ religionis dominatum in Comitiis ſibi arrogare, qui aliquando etiam poteſtati regiæ ſuo magis arbitratu, quam ſecundum priſca regni inſtituta limites poſſent præſcribere, nihil adverſum obmovit, quod videret auctoritate Epiſcoporum conatus illorum deinceps vel reprimi, vel ad æquilibrium cum reliqua Comitiorum parte reduci poſſe. 1608.

Soluto Conventu rex Viennam redux novam ſibi moleſtiam parari comperit. Auſtrales, & Bohemi Hungarorum exemplo liberum quoque religionis exercitium prope armati poſtulabant. Ne nihil, dominatione nondum ſatis confirmata, iis dare videretur, ad Nobilium arces, & domos, extraque civitates illud reſtrinxit, Cæſar liberalior litteris, quas *Majeſtatis* vocabant, per univerſam Bohemiam indulſit, ſive metu, ut ferebatur adductus, ſive 1609.

ut fratri ægre faceret, nec enim sincere ami-
1609. citiam inter utrumque coaluisse, satis patebat. Sedatis Australibus Comitia rursus Posonium indicta, cum ut Illésházio V. Maji defuncto successor daretur, tum ut animos religionis causa distractos; ac propterea bono publico minus intentos conciliaret. Palatinus Catholicis nequidquam obnixis ejusdem, cujus decessor, religionis sectator, electus est Georgius Thurzo, qui, ut in re publica hactenus cum laude versatus auctoritate ceteris eminebat, ita nunc ad primam a rege dignitatem evectus, præcipuum religionis suæ fulcrum erat. Palatino per regem confirmato leges conditæ: donationes Bocskaianæ perennes penitus irritatæ, earum vero, quas in Bereghiensi, Ugocsensi, & Szatmariensi provinciis cis, ultraque Tibiscum fecerat, cognitio ad futurum Conventum prorogata, huc quoque Hajdonum nobilitaris prærogativa, quam a Bocskaio obtinuerant, rejecta: lex superioris anni de Germano milite educendo, mitigata: Hungaris sine regis, vel Palatini scitu, apud exteros militiam profiteri vetitum, cautum quoque, ne aurum, argentumve infectum regno efferatur; Equitibus tres, duo Peditibus floreni stipendium in quemvis mensem decreti: Palatino præterea mandatum, ut in coronam Bocskaianam, ne novis motibus occasionem det, diligenter indaget, & repertam in thesauro regio reponat. Destinati etiam Lega-

ga-

gati ad Cæſarem, Imperii Principes, in Sileſiam, Stiriam ad Ferdinandum, & in Tranſſilvaniam pro petendis auxiliis.

Nihil tamen ob diſsidia, quæ inter fratres recruduerant, obtineri potuit. Cæſar pactorum immemor, Bohemiam Leopoldo Archiduci Pataviensium Epiſcopo aſſerere conſtituerat, quod ubi Ferdinandus Dux Stiriæ comperit, videretque fratrum diſcordia Bohemiam hac ratione ab Hungaria ſejungendam, reliquas autem provincias hæreditarias ingenti familiæ Auſtriacæ damno in partes diſcerpendas, cum Maximiliano, & Leopoldo Pragam profectus eſt, ut Cæſarem pacaret: venerant illuc eandem ob cauſam Electores Moguntinus, & Colonienſis Archiepiſcopi, Chriſtianus Saxoniæ, & Henricus Julius Brunsvicenſis Duces, quorum communi ſtudio concordia tandem X. Septembris inter fratres his conditionibus redintegrata fuit, Mathias interpretibus Maximiliano, Ferdinando, & Brunsvicenſi Duce veniam a Cæſare ſecundum conceptam verborum formam petet, eumque non modo ſupremum Chriſtiani orbis caput, ſed ſeniorem quoque Domus Auſtriacæ, & titulo conceſſæ Auſtriæ ſe illius beneficiarium agnoſcet, nihil contra eum verbo, & opere aget, nec offenſionis cauſam dabit: Imperii, vel Domus Auſtriacæ confœderationibus ſe non ingeret, nec cum Turcis, aliisque, qui Domui Auſtriacæ nocumento eſſe 1610.

poſ-

1610. possent, de bello, paceque inscio Cæsare tractabit: documenta litteraria familiæ Austriacæ, & ditionum ejusdem alienari, distrahive non sinet, & ut amicitia firmior sit, pactisque prioribus fides servetur, uterque spacio unius mensis copias dimittet, si id non posset fieri, rex cautionem præstabit, se iis contra Cæsarem, provincias hæreditarias, Electores, & Status Imperii nequaquam usurum. Concordia hoc modo firmata Principes cognati, pacato utcumque animo ab se divelli videbantur. *a)*

1611. II. Simulata tamen magis, quam sincera concordia fuit. Leopoldus spe obtinendæ Bohemiæ se excidisse videns, conductis subornante Cæsare copiis, post vastatam Austriæ partem in Bohemiam irrupit, quem Mathias cum XVIII. millibus e vestigio sequutus Praga discedere, & Cæsarem ad nova pacta ineunda adegit, secundum quæ Bohemis data venia Mathiam coronandi ea conditione, ut Cæsari CCC. florenorum millia numeret, & ne ei in administratione Imperii obturbare ausit, quibus inter paciscentes quin alter alterum toto transactionis tempore viderit, per arbitros

a) Cod. jur. patr. Articuli post coronation. Istvánfi in epit. & Diar. Zavodski. c. Kevenhüller. T. c. ad an. 1609, & 10. Litt. Majestatis Prag. 11. Jul. Instrumentum concord. inter Cæsar. & regem ibid. 10. Sept.

tros constitutis, & inauguratione XXV. Maji peracta, Mathias in Silesiam digressus nuncium ex Hungaria accepit, Andream *Nagy* cum Hajdonibus ad Transsilvanum defecisse, & hunc cum Turcis Tokaium obsidere, Cæsareas quoque copias esse profligatas. Nihil rebus, ut tunc erant, magis importunum nunciari poterat, cum & Silesios in fidem reciperet, & uxorem ducere cogitabat. Missis itaque celeriter ad Báthorium nunciis, qui illum officii, & pactorum admonerent, Viennam reversus Annam Ferdinandi Archiducis, & Comitis Tyrolis filiam pridie Nonas Decembris matrimonio sibi junxit. Nuptiarum lætitiam mors Cæsaris III. Idus Januarii temperavit, quæ etsi quidem spem ei fecerit in Imperio succedendi, nec Electores alieni ab eo esse viderentur, lis tamen de vicariatu exorta electionem ad V. Nonas Julias distulit, quam XIV. ejusdem inauguratio sequuta est. Cum nova dignitate etiam curæ confestim ineunte anno auctæ. Venerat ab Achomate Legatus, qui regi obtentum Imperii fastigium gratulabatur, simul pagos Strigonio vicinos Turcis dedi, &, ne Cæsar se rebus Transsilvaniæ ingerat, neve jus sibi in eam arroget, solito fastu petebat. Ad primum Cæsar eadem humanitatis significatione respondit, ad alia ambigue, ne aut intempestive hostem irritare, aut juri suo prudens derogare videretur. Mox ut Comitia ad XXIV. Februarii indicta

1611.

1612.

1613.

sunt,

sunt, Legati e Transsilvania a Principe, & a
1613. Saxonibus adfuere: hi ob ereptam sibi ab eo urbem Coronensem querebantur, ille causas obsessi *Tokai* in Turcas rejecit: Saxonibus responsum, adfuturos a rege Commissarios, qui litem componant: cum Principe iisdem, quibus ante, conditionibus transactum, illud praeterea additum, ut pacificationem Viennensem cum suis, quantum liberae provincialium electioni non adversatur, ratam haberet. Transactionem Ordines regni, si provincialibus, ad quos propterea Petrus *Kohdri*, & Franciscus *Nagy* missi erant, probaretur, in leges referre decreverant, ut hac tandem ratione pacata provincia desineret regi sumtus, & regno molestiam conficere. Praeter donum unius floreni nuptiarum causa regi, & similiter ejus conjugi oblatum, illud quoque statutum, ut bona Ecclesiastica, aliorumque a Bocskaio, hujusque asseclis direpta, possessoribus reddantur, &, quia crebris nunciis afferebatur, apparatus in bellum a Turcis fieri, supplicatum regi est, ut Legatos ex Hungaris ad Imperii Conventum, quem Caesar in XXIV. Aprilis Ratisbonam indixerat, pro implorando auxilio designet.

Per idem Comitiorum tempus, ne quid eorum, quae ad stabiliendam regni securitatem facere videbantur, Mathias omitteret, per internuncios Varsaviam missos vetera Domus Austriacae cum Polonis foedera instaura-

ta,

ta, & mutua contra hostes utrisque communes promissa sunt auxilia, exceptis summo Pontifice, Imperio Germaniæ, & Hispaniarum rege, Principe item Turcarum, & Transsilvania, quod cum illo induciæ, & cum hac transactio recens inita essent, ex qua ne Turcis suspicandi occasio daretur, rex præcipua illius capita Andreæ *Nigronio*, quem ante annum cum munere honorario Constantinopolim miserat, perscribi jussit, monuitque, sedulo in id incumberet, ne Turcæ belli causam inde sumant. At serum id jam videri, Nigronius respondit, neque Báthorio fidendum, qui eodem, quo Legatos Posonium miserat, tempore alios quoque ad Sultanum ire jusserit, ac utrobique nihil aliud, quam simulata amicitia palpum obtrudere conetur; præventum tamen esse a Gabriele *Bethlenio*, qui cum ad *Divanum*, secretioris consilii locum, admissus variorum criminum præcipue sanguinariæ crudelitatis illum postulasset, Turcæ decreto Sultani *a*) bipartito exercitu Transsilvaniam cum Beth- 1613.

a) Diar. Zavodski c. Kevenhüller l. c. ad. an. 1611. — 13. Cod. jur. patr. Dogiel diplomat. Pol. T. I. pag. 294. Artic. fœderis inter Cæs. & Báthori 24. Febr. Posonii conditi, & Cibinii mense Majo firmati. Turcar. Imp. Litt. ad Transsilv. Adrianop. 3. Febr. & ad Cæs. ibid. eod. apud Londorp. Act. publ. Tom. I. pag. 145.

Bethlenio ingressi sunt; quorum vim etsi Bá-
1613. thorius aliquamdiu fortiter sustinuerit, & suppetiæ a Palatino regni missæ jam propinquæ essent, provinciam tamen deserere, locumque Bethlenio, quem provinciales XXIV. Octobris Principem declararunt, cedere coactus, triduoque post a familiaribus suis Varadini nefarie peremtus est.

1614. III. Bethlenius confestim ab adito Principatu, ut hunc sibi stabiliret, Legatos ad Cæsarem, Poloniæ regem, & Sultanum misit, qui non pari ubique eventu accepti sunt. Etsi enim Sultanus datis ad Cæsarem, & Palatinum Hungariæ litteris flagitarit, ne Bethlenio molesti essent, denunciaretque, se injurias, quæ illi inferrentur, suas interpretaturum, Mathias tamen, quod se inconsulto electus esset, pactorum fidem, & jus regium in provinciam violata obtendens Legatos re infecta dimisit. Bethlenius repulsam nihil moratus, ne se confestim, rebus nondum satis domi firmatis, sumtuoso bello implicaret, rursus legatio-

145. — 50. Saxon. querelæ contra Báthori. Vien. 13. Febr. Litt. Nic. Apafi ex castris ad Varadin, 2. Nov. Bethlenii ad Hung. Palatinum Claudiop. 11. ejusd. Adhortatio anonymi ad Hungaros, ut, deserto Bethlenio, legitimo regi subsint: ex Cod. Ms. hist. civil. Num. 765. Bibl. Cæs. Vien.

tione animum Cæsaris pertentandum, censuit, qui, quod conventum ditionibus hæreditariis Lincium præstituerit, designato trimestri spacio, locoque, in quem concordiæ tractandæ causa internuncii convenirent, toto animo bellum Turcicum complexus est, de felici illius exitu, quod Turcis negotium cum Persis, Georgianis, & Cosacis eodem tempore obortum esset, minime dubius. Huc Conventus Lincensis, ad quem ex Hungaris cum Demetrio Napragio Colocensi Archiepiscopo, Valentino Lepes Nitriensi, & Petro Demitrovicsio Zagrabiensi antistitibus Nicolaus Eszterházi, & Petrus de Réva accersiti erant, spectabat. Suppetiæ etiam in hunc finem a Pontifice, & rege Hispaniarum flagitatæ, sed cum utrique videretur hostis minime irritandus, idemque ad Conventum vocati suaderent, omnis ea destinatio adhæsit. 1614.

Nec tractatio concordiæ cum Bethlenio e sententia succedebat. Cæsar enim non aliter, quam beneficiario jure Transsilvaniam ei cedere, ille vicissim sibi ea, quæ reliqui ante se Principes in Hungaria possederant, reddi volebat. Itaque cum videret, tempus de industria trahi, moræ impatiens prior edito belli classico Lippam, Aradinum, & Jenöensem arcem in consortio Turcarum obsedit, & corruptis locorum Præfectis sequentis anni principio deditione accepit. Lippam, & Aradinum, quo se gratum pro obtento

tento Principatu ostenderet, Turcis se tradi-
1615. turum promiserat; sed ne Cæsarem his traditis ab ineunda concordia, quam sibi ad firmandum dominatum necessariam videbat, offenderet, imposito præsidio Hungarico servavit. Id re ipsa concordiam acceleravit, quæ XV. Martii Tirnaviæ hac lege coaluit: Bethlenius confirmato Principatu contra Cæsarem, ejusque successores reges Hungariæ, Domum Austriacam, hujus regna, provincias, & confœderatos nihil unquam hostile aget, quin eidem, & successoribus regibus contra omnes inimicos, Turcis solum exceptis, consilio, & auxilio aderit. Qua fide promissis steterit, mox dicendi locus erit. Firmata, ut videbatur, cum Bethlenio concordia adfuit Legatus Turcicus, qui XII. Maji Viennam ingressus, biduoque post ad Cæsarem admissus nomine Sultani pacem oratum se venisse dicebat, quam cum alias a Turcis petere soliti fuerimus, minime dubium erat, res illorum a Persis, aliisque in Asia magnopere arctari. Quare Cæsar conditiones suo arbitratu dictans CCXXXVII. pagos in provincia Neogradiensi, agro Filekiensi, Vaciensi, Gyarmatensi, & Szécséniensi sitos reddi, Nobiles, qui in ditione Turcarum degebant, immunes a tributo, & pacem iisdem conditionibus, in quas anno 1606. coaluerat, in XX. annos firmatam esse voluit. Quæ postquam Legatus interposita Do-

mini

mini sui fide rata habuisset, Bethlenio, ne ullam causam res novandi haberet, Szatmarinum, Nagybánya, & aliæ extra Transsilvaniam arces, quas Principes Transsilvaniæ regum indultu possidebant, concessæ. a) 1615.

IV. Id deliberato consilio a Cæsare factum, ut parta foris quiete res familiæ constabiliret. 1616. Cum enim hactenus nullum ex conjuge hæredem sustulerit, curam omnem ad deligendum tot provinciarum, & regnorum successorem convertit. De ditionibus Austriaci juris, quod de his Ferdinandi sanctio exstaret, nihil difficultatis erat, Hungaria solum, & Bohemia solicitum habuere. Utramque in Ferdinando ad lineam Stiriacam traducere cogitabat, si modo Philippus III. in Hispania, & Albertus in Belgio non refragarentur, quorum quæ mens esset, per Maximilianum fratrem explorabat. Cum Alberto morbis ceteroquin obnoxio facile conventum, cum Hispano non item, qui, si Cæsar, ejusque fratres improles decederent, jus in Hungariam, & præcipue in Bohemiam ad

a) Diar. Zavodski c. ad 1614. & 15. ad an. eosd. Kevenhüller l. c. Apologia Transsilvanor. ad Cæs. Kolosvár. 1614. d. 12. Maji. Litt. Bethlenii ad Joan. Barvitium. Cæs. Consiliar. Claudiop. 17. ejusd. Transactio Tirnavien. Bethlenii, & Transsilvanor. confirmat. induciar.

1616. ad ſe velut Maximiliani Cæſaris ex filia nepotem pertinere, per Balthaſarem *Zunigam* oratorem ſuum ſignificari juſsit, quod conſtaret, Annam Reginam matrem ſuam non aliter juri ſuo, quam maribus a Ferdinando in linea recta ſuperſtitibus, renunciaſſe. Quæ declaratio cum difficilem deliberationem redderet, Maximilianus conſilium ſuum, quo ea res extricari poſsit, ſcripto comprehenſum Cæſari porrexit; cujus hæc erat fere ratio: primum, ut bellum inter Ferdinandum Stiriæ Ducem, & Venetos *Uſcociorum* cauſa (erant hi præſidiarii Segnienſes mare Adriaticum infeſtantes) ortum interpoſita Hiſpaniæ regis auctoritate componeretur; tum ut Cæſar Ordines Hungariæ, & Bohemiæ religioni avitæ addictos ſibi conciliare, idemque ſenſim apud Status Imperii ſtuderet efficere, ante omnia vero Philippum regem, ſi juri ſuo obfirmata voluntate inhæreret, propoſito religionis Catholicæ periculo, & inde in familiam Auſtriacam, cujus ipſe pars eſſet, redundaturo damno ad mitiora conſilia flectere ſatagat, qui ſi ſe, ut ſpes eſt, a propoſito ſuo deduci ſineret, primum cum Bohemis tranſigendum ſuadebat, hi ſi obſequerentur, non dubitare ſe, quin Hungaria quoque, Optimatum, qui priſcam religionem inſtauratam vehementer cupiant, auctoritate, Bohemorum exemplo, conſenſura ſit.

Ob-

Obsequutus suadenti egit per Legatos cum Philippo, qui cum ob adductas causas, tum ipso etiam, quo ab Hungaria, & Bohemia divellebatur, intervallo permotus, data sequenti anno die XXI. Aprilis Inaco *Guevarra* Comiti de *Ognate* Oratori suo transigendi potestate, juri suo renuncians, id hac conditione in Ferdinandum transtulit, ut ad solos hujus legitimos hæredes masculos, exclusis feminis, pertineret, his autem penitus deficientibus, nullaque prole omnino superstite, rursus ad Philippum, ejusque mares legitimos hæredes redeat. Addita & altera conditio est, ut translatum juris beneficium Cæsar confectis seorsim tabulis aliqua parte ditionis Austriacæ compensset. Quibus exarata utrinque scripto stipulatione VI. & XV. Junii firmatis, Ferdinandus renitentibus licet aliquot Proceribus ea conditione, ne vivo Cæsare ullam in administrando regno partem habeat, rex Bohemiæ renunciatus, & XXIX. Junii coronatus est. 1617.

Hæc dum Pragæ ex sententia Cæsaris geruntur, Bethlenius supernæ transactioni Tirnaviensi parum fidens, rursum missis nunciis quædam illius capita magis explicata reddi postulabat. Datum negotium est Petro *Pazmano* Strigoniensi Archiepiscopo, qui in consortio Joannis *Molardi*, Ladislai *Pethe*, & Pauli *Apponyi* in hæc pacta, si Cæsari probarentur, cum Bethlenio convenerat: ut

S 2 quid-

quidquid post Tirnaviensem concordiam in
1617. utramvis partem injuriæ, damnive illatum esset, perpetuæ oblivioni detur, neque ulla damnorum compensatio fiat, ex neutra tamen parte, cujuscunqe conditionis, & dignitatis sit, liceat deinceps contra transactionem quidquam moliri, aut tranquillitatem publicam turbare, sive palam, sive clam conscripto domestico, vel externo milite, sive verbo, scriptove alios in suas partes solicitare, aut factiones alere, aut hostibus denique polliceri, vel præbere auxilium, qui contra facient, ut primum veritas comperta fuerit, præcluso omni juris remedio notam infidelitatis censeatur incurrisse, utrique autem in flagranti crimine deprehensos, insuper etiam habita Nobilitatis prærogativa, capi, meritaque pœna affici jubebunt. Hæc Tirnaviæ pridie Calendas Augusti partim instaurata, partim nova ad priorem concordiam addita fuere, & a Cæsare post suum Dresda reditum, quo, ut Ferdinando viam ad Imperii dignitatem pararet, profectus erat, IV. Nonas Septembris Pragæ confirmata. Supererat Hungaria Ferdinando concilianda. Itaque datis indidem ad regni Ordines litteris Conventum generalem ad Idus Decembres Posonium indixerat, quem tamen ob Imperii, quæ intervenere, negotia ad Calendas Januarias,

mox valetudine, & hiemis inclementia impeditus ad IV. Nonas Martii prorogavit. *a*)

V. Convenere ad præstitutum tempus frequentiores, quam alias, nec enim ex iis, quæ apud Bohemos acta erant, cur conciti essent, ignorabant. Cæsar medicorum consilio Viennæ coactus resistere, Ferdinandum Comitiis adesse voluit; additi sunt ei *Cleselius* Cardinalis, Episcopus Viennensis, & Joannes *Molardus* jam alias tractandis rebus Hungaricis adhibitus, qui Cæsaris nomine Ordinibus proponerent: illum, quod hærede careat, de tranquillitate regnorum a suo obitu magnopere solicitum teneri, esse quidem ei fratres Maximilianum, & Albertum, qui ipsi tamen jam ætate provecta, & liberis desti- 1618.

a) Maximiliani Consil. Cæs. datum de successione Prag. 19. Febr. 1616. Cæs. de iis declaratio, ibid. 14. Mart. Litt. Bethlenii ad Vezirium Nukas Hazan ex castr. ad Lippam. 14. Jun. Regis Hisp. renunciatio juris &c. Prag. 6. Jun. 1617. Ferdinandi Archid. ratificatio. ibid. eod. & Cæsaris ibid. 15. Jun. apud Londorp. Act. publ. T. c. p. 350. Litt. Bethlenii ad Vezirium ex Fogaras. 27. Febr. Confirmatio concordiæ Tirnavien. ibid. 31. Jul. & Cæsaris ratificatio, Pragæ 2. Sept. Ejusd. litt. ad Ord. Hung. ibid. 10. Oct. & 28. Novemb. rursus 27. Decemb. ex Ebersdorf.

tuti jus suum in patruelem Ferdinandum sponte transtulerint, confidere illum proin in Ordinum voluntate, ut eundem Ferdinandum, si eorum, quæ regni causa olim eis præstitisset, meminisse velint, Bohemorum exemplo regem Hungariæ inaugurent. Dein XXIII. Martii lectæ in Comitio Cæsaris litteræ, in quibus cum nulla *electionis* mentio esset facta, Ordines quatriduo post Cæsari pro paterna in se cura gratias quidem egere, optabant tamen, ut secundum sanctionem, quæ Palatinum intra anni spacium eligi jubet, candidatos designare ne gravetur: responsum est, æquam rem peti, sed cum Comitia successionis regiæ causa indicta sint, præter dignitatem videri, si prius de ministro, quam domino agatur; de hoc constituendo primum deliberarent, quod reliquum esset, Cæsarem, qui nihil minus, quam regni sanctiones infirmare cupiat, ex legum præscripto curaturum. Deliberatio ob altercationem, religionis causa obortam, ad III. Nonas Aprilis tenuit, nec aliter odiosæ, & tempori importunæ quæstioni finis factus, quam solenni utrinque contestatione scripto exarata, & Judici Curiæ tradita, qua sibi, suæque causæ cautum ibant. Pacatis utcunque animis conditiones, quibus Ferdinandum regem declarare cuperent, has proposuerant: Cæsar securitatem præstet, liberæ electioni nullum propterea præjudicium fieri,

1618.

lege-

legeque ſtatuatur, electionem ex libera Ordinum voluntate eſſe factam; ante hanc autem nomina Candidatorum pro eligendo Palatino Judici Curiæ conſignet, item, ut electo Rege, & Palatino ante coronationem omnia, quibus ſe gravatos ſentiunt, ſe ſublaturum, regnìque immunitates publico diplomate firmaturum, polliceri velit, alioquin his non præſtitis, ſe electionem irritam declaraturos eſſe. 1618.

Hæc Ordinum nomine proponebantur, licet non omnium concors de omnibus ſententia eſſet. Pars eorum, qui ab eventu rerum, quæ clanculum apud Bohemos gerebantur, pendebant, his conditionibus electionem protelare, pars contra, cui tranquillitas publica cordi erat, ut electio reſectis ambagibus, ſervata tamen priſci juris conſuetudine, acceleretur, contendebat. Cæſar ipſe fidem ſuam, & dignitatem hac mora peti, moleſte ferens renunciari VI. Aprilis juſſerat, ſibi nunquam in mentem veniſſe, ut quidquam mori regiæ electionis ante inaugurationem deroget, ut vel ex ipſis litteris, quas in Comitio legi juſsiſſet, intelligere poterant, ſed ut ante regis futuri coronationem de iis, quæ petebantur, publico diplomate caveat, hactenus inauditum, nec a deceſſoribus ſuis unquam uſurpatum fuiſſe, magis omnibus conſtare, quam ut doceri debeat. Quod ſi propoſito ſuo pergant inſiſtere, tum palam declaraturos, ſe, cum ante coronationem, cui

1618. ſoli regia jurisdictio innititur, nullam de immunitatibus cautionem præſtiterit, illegitime ab iis electum fuiſſe, quod accuſationis genus ne ipſi quidem æquo animo laturi ſint: electionem conditione adſtrictam ſolere patentiſsimam inteſtinis motibus portam aperire, a quibus regnum non ita pridem ſua induſtria, etiam cum offenſa, quod non ignorarent, fratris ſui olim Cæſaris reſpirarit: Nihil aliud ab ſe deſiderari, quam, ut Ferdinandus, quem pro filio adoptaſſet, ſi ſolio dignum putent, idem, quod ipſe olim ab iis rex ſalutatus præſtitit, eodemque modo præſtet.

Poſtquam hæc a Cleſelio Ordinibus nomine Cæſaris communicata fuiſſent, multum animi plerorumque remiſere, eaque ſolum conditio, qua immunitates regni tempore coronationis juramento firmari ſolent, Ferdinando propoſita eſt, quam ubi ſe ab inauguratione impleturum promiſiſſet, unanimi conſenſu XVI. Maji rex renunciatus eſt. Eodem die de Palatino actum: candidati pro more quatuor propoſiti; Sigismundus *Forgács* Judex Curiæ regiæ, Franciſcus *Batthyáni* Agazonum, Thomas *Erdődy* Tavernicorum regalium magiſtri, & Stephanus *Török*. Hic quoque ſtudia in contrarium fervebant. Auguſtanæ Confeſsionis aſſeclæ, qui jam duos ſuæ religionis Palatinos continenter habuere, rurſus aliquem ex ſuis deſignabant, vicere tamen ſuffragiorum numero Catholici, & Forgácsius ſub idem

fe-

fere tempus aliis prælatus eſt, quo certis nunciis afferebatur, Bohemos, *Utraquiſtis* autoribus, defeciſſe, & vim religionis cauſa parare. Itaque, cum ex variis præterea indiciis, Auſtrales quoque eandem ob cauſam arma correpturos, appareret, Ferdinandus abrupta mora, omnibusque, quæ in leges referri petebantur, præſtito juramento firmatis, Viennam maturavit. 1618.

Hic dum juncta Cæſari opera Bohemos componere ſtudet, Cardinalem Cleſelium præter omnium opinionem captivum in Stiriam, inde in Tyrolim duci juſsit. Crimini datum eſt, quod non modo ſucceſsionis negotium inter Domum Auſtriacam, & Hiſpanam familiam morari, & Principes Imperii inter ſe committere auſus eſſet, ſed in nuperna etiam pacificatione Turcis plus terrarum in Hungaria, quam mandatum erat, ceſsiſſe diceretur. *a*) Poſtremum ab Hungaris regi ſuggeſtum eſſe,

a) Kevenhüller l. c. T. 9. Cæſar. credential. pro Commiſſar. ad Comitia Poſon. ituris. Vien. 15. Mart. Propoſitiones Cæſ. nomine propoſitæ Poſonii 23. ejusd. Replica Statuum. 27. ejusd. Reſolutio Cæſ. ad hanc Vien. 28. ejusd. Altera Repl. Stat. Poſon. 3. Apr. Cæſ. reſpons. Vien. 6. ejusd. Cleſelii aſſecuratio de lib. elect. ejusd. reſpons. ad gravamina Stat. & OO. Conditiones futuro regi propos. 14. Maji. Diar. Ms. C. Eme-

ſe, multorum opinio fuit, qui exteros rerum
1618. noſtrarum, opportunitatis certe, ſitusque locorum ignaros componendæ paci Turcicæ adhiberi, moleſte ferebant. Quidvis iſtorum fuerit, nec enim rem jure tentatam, & compertam fuiſſe, uspiam reperi, rex ingratitudinis notam, quod conſtaret, Cleſelii induſtriam in eo ad ſolium Hungariæ promovendo plurimum valuiſſe, apud pleroſque, præſertim Bohemos effugere non potuit. Apud hos comperto viri caſu flamma ſub cineribus hucusque deliteſcens in apertum prorupit, & inde in Sileſiam, Luſatiam, ſuperioremque Auſtriam propagata Imperium Germaniæ ferali incendio XXX. ipſos annos involvit. In Hungariam nonniſi poſt Cæſaris mortem, quæ in XX. Martii ſequente anno inciderat, tacite ſerpendo penetravit, eo periculoſior, quo diutius ipſa regni viſcera depaſcebatur, intimo animi dolore eorum, qui florentiſsimum alias regnum ob religionis, quæ pacis cæteroquin altrix eſt, certe eſſe debet, divortium ſponte ad exitium properare videbant.

FER-

Emerici Thurzo. Franc. Kazi hiſt. l. 2. pag. 160.—64. Londorp. l. c. lib. 2. pag. 374. Inſtructio Commiſſar. ad Bohemos. Vien. 11. Nov. Reſponſa Bohemor. Prag. 29. ejusd.

FERDINANDUS II.

Ab anno 1619. — 1637.

Si cui regum nostrorum, huic certe, tota ab dito regno vita inter ærumnas, & gravissimas curas traducenda fuit. Primo ab obitu Cæsaris die Bohemos, & Australes missis internunciis ad saniora reducere conatus operam perdidit. Bellum utrique, præcipiti religionis fervore abrepti, non pacem cupiebant. Primus classicum sustulit Comes Turrianus, qui in Austriam irrumpens Viennam, & in hac Ferdinandum obsedit. Urbs defensioni imparata, & rex in ipso palatio ab acatholicis Austriæ Statuum Legatis deditionem suadentibus pene circumsessus, non longe jam ab exitio erat, cum Santelierius cum quingentis Equitibus velut cælo delapsus in foro palatii constitit, & repentino suo adventu importunos deditionis suasores dispulit. Turrianus quoque, comperta Mansfeldii clade a Bucquoio accepta, obsidione soluta in Bohemiam reversus urbem metu, & regem periculo exemit, cujus in tanto discrimine constantia ipsis hostibus admirationi fuit, eique Austriam cum hæreditariis ditionibus, si Vienna excessisset, haud dubie amittendis, servavit. 1619.

Hos

1619. Hos motus Hungari ipſo Comitiorum tempore eminus, & ex eventu pendentes ſpectabant, pauci tamen ſe in principio iis abripi paſsi ſunt. Præcipui fuere, Georgius *Rákóczi*, Georgius *Széchi*, & Franciſcus *Perényi*, qui ex Comitiis alienato a cæteris animo digreſsi, ad res novandas intenti erant, cum autem vires ſibi deeſſe viderent, Bethlenium ſpe potiundi Hungaria ad religionis, & regni libertatem tuendam ſolicitabant. Verum ille, quamquam dominandi cupidus, cautior tamen, quam ut ſe periculo temere objiceret, dubia reſponſa dabat, donec, quo loco res in Bohemia eſſent, ex Marco *Vajda*, quem iſtuc exploratum miſerat, intellexiſſet, Bohemos præcipuam in illo, ſi armorum ſocius accederet, ſpem locare. Ita ſponte ad arma prono calcar eſt additum. Ne tamen propoſitum ſuum ante tempus proderetur, dolum Principe indignum commentus eſt. Miſerat e Transſilvania per Michaelem *Károlyi* litteras ad Andream *Doczium*, quibus operam ſuam regi contra Bohemos pollicebatur, venturum ſe nempe cum exercitu, & caſtra non procul a regiis copiis, ut communi cum iis conſilio agat, fixurum, interea vero Bohemis, a quibus per litteras accerſitus eſſet, facile perſuaſurum, id ſimulate fieri, futurumque hac ratione, ut præcipuos rebellionis auctores in fraudem inductos ad ſua caſtra pelliciat, & pellectos regi puniendos tradat. Hæc ille ad

Do-

Doczium, & hic ad regem. Serius autem, postquam Transsilvanis specie ferendi Ferdinando secundum pacta auxilii militiam imperasset, ad Bohemos scripserat, se prorogatis cum Sultano induciis copias suas, in quibus mille *Janicsari*, totidemque equites Turcici essent, in promtu habere, &, nisi aliquid obstaculi in Hungaria occurrerit, mense Septembri ad fines Moraviae adfuturum, interea autem ipsi nullam cum Ferdinando pacis tractationem ineant, quem, si concordi animo vires secum junxerint, facile profligandum confidat. 1619.

Haec litterarum, quas XVIII. Augusti ad Bohemos Corona scripserat, sententia fuit. Sexto post die, cum XVIII. millibus Cassoviam movens, & urbem civium perfidia deditam ingressus, Andream Doczium loci praefectum, quem paullo ante simulata amicitia fefellerat, captivum in Transsilvaniam misit. Inde pluribus per iter ad signa confluentibus ad montanas urbes progressus, quacunque ibat, rapinis, bonorum Ecclesiasticorum direptione, profanatis templis, caesisque Sacerdotibus, ac viris primariis, qui fidem regi obstrictam violare renuebant, in exilium actis, horrorem late circumferens ad Moraviam, Palatino necquidquam obsistente, properabat, Legatis suis *Széchio*, & *Rédeio* consequi jussis. Ad limites ut venit, lustratis copiis utrumque Legatum cum parte copiarum, quibus Turcas

etiam

etiam adjunxerat, Turriano suppetias misit, ipse cum reliqua militia, ut ex eventu consilium caperet, ad Posonium substitit.

1619.

Ferdinandus, qui interea, repugnantibus licet Palatini Comitis, & Bohemorum Legatis, rex Romanorum inauguratus erat, vix, cum hæc ad se afferebantur, fidem habuit, cum longe alia Doczius mense Julio ad se perscripserit. Sed ubi idem crebris nunciis firmari, & Bohemos se exauctorato Fridericum Comitem Palatinum Bohemiæ regem elegisse, comperit; nullum dubium erat, proditionem diu ante utrinque clandestina machinatione adversum se fuisse agitatam, sibique deinceps cum versuto homine, cui fœderum sanctitas, pacta, & stipulationes, publica fide, scripto, & sigillis firmatæ ludus sint, rem futuram esse. Nec Bethlenius non intellexit, quam turpem sibi notam inusserit, quantave infamia apud exteros ob violatam fidem laboraturus sit, sed; cum dominandi libido, habendique cupiditas sensum humanitatis hebetaret, propositi sui tenax Posonio potitus, post fusas Germanorum auxiliares copias, in Austriam evagatus omnem usque Neostadium, Viennæque suburbia viciniam, incendio, & cædibus populatus, spoliis dives rediit, rerumque a se gestarum seriem magnifica de se jactans, falsaque veris miscens, ad internuncium suum Franciscum *Balasium* Constantinopolim perscripsit, se Hungariam omnino sibi subjecisse,

pa-

parumque abfuiſſe, quin & Bohemia potiretur, niſi Vezirius maluiſſet, alium ei regno præeſſe, cui, quod ejusdem ſecum religionis, & regis Angliæ gener, Hollandorumque patrocinio ſubnixus ſit, libenter cedat, cum quo alioquin communi adverſus Ferdinandum fœdere ſe ſperet conjungendum, maximo Sultani commodo, quod hac ratione omnis deinceps facultas Germanis adimenda ſit, Turcas bello impetendi. Hæc Conſtantinopolim ad ſuum internuncium; Pragam vero Legatos miſit, qui de conditionibus ineundi fœderis transigant, & ſumtus belli cauſa factos peterent. Quingenta *Talerorum* millia poſtulabat: id nimium Bohemis viſum, reſponſumque de his, aliisque, quæ ex uſu videbuntur, in Conventu Pragenſi actum iri, interim ageret, ut Hungaris quoque Comitia indicat, ad quæ ipſi etiam ſuos miſſuri eſſent, quod cum ei ex legum præſcripto nequaquam fas eſſet, Palatinum vi adimota, quid enim armatus illo inermi non poſſet? pro XI. Novembris ad hæc cogenda compulit. 1619.

Pauci ex Catholicis, quod rex graviſſimo interdicto Conventum vetuerit, iique metu amittendorum bonorum coacti adfuere; Auſtrales etiam, ut Legatos ſuos mitterent, admoniti; venerat quoque, incertum, an accerſitus, an ſponte ſua, Gyulenſis *Begus*, qui auxilia, ſi his opus fuerit, large pollicebatur. Id multis incitamento erat, ut Bohemorum exem-

exemplo Comitia a criminationibus in Ferdinandum ordirentur. Cum enim Palatinus
1619. peteret, ut de ratione, qua exorti motus pacari possint, & de horum causis in medium consulerent, has in electionem regis conjecerunt: extortam, non liberam fuisse; *Pazmanum* cum Episcopis ante Comitia anni prioris oberrasse provincias, *a*) ut suffragia pro Ferdinando emendicaret, illo etiam auctore factum, ut ii fere ad Comitia destinarentur, qui Austriae favebant, Status quoque Catholicos nihil sivisse intentatum, quod ad opprimendos *Evangelicos* faceret, ex his etiam non paucos largitione, & promissis esse in transversum actos, ad haec Comitia fuisse de industria in longius tempus producta, quo factum, ut, multis sumtuum causa domum redire coactis, reliqui suffragiorum numero facile illos superarent, quibus ne quidem liberam vocem edere licuerit. Hoc modo electum, & coronatum fuisse regem, qui triduo post Viennam properarit, quin regni vulneribus medelam attulerit, vel conditionibus, ut promiserat, satis fecerit, non reddita esse *Evangelicis*

a) Constat tamen Pazmanum ex epistolis ad varios datis, ab eo tempore, quo a Mathia Archiep. Strigonien. nominatus erat, Pragae, Viennae, Posonii, Tirnaviae, & Sellyae constanter fuisse.

sis templa, religionis exercitium ab Episcopis illo non ignaro arctius constrictum, 1619.
propeque esse, ut jugo Hispanicæ *Inquisitionis* colla subdere cogantur, nec pacta cum Hispano inita alio spectare, quam ad eorum, qui a Catholicis dissentiunt, religionem penitus exstinguendam: idcirco milites Germanos nondum esse ex Hungaria eductos, Hungaros contra ex confiniis Nicolao *Forgácsio*, Stephano *Horváthko*, Balthasare *Lengyelio*, & Mathia *Somogyio* ducibus in Bohemiam, & Moraviam abstractos, ut gentem religione, & pactis sibi sociatam impetant, data libertate, ferro, igneque in omnes promiscue grassandi, hos non multo post eandem ob causam Nicolaum *Pálfium*, Petrum *Balassam*, Paulum *Eszterházium*, & Andream *Oroszium*, conducta largis stipendiis militia, fuisse consequutos, quæ quidem belli inferendi cupiditas fœderi conciliationis Viennensis, quo Bohemi, & Moravi quoque comprehendebantur, & cujus ipse Ferdinandus, tunc Stiriæ, & Carinthiæ Dux, jussor, sponsorque fuisset, aperte adversetur. Justas igitur sibi ad corripienda arma causas esse, nec id sibi ab exteris vitio verti posse, nisi qui ignorent, Hungaris ab Andrea II. datam potestatem, etiam regi, si pactis conventis non steterit, resistendi.

Hæc partim longinque accersita, partim speciose, sed falso excogitata Palatino satis

1619. prolixo scripto exhibita fuere, qui, ut exacerbatos animos leniret, id consilii proposuit, ut Legatio ad Cæsarem non dissentiente etiam Bethlenio mitteretur. Delecti sunt triginta ad eam obeundam, inter quos & ipse Palatinus: admissos XXVI. Decembris Cæsar eadem, qua in adversis solebat, animi magnitudine audivit, pollicitus, proxime a se mittendum, qui suo nomine cum illis secundum leges patrias transigat. *a*)

II.

a) Kevenhüller T. IX. ad h. a. Londorp. l. c. li. 4. c. 73. 74. & c. 203—6. Ferdinandi credent. ad Boh. Vien. 28. Mart. Gegründeter nothwendiger Bericht, was . . nach Absterben . . Mathiä . . unter, und ob der Ens . . gehandelt worden. Lincii 1619. Litt. Andr. Döczi ad regem ex Szatmar. 14. Jul. Bethlenii ad Boh. & Mor. Corona 18. Aug. Ordin. Boh. ad Hung. Pragæ 5. Sept. Sigism. Forgács ad Pazmanum. Poson. 20. Oct. Statuum Austr. ad Hung. Hornæ 22. Oct. Ferdinandi prohibitor. Græcii 30. ejusd. Ejusd. ad Pazmanum ibid. 31. ejusd. Bethlenii ad eund. Poson. 15. Nov. & ad Nic. Eszterházi ibid. 20. ejusd. Responsa. Bethlen. ad proposit. Palatin. ibid. 29. ejusd. Cæsaris ad Stat. Imperii Vien. 5. Dec. & ad Palatin. Hung. ibid. 6. ejusd. Friderici C. Palatini, & Bohemor. ad Hung. 13. Nov.

II. Prævenere Bohemorum Legati Fridericus Comes ab *Hohenloe*, & Matthæus *Turrianus*, non tam de fœdere deliberaturi, quam, ut Hungari conditionibus, quas ex Conventu Pragensi afferebant, subscriberent. Erant autem hac sententia exaratæ: Confœderatio inter Hungariam, & Bohemiam, ac utrique regno adnexas provincias perpetua sit, & ad posteros quoque utriusque gentis pertineat: quovis quinquennio Conventus celebretur, ut, si quid difficultatis in conditionibus occurrerit, hæ mutari, augerique possint: omnes diligentem operam adhibebunt, ut vicina etiam regna huic societati se adjungant: defensionis negotium collatis in unum viribus ita ordinetur, ut imminente periculo quisque contra quemlibet hostem iis uti possit: Socio ab hostibus impetito vicinus opem feret, si plures in eodem periculo fuerint, quivis copias suas in limitibus paratas habeat, quas magis laborantibus subsidio mittet. Amici, & hostes sint omnibus communes, proin nemini insciis aliis, scribere militem, bellum movere, pacemve inire fas sit. Si quis a confœderatis secedere, aut deserere in periculo, aut quidvis adversus illos moliri audebit, is omnium armis impetendus, redigendus in ordinem, & ad sumtus belli pensandos cogendus erit. Ceterum per hanc consociationem, nullius regni confœderati juribus, immunitatibus, aliisque consuetudini- 1620.

 bus

bus quidquam cenſeatur derogatum. Sancl-
1620. to in has conditiones fœdere Nuncium litteris ad Vezirium ſcriptis miſere rogatum, ut venturo proxime cum muneribus Oratori Bohemo tutum per iter commeatum, aditumque ad Sultanum præſtare vellet, acturum enim de rebus gravibus, quas Sultanum non ignorare magnopere interſit.

Digreſſo nuncio adfuere in Conventu Valentinus *Lépes* Colocenſis Archiepiſcopus, Leonardus Comes a *Megau*, Gundaccarus *Liechtenſteinius*, & Sigfridus *Preinerus*, a Ferdinando cum exquiſitis honorariis muneribus miſsi. Serum id plerisque viſum, & tempus non tam conſultatione, quam altercationibus, & repetitis in Cæſarem querelis conſumtum. Bethlenius, qui conſilia ſua ex uſu temporis capere ſolebat, futuri magis, quam ceteri providus, imperato reliquis ſilentio non ſe quidem ab induciis abhorrere affirmabat, ſi conditiones honeſtæ proponerentur, tales cum afferri intellexit, ipſe remotis arbitris in has cum illis convenerat: Induciæ ad feſtum Michaelis Archangeli durent, ad quas ſervandas Cæſar etiam regem Poloniæ per Legatum perſuadere ſataget, nec pro ſua clementia gravate feret, ut iis Bohemi cum adnexis provinciis, ad præſtitutum tempus comprehendantur, ſe interim apud imperii Principes omni ſtudio acturum, ut ſopitis motibus pax æquis conditionibus tandem coaleſcat:

cat: durantibus induciis, quod utraque pars n potestate habet, in cujusvis jurisdictione persistat: commercia sint libera, neutris liceat hostilitatem exercere, aut alterius ditionem incursare, arcesque intercipere: Poloni milites, quos Homonnaius in superiorem Hungariam induxerat, exesse jubeantur, si nolint, aut vim parent, fas sit eos salva induciarum fide armis regno exigere; denique Cæsar Comitia ad pridie Calendas Junias Neosolium indicet, ut in his præsente Palatino, regni Prælatis, & reliquis Ordinibus, quidquid hactenus dissidiorum fuit, communi, quoad fieri potest, judicio, & consensu tollatur. In hunc modum conditiones utrinque sigillis firmatæ XXVII. Januarii promulgatæ sunt. 1620.

Cur Bethlenius tam facilem ad has ineundas se præbuerit, multa in causa erant. Profligato enim per Homonnaium in superiore Hungaria Georgio Rákóczio, verebatur, ne partes illæ, rebus suis in Hungaria nondum confirmatis, reditum sibi in Transsilvaniam difficilem reddant; per exploratores etiam compererat, Catholicos Imperii Principis *Mülhusium* convenisse, agitari istic consilia de fœdere contra Acatholicorum Principum unionem conflando, autorem hujus esse Maximilianum Bavariæ Ducem, Principem bello expertum, Cæsari præterea a rege Hispaniæ ingentem auri vim esse subministratam, colligi hujus jussu copias in Bel-

 gio,

gio, quas in Palatinatum irrupturas non inanis ſit ſuſpicio, quod ſi fieret, Fridericum
1620. ſubrogatum Bohemiæ regem manifeſto periculo objiciendum, cujus res ſi labaſcerent, facile futurum, ut Cæſar, eique confœderati vires omnes, quibus propulſandis impar ſit, in ſe unum convertant, nec ab Acatholicis Imperii Principibus, cum non omnes inter ſe conſentiant, ipſe vero apud pleroſque Germanos ob initum cum Turcis fœdus invidia laboret, ſpem auxiliorum, niſi dubiam affulgere videbat. Hæc illum ad inducias, quas ejus aſſeclæ aſpernari videbantur, amplectendas permovere.

Poſonio Caſſoviam digreſſus ſtatuta, quæ partium illarum Proceres interea condiderant, fere eadem, qua reges uti ſolent, verborum forma XVIII. Februarii rata habuit. Statutorum hic tenor erat: Qui legitime ad Comitia Neoſolium vocati non venerint, publicatis bonis in exilium agantur, religionis exercitium toto regno liberum ſit, & illibatum, qui id impedient, eorum bona Fiſco addicantur; templa, niſi ſponte fuerint reddita, nemini fraudi ſit, ſi vi recuperentur: *Jeſuitas* nemo ſinat in regno, & adnexis provinciis morari, clam, palamve fovere, qui contra faciet, crimine infidelitatis notetur; miles Germanus Levenſi arce intra XV. dies excedat, ſi morem non geſſerit, Joannes Althanius arcis Præfectus futuris Comitiis adſit, rationem

facti

facti redditurus: Emerico *Liptai*, quod legatione ad *Portam Ottomanicam* anno priore fideliter functus sit, æs Constantinopoli, sponsore Ludovico Molardo Cæsaris Legato, contractum liberaliter compensatum: tres præterea Legationes decretæ; una ad Acatholicos Imperii Principes, & Bohemos, altera in Poloniam, & ad Sultanum tertia. Legatos, & mandata, secundum quæ res sibi creditas gerant, Bethlenius cum Palatino, adjunctis etiam Consiliariis designabit, & tradet; quem si interea mori contingat, cura & administratio rei publicæ Palatino regni incumbet, quæ autem nunc decressent, confœderatis provinciis communicentur, postremo fœdus mutua stipulatione firmatum, quo una cum Bethlenio libertatem, & religionem sanguinis etiam profusione se tuituros recepere. 1620.

III. Sub hæc Catholici Principes Imperii ex Conventu Mülhusano litteras ad Hungaros dedere, quibus eos ad pacem, & unionem hortabantur, idque in proximo Conventu præcipue operam darent, ut in rebus decernendis regni salutem in primis præ oculis habeant, nec tantum intemperiis Bohemorum velint tribuere, ut se a legitimo rege abalienari sinant, sed seposito privato affectu, odioque, & rejectis turbulentorum hominum consiliis id unice conentur, ut Hungariam ad eum, quem Majorum in patriam amor illis reliquerat, felicem statum reducant, alioquin fore,

ut tot patratarum cædium, & effusi sanguinis
1620. Christiani invidia in eos fere solos redundet.
Nihil tamen his litteris profectum. Bethlenius seu induciarum pœnitens, seu ob has Bohemos sibi infensos suspicatus, Emericum *Thurzonem*, Michaelem *Bosdnyium*, & Joachimum *Magdeburgerum* Senatorem Cassoviensem ad eos pacandos Pragam misit, cum, ut, quæ nuper Cassoviæ decreta erant, referrent, tum, ut de iis, quæ in Posoniensi Conventu nondum satis explicata viderentur, cum iis transigant, præcipue autem de subsidio pecuniæ quotannis rite numerando, & Oratore Constantinopolim mittendo decernant. Ipse seorsim ad Fridericum scripsit, si Cæsar intra mensem nolit declarare Bohemos, & reliquos confœderatos nupernis induciis comprehendi, se copias suas in finibus Moraviæ locaturum, quibus, ut e re visum fuerit, uti possit, nunc instare tempus Conventui Neosoliensi præstitutum, cupere se magnopere, ut Legati a confœderatis mature mittantur, cum quibus, antequam Cæsarei adveniant, quædam privatim conferri multum intersit. Hæc ad Bohemos. Constantinopolim Franciscum *Baldsium* cum muneribus, & annuo censu misit, qui, cur cum Bohemis, Moravis, & aliis confœderationem iniisset, causas Sultano exponeret, nullique operæ parceret, ut hanc ipse ratam quoque habeat, eique se velit adjungere, si autem videret Turcas religione juramenti, quo indu-

ci-

cias cum Cæſare firmarunt, abſterreri, ſpem majoris annui cenſus faciat, & *Filekum* præterea cum *Neogrado*, & *Vacia* eisdem tradendum polliceatur, nec ullum a Ferdinando, cujus copias fœderati aliquoties profligaſſent, periculum imminere perſuadeat. Habita eſt internuncio fides, & cum *Mehmet* Aga, Pragam ad Fridericum ituro, remiſſus eſt. 1620.

Rediit ipſo Comitiorum tempore, quo confœderatorum Legati jam Neoſolii cum Bethlenio tractabant. Cæſarei Paulus *David* Epiſcopus Tinninienſis, & Georgius *Teufel*, primum X. Julii advenere, dum partibus in contraria ſtudia ſciſsis Comitia maxime fervebant; multi enim adhuc regis partes acriter tuebantur. Fruſtra regii Commiſſarii diſſidentes, quod plena auctoritate deſtituti eſſent, conciliare ſtudebant, prævaluere Acatholici, & rogatis ſententiis decrevere, ut bona illorum, qui a Comitiis aberant, in Fiſcum redigantur, Eccleſiaſtici jure ſuffragii deinceps careant, nec unquam inter Status regni locum habere poſsint. Hæc XIV. Julii acta, relata in litteras, & CLXV. ſigillis, nominumque ſubſcriptione firmata ſunt.

Re ad Ferdinandum celeriter perſcripta miſſus eſt Comes *Collaltus* plena agendi poteſtate præditus, qui Comitium ingreſſus cum duas ſellas, & ex his unam majore, quam aliam cultu, impendente umbella, inſtructam videret, conjiceretque, Bethlenio eſſe deſtina-

natam, hanc occupans, *a)* paucaque de Cæ-
1620. saris clementia præfatus gravi oratione adstantes monuit, ut fœderi Bohemico renunciemt, quæ de bonis absentium, & contra Ecclesiasticum Ordinem constituissent, irrita declarent, Cæsarem eo animo esse, ut, quæ peterent; modo ne juri regio, & regni constitutionibus sint adversa, libenter concessurus sit. Hæc taciti, & Bethlenius aperto capite exceperant, sed cum a fœdere Bohemico se recessuros diserte negarent, Collaltus cum collegis Viennam regressus, & Bethlenius Emerico Thurzone, nam Palatinus Forgácsius persuaderi non poterat, præeunte rex Hungariæ XXV. Augusti electus est, licet Dux Engolismensis misso suo Vicario præceps factum omni adhibito studio impedire conaretur.

Ferdinandus, cujus curæ omnes in Bohemiam intentæ erant, & induciarum tempus nondum effluxisset, hæc tantisper dissimulanda putabat, nec prius arma resumsit, quam Bethlenius exeunte Septembri in Austriam irrum-

a) Kevenhüller Tom. IX. pag. 942. memorat hoc factum a multis Hungaris in hæc verba: *bene, bene, bene facit, pro reputatione suæ Cæs. & regiæ Majestatis nostræ:* collaudatum fuisse; quod indicio est, non paucos rem legitimi regis tuitos, sed potentia, & numero ab adversariis superatos fuisse.

rumpens more ſuo populationem late circumferret. Huic Cæſar *Tampierium* oppoſuit, qui 1620.
rejecto illo, & urbe Poſonienſi recuperata dum arci incautius, quam par erat, ſuccedit, glande plumbea ictus occubuit, cujus caſu Bethlenius animum reſumens, rurſum Auſtriam infeſtare parabat, deſtitit tamen a propoſito, quod res Friderici in Bohemia periculo proximas intelligeret. Hiſpanos enim ex Belgio in Palatinatum, Coſaccos in Hungariam irrupiſſe, & Maximilianum Bavarum, recepta in fidem Cæſaris ſuperiore Auſtria, magnis itineribus in Bohemiam movere comperit. Itaque, cum ex pacto fœderatis ſubſidia ferenda eſſent, nec vellet eodem tempore cum Cæſare ſibi rem eſſe, inducias his conditionibus offerebat: ut Cæſar, quando ipſe ceteroqui jam rex Hungariæ eſſet declaratus, regno Hungariæ renuncians id ſibi deinceps gubernandum relinquat, ex quo annua CCCC. florenorum millia tributi nomine eidem numeraturus ſit, & effecturum ſe ſpopondit, ut Fridericus vel ſponte Bohemia decedat, vel, ſi id non poſſet, ut CCC. quotannis florenorum millia Cæſari pendat; ad grati etiam animi conteſtationem ſe omnem induſtriam adhibiturum, ut Principes Imperii filium ejusdem Romanorum regem renuncient: has cum Cæſar ob intolerabilem hominis faſtum cum contemtu rejiceret, ipſe, miſsis in Bohemiam non temnendis equitum copiis, ad fines Moraviæ

con-

conſtitit, nihil ante tentaturus, quam, quis
1620. rerum in Bohemia exitus eſſet, intelligeret. Non diu incertus hæſit. Edoctus a Turriano Fridericum VIII. Novembris *a)* prope Pragam in monte albo pugna decretoria victum, fugatumque eſſe in Sileſiam, nihil morandum ratus, datis ad confœderatos litteris, quibus eos ad conſtantiam hortabatur, convaſatis rebus in Transſilvaniam ſpoliorum dives rediit.

Cæſar victoria potitus, Pragaque recepta, quod ante differri oportuit, vulgato ad VI. Idus Decembres edicto, electionem Bethlenii irritam pronunciavit, & Palatinum cum ceteris regni Ordinibus paterne commonefecit, ut jurisjurandi, quo ſibi legitimo regi obſtricti eſſent, memores a rebellium conſortio ſe abſtineant, nec ope, conſilio, armisque adjumento eis ſint; partes Bethlenii, qui ambitionem ſuam religionis ſpecie fraudulenter tegat, ſpemque unice collocet in Turcarum auxilio, quibus, ſi ſpe ſua ſe fruſtratum viderit, confœderatos, & ipſam Hungariam facile ſit proditurus, deſerant, eorumque, quæ a Domus Auſtriacæ regibus perceperant, beneficiorum meminiſſe velint. Valuit commonitio ad plures, qui ob-

a) Memoriæ eſt proditum, incidiſſe in eam diem Evangelium Matthæi 22. in quo legitur: *reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.*

obtenta erratorum venia in priſtinam fidem rediere. *a*)

VI. Bethlenius contra veritus, ne profligato Friderico rationes ſibi penitus conturben- 1621.

a) Kevenhüller l. c, ad h. a. Londorp. l. c. P. II. cap. 8. 25. 36. 67. & 125. Kazi. l. 3. Litt. Friderici ad Palatinum Hung. Prag. 25. April. Bohem. ad Hungaros. ibid. eod. Moravor. ad eosd. ibid. 26. ejusd. Sileſior. 25. Luſatior. 26. Auſtriæ infer. 26. ſuperior. 27. ejusd. ad eosd. Emer. Thurzo Relatio Actor. Pragenſium. Poſtulata Bethlenii a confœder. 2. Apr. Paria unionis mutuæ. Prag. 8. ejusd. Bethlenii, & ſocior. aſſecuratoriæ 24. ejusd. Emer. Thurzo obligator. de perceptis 15223. flor. & 95. den. pro comparandis vaſis argenteis ad Port. Ottomanic. Prag. 24. Apr. Litt. Friderici ad Hungar. Prag. 9. Maji. Ordinum Boh. ibid. eod. & Moravor. Bruna 1. Jun. Sileſior. Wratisl. 29. Maji, ad eosd. Bethlenii ad Fridericum Caſſov. 1. Jun. Emer. Thurzo ad eund. ex arce Bitsenſi. 4. ejusd. Friderici ad Bethlenii Legat. Prag. 4. Jul. Ejusd ad Bethlen. ibid. 8. ejusd. Thurzonis ad Friderici Cancellar. a Rapau, ex arce Bitsen. 29. Sept. Bethlenii ad confœder. Bazinio. 16. Nov. Cæſaris ad Pazmanum Prag. 29. Dec. Jus Ferdinandi in Boh. Vien. 1620. editum.

bentur, ante suum in Transsilvaniam discessum Emerico Thurzoni in mandatis dederat, ut, si fieri posset, Cæsareos ad inducias ineundas adducat, non tam ut re ipsa confla-rentur, quam ut eousque tempore posset uti, donec ex Joanne *Rimai* Constantinopolim misso, quid inde spei affulgeat, resciret. Ferdinandus, etsi, quid ille apud Sultanum machinaretur, non ignoraret, nosset quoque Bethlenii versatilem, & omnia magis ex utilitate, quam honestate metientem animum, ne novam tamen quiritandi occasionem factiosis daret, Commissarios Haimburgum misit, qui, quas illi afferrent, conditiones audirent. In ipso statim principio adhæsum est, quod Bethlenius in litteris titulum *regis electi* sibi tribueret, & conditiones infra Cæsaris dignitatem visæ, quas Bethlenius, quemadmodum ei res Constantinopoli nunciabantur, alias aliis substituendo variari jubebat, donec XV. millia Turcarum subsidio sibi adfutura, & Fridericum cum XXX. millibus in Bohemiam irrupturum clam significatum esset, tum induciarum tractationem abrumpi, & Cæsar copias in hunc eventum paratas, *Bucquoium* in Hungariam ducere jussit, qui Posonio, Tirnavia, & Nitria recuperatis, dum Ujvárinum obsidere parat, a Bethlenio circumventus in pugna occubuit. Victor exercitum Tirnaviæ admovit, urbeque potitus nuncium cum litteris ad *Chamum* Tartariæ

1621.

misit,

misit, ut hunc quoque facta spe prædarum, & mancipiorum, quæ ex Christianorum regnis possit colligere, in communionem belli pertrahat. *a)* Interea ne otiosus adstaret, partem copiarum Moraviæ, & Austriæ immisit, quæ morem suum sequutæ, quidquid obvium erat, igne, ferroque populabantur, ipse Posonium movens dum arcem frustra tentat, mutato repente consilio Szakolczam discessit, paullumque post, cum a Friderico, quem Cæsar Electoris dignitate privatum vulgato per Imperium edicto proscripserat, nihil spei affulgeret, animum ad inducias serio, ut quidem videbatur, adjecit. 1621.

Nicolsburgum, ut arbitri de conditionibus communiter tractarent, delectum, & remotis utrinque, quæ ingerebantur, obstaculis, in has tandem conventum: Cæsar indulta omnium, quæ a IV. Martii anni 1609. patrata erant, erratorum venia, firmatisque regni

a) *Idcirco personam vestram propriam exspectabimus; & eandem per ditissima regna, & provincias circumducemus, — cujus milites divitiis, atque mancipiis se se ubertim ditabunt, si modo Celsitudo vestra 20000. penes se habebit.* Sunt verba, Bethlenii ex epistola, quam Chamo Tartarorum scripserat, intercepta.

gni immunitatibus conditiones, quibus ſe an-
1621. te coronationem ſtaturum promiſerat, in proximis Comitiis decreto, quo ſanctiones a rege ratihaberi ſolent, inſeri curabit: promittet item ſe facturum, ut munimenta confiniorum inſtaurentur, neve præſidiario militi ſtipendia deſint, & pacem cum Turcis ſecundum conventionem ſervabit: Bethlenio denique ſeptem Comitatus cis, ultraque Tibiſcum cum urbe *Caſſovia*, arcibus item *Munkács*, *Tokai*, & *Szatmár* cedet, ſalva tamen Palatini in eas provincias jurisdictione: his adjecta erant quingenta florenorum millia. Bethlenius viciſsim Comitatus Ungenſem, Tornenſem, Scepuſienſem, Sárosienſem, cum *Bartpha*, *Eperieſſo*, *Cibinio*, & *Leucsovia* urbibus Cæſari reddet, abdicato *regis electi* titulo, ſubſtituet titulum Principis *Imperii*, & Ducis *Opuliæ*, ac *Ratiboriæ*: pollicebitur præterea, ſe nullam deinceps hoſtilitatem adverſus Cæſaris ditiones, & Domum Auſtriacam moturum, nec hoſtes, ſive hi exteri, ſive domeſtici fuerint, re, conſiliove adjuturum: coronam regni, quam Poſonio inſtar prædæ abſtulerat, cum reliquo apparatu illibatam reddet, reſtituet etiam erepta bona legitimis dominis, & captivos, niſi de precio jam conventum ſit, gratuito liberos dimittet. Religionis negotium, quod hactenus diſsidiorum fomes, & rapinas impune exer-

exercendi prætextus erat, ad futura Comitia dilatum. a)

Conditiones anno sequente ad VII. & VIII. Idus Januarias sigillis roboratæ, & diplomata ad firmandam fidem utrinque permutata sunt. Episcopus Varadiensis cum collegis pro reducenda corona Cassoviam ad Bethlenium missus, difficiliorem, quam spes erat, non quidem in hac reddenda, verum aliis in rebus reperit. Querebatur, sero promissa quingenta florenorum millia sibi administrari, tametsi de his in Imperii Comitiis esset transactum, nec, quæ de Ratiboriensi, & Opoliensi Ducatibus in conventione statuta erant, satis explicata videri. Hæc ille verbis quidem præferebat, sed aliud meditabatur. 1622.

Restituta corona cum videret sibi spem obtinendæ Hungariæ succisam esse, de Polonia ope Turcarum occupanda cogitabat, nec tam obitus, quem prætexebat, uxoris, quam hæc destinatio in causa fuit, cur Comitiis

a) Kevenhüller T. c. Londorp. P. II. cap. 19. 40. 41. & 103. Litt. Joan. Rimai ad Bethlen, Constantinop. 19. Febr. & 15. Apr. Bethlenii ad Chamum Tartar. Tirnav. 1. Apr. Acta pacificat. Nicolsburgi 31. Dec. Episcopi Varadien. & collegarum ejus Acta, de corona relata apud Pray Hierarch. P. II, pag. 191.

1622. initiis Sopronium indictis adesse noluerit, etsi in his quaedam Nicolsburgensis conventionis capita illustranda essent. Mens tota Poloniae intenta erat. Hujus autem occupandae hanc rationem iniit. Communicato cum rege Sueciae, qui superiore anno *Rigam* Polonis eripuerat, consilio, suum Constantinopoli internuncium admonuit, captata occasione proponeret Osmano Imperatori, nullam commodiorem dilatandi Imperii occasionem adesse, quam si Poloniam, ex qua in ipsa Germaniae viscera grassari posit, occupet; neque id, quod regnum munitis urbibus careat, arduum esse; Suecum exiguis copiis magnos progressus fecisse, his majores, si Moscos praeterea in Polonos concitet, Tartaros, qui confines sunt, facturos, quibus de regno concertantibus, si sibi XX. millia Turcarum subsidio mitterentur, ipse quartus fit superventurus, & exclusis aemulis Polonos vi adacturus, ut se regem Poloniae declarent, cui eodem, quo Transsilvaniae, fiduciario jure Turcis obnoxius, praeesse velit. Nefarii hujus consilii, quamquam id ille clam haberi cuperet, indicium ad Caesarem perlatum, & sensim in regno propagatum multis occasionem dedit, ut illo deserto ad obedientiam redirent.

Sopronii interim Comitia fervebant. Caesar salutis publicae cupidus, non pauca, quae ad regni tranquillitatem pertinebant, Ordinibus ad

ad deliberandum propoſuerat, præcipue, ut rationes ſecum inirent, quibus pax cum Turcis 1622.
in ſolidum firmari poſsit, adeſſe a Bethlenio nuncios Emericum *Liptai*, & Joannem *Rimai*, qui non pridem Conſtantinopoli rediiſſent, cum his conferrent conſilia, &, quod e re publica videbitur, decernant: fruſtra autem de hac acturos, niſi lege condita ſeveras in eos pœnas ſtatuant, qui Turcas, Tartaros, aliosque hoſtes regno inducere, ope, & conſilio juvare pergerent; neceſſarium proin eſſe, ut in eum eventum non ſolum copiæ ad vim propulſandam præſto ſint, verum quisque etiam pro redituum ratione ſubſidia in bonum commune conferat, & bona ſuperioribus annis erepta dominis ſuis reddat. Atque de his, publicæ ſecuritatis cauſa ſe cupere, ut mature conſtituant, & Germanus miles, cui Imperium ex ſuo ſtipendia præbet, rurſus in præſidiis ſuam ſtationem obtineat. Viderent etiam ii præſertim, qui, cur nuper Bethlenio ſeptem Hungariæ Comitatus cedere debuerit, in cauſa erant, ne ab ejus obitu magno regni, & ipſorum damno ab Hungaria avellantur: ad tollendas, quæ utrinque oboriri poſſent, ſuſpicionum, & diſsidiorum cauſas, illud etiam pertinere, ut litteras confœderationis, quam cum exteris inierant, irritas declarent, ſibique Bohemorum, aliorumque exemplo conſignent: poſtremo, cum ſucceſsio regia hucusque in Co-

mitiis dissidio, & in regno intestinis moti-
1622. bus occasionem fere dederit, plurimum ad stabiliendam tranquillitatem spectare, ut certam de successione sanctionem edant, ne deinceps, ut fere hactenus, cum illo ventum fuerit, protracto inutilibus disceptationibus tempore, salutaria regno instituta negligi, aut imperfecta relinqui necesse sit.

Hæc Cæsar scripto Ordinibus exhiberi jussit, de quibus nihil ante visum iis decernere, quam Palatinus eligeretur. Ex candidatis Stanislaus *Thurzo*, præcipitato LXXX. suffragiorum numero electus est tam incondito strepitu, ut Cæsari, qui a Comitio non longe aberat, pene suspicio seditionis orta fuerit. Mox ad deliberationis capita ventum, quæ etsi sæpe abrupta, & crebris altercationibus usque ad VIII. Mensis Augusti producta esset, pleraque tamen, quæ Cæsar proposuerat, in legem relata sunt, tres præterea floreni in bonum publicum, unus Reginæ muneris honorarii loco per regnum imperati: Bethlenianæ donationes antiquatæ, vetitum arma Turcis ministrare, & inconsultis limitum Præfectis excurrere in hosticum, qui id illorum injussu facerent, crimine infidelitatis notati. Successionem familiæ regiæ, cujus rationem Cæsar inprimis declarari cupiebat, quod deliberatio, quamquam tranquillitati publicæ, si certa ratio iniretur, multum commodaret, nihil enim magis regno

hacte-

hactenus obfuit, quam de jure fuccefsionis difceptatio, quia tamen pro animorum ob religionis difcrimen ejus temporis difsidio in utramvis partem anceps videbatur, plerique regiæ familiæ addicti, ne, fi rem tam gravem præcipitarent, nullus poftea mutandæ locus effet, difsimulandam cenfuere. Finem Comitiorum partim importuna Palatini cum Archiepifcopo Strigonienfi de priore loco apud regem concertatio, partim inurbana ejusdem dicacitas interturbavit. Dum enim ante coronationem Reginæ in convivio, cui nuncii quoque e Transfilvania intererant, largius folito vinum affunderet, in Bethlenium illiberalibus dictis invectus *bestiam* illum diferte compellabat, qui ftolide fibi perfuaferit, fe regem Hungariæ futurum, quem vel ipfa nafcendi conditio infra Magnates Hungariæ magno intervallo locaffet. Nuncii magis illo fobrii, habita temporis, & loci ratione, incultam dicendi libertatem difsimularunt. *a*) 1622.

V. Non perinde hanc Bethlenius, honoris fui tenax, accepit. Vindictam fpirans, dum 1623.

 mo-

a) Confirmatio pacificat. Nicolsburgens. a Bethlen Szakolczæ. 7. Jan. a Cæf. ejusd. 17. Kevenhüller. T. IX. ad h. a. Londorp. P. II. c. 127. — 28. Litt. Bethlenii ad Pazman. Caffov. 27. Febr. Propofition. regiæ Sopron. 25. Maji. Sta-

modum hujus ſumendæ ſecum exigit, opportuna illi nuperna *Osmani* Sultani cædes viſa eſt. Succeſſerat huic Amurates IV. ad hunc cum ſalutandi illius, tum impetrandi pro firmando Principatu novi diplomatis cauſa fratrem ſuum Stephanum cum Stephano *Erdélyio* Conſtantinopolim miſit. Acceptus eſt liberaliter, datum novum diploma, quo exteri ab adeundo Principatu excludebantur, mitigata etiam annui tributi penſio, & auxilium contra quosvis hoſtes promiſſum. De his a fratre edoctus bellum parabat; &, ne honeſta ad ſpeciem cauſa deeſſet, pecuniam nuperna transactione promiſſam nondum integre ſibi numeratam querebatur, ſimul, quin bellum per fecialem denunciaret, majore Tartarorum, & Turcarum, quam ſuorum, numero ſtipatus in Hungariam movit, cumque nemo induciarum tempore hoſtem metueret, Tirnaviam usque omnia, Palatini præſertim, bona impune populando pervenit. Poſonium, quod numeroſo milite Cæſareo teneretur, aggredi non auſus, in Moraviam promovit, & Schwar-

1623.

Statuum gravamin. 30. ejusd. Regis ad hæc reſolutio: Replica Statuum 25. Jun. Regis ad hanc Reſpons. Altera Statuum Repl. 4. Jul. Regis tertia reſolutio. Litt. Bethlenii ad Imperatric. Kolosvár. 13. Maji. Reſidentis Cæſarei Conſtantinopoli Relatio.

Schwarczenbergii exercitum pene intercepe- rat, nisi dux ferro sibi viam per medios ho- stes fecisset. 1623.

Agebat tunc Cæsar Ratisbonæ, & exau- ctorato Friderico Palatino dignitatem Electo- ris Bavariæ Duci contulit. Id Bethlenium, qui illius causa arma resumserat, attonitum, & mox mitiorem reddidit, præsertim, quod eodem fere tempore Tillius victis Brunsvi- censi, & Halberstadiensi insignem victoriam retulisse ferebatur, & Turcæ ipsi jam leges ei dictarent. Offensus barbarorum fastu cœpit iterum inconsultis illis in anni exitu cum Cæ- sare de induciis agere, opera Volfgangi *Ka- mathi*, & Stephani *Kaszai* usus. Cæsar, quam- quam non ignoraret, illum necessitate magis, quam quietis studio ad has petendas duci: clam enim apud Belgas agebat, ne pacem cum Hispano ineant, neve Tillium cum ex- ercitu Bohemiæ sinant appropinquare, ne ta- men regnum infestationi illius sponte videre- tur objicere, anno sequente iisdem pene, quibus Nicolsburgi, conditionibus inducias 1624. petenti indulsit, aliquas tamen, ut inconstan- tia illius figeretur, magis adstrictas in hunc modum reddidit: Bethlenius in litteris ad Prin cipes Christianos, & Sultanum, hujusque Pa- latinales titulo, & sigillo regio, regnique Insigniis abstinebit, nec se rebus Hungariæ non rogatus ingeret, nec unquam Domum Austriacam, & hujus ditiones armis impetet,

aut hostes, praesertim Turcas, & Tartaros in
1624. eam concitabit, quin, si quae noxia istorum consilia rescierit, haec bona fide Caesari aperiet, Comitatus, urbes, & arces interceptas cum omni belli apparatu, regios item proventus, metalli fodinas, & Tabularium Scepusiense inviolatum reddet.

Caesar vicissim titulos S. R. Imperii Principis, Opoliae, Ratiboriae Ducis hac conditione confirmat, ne se invito his successores illius utantur: quod ad VII. Comitatus in tractatione Nicolsburgensi concessos attinet, haec ratio inita est, ut hos quidem, donec vivet, excepta *Zenderö*, cum adsitis oppidis, & *Tricesima*, quorum proventus Caesari reddentur, possideat, supremi tamen Comites, & publici magistratus Caesari perinde, ut Principi, juramentum praestare, milites vero, & *Hajdones* in iisdem constituti, si bellum a Turcis ingruet, signa Caesaris sequi obstringantur, quibus in hunc finem triginta florenorum millia in stipendium praebebuntur. Ceterum si lites in his provinciis ortae fuerint, earum judicium secundum regni leges ad Palatinum, non ad Principem, pertinebit: nec fas ei erit, quidquam in immunitatibus illarum mutare, aut bona, vel Ecclesiasticas dignitates conferre, aut nuncios designare ad generales regni Conventus, militemque in iis conscribere: cavebit etiam, ne quid ex his provinciis quocunque praetextu Turcis cedat, aut Transsilvan

post

post mortem illius quidquam juris sibi in has arrogent. Si quid firmatis induciis controversum accideret, neutri parti liceat armis, sed amica compositione rem transigere. Ratiboriensis, & Opoliensis Ducatuum possessio, quod eos Cæsar ante transactionem filio suo contulisset, negata est, in quorum loco decimæ Episcopi, & Capituli Varadiensis trans Tibiscum substitutæ, Tokaium *inscriptionis*, & Munkácsinum *pignoris* titulo concessum, arx vero *Ecsedia* jure hæreditario, integrum tamen erit aliis jus suum, quod in hanc se habere existimant, secundum leges regni persequi. His VIII. Maji utrinque constabilitis Bethlenius aliquamdiu quievit, aut saltem quiescere videbatur, licet interea nihil non clam moverit, ut Cæsari hostes consciscceret. a) 1624.

VI. Mirum forte videri possit, Bethlenium his conditionibus, quibus arrogantia illius non modice constringebatur, tam promte sub- 1625.

---

a) Transactio Bethlenii cum Cæsare 4. Apr. Hujus amnestia factiosis facta. eod. Kevenhüller Tom. X. ad h. an. Londorp. P. II. c. 227. & P. III. c. 8. Consult. 3. Art. induciar. Cassov. 22. Apr. & Vien. 8. Maji. Instructio pro Steph. Keresztúri ad Bethlen. Vien. 3. Jul. Litt. Cæs. ad Pazman. Vien. eod. ad Bethlen. ibid 4. Jul. & hujus ad Cæsar. ex Fogaras. 17. Sept. Cæsaris ad Pazman. Vien. 30. Oct.

1625. ſubſcripſiſſe, verum id non ſerio animo illum feciſſe, eventus docuit: præterea nupturiebat. Jam anno ſuperiore, dum de induciis egit, Legatis ſuis mandaverat, ut privatim filiam Cæſaris natu maximam ſuo nomine ambirent, promitterentque, ſe, ſi voto ſuo potiretur, non ſolum liberum religionis exercitium Catholicis indulturum, Eccleſias, & monaſteria inſtauraturum, ſed, cum in animos virorum magna vis conjugum eſſe ſoleat, forte ſenſim etiam fieri poſſe, ut relictis Calvini placitis ipſe ad Catholicos tranſeat: ita futurum, ut arctius Cæſari conjunctus eidem contra factioſos in Hungaria totis viribus adeſſe, & apud Turcas, qui ſe ignaro nihil agant, ſecuram, & conſtantem pacem conciliare poſſit. Hæc ille pollicebatur; ſed cum religionis diſcrimen, & Hiſpaniæ Legatus obſtarent, Cæſar præterea ambigua reſponſa daret, animum ad deſpondendam ſibi Electoris Brandenburgici Sororem Catharinam adjecit, Cæſarem orans, vellet Oratoribus ſuis illuc profecturis ſocium, qui illos ſecuritatis cauſa comitetur, adjungere. Annuit non invitus, ut tempore, quod ille conciliandis nuptiis dabat, ad pacem cum Turcis ſtabiliendam, ſine moleſto interpellatore uti poſsit.

Pacis negotium Comiti Michaeli ab *Althan*, Nicolao de *Frangepán*, & Nicolao *Eſzterházio* commiſſum eſt, qui *Mehmetum* Baſſam Budenſem litteris propterea convenerant,

nec

nec is, quod Turcæ ſemel, iterumque a Polonis in Moldaviæ finibus recens clade affecti fuiſſent, rem ingratam Sultano futuram ratus, mandata ſibi, modumque, quo pax inſtituenda eſſet, Conſtantinopoli mitti petebat. Vix ejus rei indicium ad Bethlenium perlatum eſt, cum ad hanc interturbandam nihil non per Legatum ſuum egit. Adjutores habuit Angliæ, Hollandiæ, & Venetorum Oratores, qui variis rationibus ducti bellum præ pace ſuadebant, Anglus, ut Friderico via ad recuperandam Bohemiam ſterneretur, Hollandus, ut Hiſpanos a Belgio removeret, Venetus, ne Dalmatiæ periculum immineat. Nimis alieno tempore hæc ſuadebantur. Sultanus comperto, Perſas in Armenia rurſus victoria potitos, & Damaſcenum Baſſam jugum excuſsiſſe, nolens ſuo damno aliorum commodis ſervire, dimiſſo re infecta Bethlenii Legato, quod majora jactaret, quam præſtare poſſe credebatur, poteſtatem conciliandæ pacis Mehmeto fecit. Bethlenius videns conatum ſuum adhæſiſſe, ne nullam in pace conficienda partem habere videretur, ſuos etiam Legatos Volfgangum *Kamuthi*, Michaelem *Toldalagi*, & Thomam *Borſos* pacificationi adeſſe voluit. Huic conciliandæ norma præfixa eſt conventio *Sitvatorokienſis*, quæ anno 1606. coaluerat: hæc primum mutuo conſenſu ratihabita, tum utrinque conventum, ut captivi ſine lytro dimittantur; Nobilium, qui in pagis dedititiis

1625.

ha-

habitant, querelas arbitri æquo utrinque numero constituendi dirimant; de arcibus in
1625. Croatia contra pacta instauratis, & dubiis limitibus iidem, aut alii his subrogandi deliberabunt; de Vacio tempore induciarum occupato uterque Imperator per Legatos decernent; limitum diremtio, & instauratarum arcium controversia ad III. Idus Novembres dilata.

1626. Pacem, quam utrique parti necessitas imperabat, redintegratam mors Palatini excepit. Igitur ex lege ad VI. Idus Septembris Comitia rursus Sopronium indicta. Duo in his Cæsar præcipue ad consultandum proposuerat: primum, ut, quæ ad stabiliendam regni tranquillitatem maxime conducibiles viderentur, rationes depromant; alterum, ut filium Ferdinandum se vivo regem renuncient. Neutrum prius in deliberationem sumtum, quam Nuncii e provinciis trans Tibiscum, item ex Croatia adessent, & Palatinus eligeretur. Ex quatuor pro more candidatis Nicolaus *Eszterhdzi*, cujus præcipue industria pax Turcica nuper coaluerat, CXXV. suffragiorum numero reliquis superior, XXIV. Octobris delectus est. Hoc obice superato restabat alter de regni gravaminibus. Centum proposita, sed dexteritate Palatini ad XVII. capita reducta erant. His quoque pro temporis ratione consultum. Inde gradus ad designandum regem factus. Diuturna ob sententiarum dissen-

ſenſionem deliberatio fuit: Erant non pauci, & inter hos etiam ex ordine Eccleſiaſtico, 1626. qui, quod Cæſar vegetæ adhuc ætatis eſſet, ſpemque longioris vitæ præberet, rem ad futurum regni Conventum commode prorogari poſſe exiſtimabant, addebant & illud, hac deproperatione jus ſucceſsionis rurſum novis dubitationibus objici: contra Palatinus cum Pazmano Strigonienſi Archiepiſcopo, & præcipuis Magnatibus nitebantur; neminem, etſi cetoroqui bene valentem, vitæ ſecurum eſſe, tempus vel ex eo capite eſſe occupandum, ne, ſi Cæſare mortuo ſucceſſor non ſit renunciatus, res religionis majori, quam ante, diſcrimini exponatur; dubium enim non eſſe, quin ii, qui Mathiam olim gravibus conditionibus religionis cauſa adſtrinxerant, rege nondum declarato, idem tentaturi ſint. Hæc privatim agitata; cum in publica conſultatione fortuito eorum mentio fieret, qui religione diſſentiebant, ſe deſignari videntes, quaſi per illos ſtaret, quo minus Cæſaris deſiderio ſatis fiat, nihil quidem aperte obmovebant, ſed ne, ſi in morem abiret, ut vivo regi legitimo ſucceſſor detur, Nationis immunitati vis fieret, querebantur. Hinc diſceptatio utrinque inſtaurata, quæ cum longius traheretur, Legatus Hiſpaniæ veniam præfatus, mirum ſibi aiebat videri, in re tam æqua eos hærere, qui, dum vivo legitimo regi Bethlenium ſubrogarunt, nihil immunitati Nationis propter-

ea

ea dorogatum existimassent. Admonitione
1626. hac, quæ reprehensioni tacitæ proxima erat, animi compositi, filius Cæsaris rex declaratus, & VIII. Decembris solito ritu inauguratus est. *a*)

VII. Bethlenius, cui, quidquid in Comitiis agebatur, accurate perscriptum erat, fidem suam Cæsari per litteras denuo obstrinxit, & novo regi dignitatem gratulatus, ut nuptiis suis ad VIII. Kal. Martias interesse vellet, invitavit. Nec Cæsar humanitate se vinci passus, Stephanum *Sennyei*, Episcopum Vaciensem, regni Cancellarium, ut solennitati adesset, Cassoviam misit, socium se huic adjunxerat junioris regis Legatus, qui illius nomine donum nuptiale adamantibus dives sponsæ deferret. Nuptiis, quas variorum Principum nuncii cohonestarunt, regia pompa celebratis, Legati dimissi, & Bethlenius in Transsilvaniam profectus, simulata amicitia novum bel-

a) Acta Contract. matrimon. cum Electore Brandeb. Cassov. 25. Mart. 5. & 6. April. Kevenhüller l. c. T. X. Londorp. P. III. c. 25. & 29. Pacis Turc. condition. mense Majo. Act. Comitior. h. an. Litt. Bethlenii ad Cæsar. Alba Julia 17. Jun. & responsa per Cancellar. ibid. eod. Cæsaris ad Pazman. Vien. 8. & 13. Jul. Hujus respons. Tirnav. 19. ejusd. Bethlenii ad Cæs. 24. Aug.

bellum parabat. Invitatus, ut fœderi, quod Angliæ rex cum Hollandis priore anno contra Cæsarem pepigerat, socius accederet, litteras ad confœderatos per Poloniam misit. Commode factum, ut interceptæ ad regem perferrentur, qui, quid Bethlenius rursum agitet, Cæsari significavit. Cum machinatio ex ipsis litteris comperta esset, Cæsar hominem suis artibus deludendum ratus, clam omnia bello necessaria parari jubet. Nec multo post quasi condicto *Mansfeldius* cum *Vinariensi* per Silesiam, Bethlenius ex Transsilvania æquo fere Turcarum, ac suorum numero in Hungariam irrupere. *Mansfeldio*; qui montanas urbes insederat, Palatinus cum XX. millibus oppositus rem alterna fortuna gessit, meliore usus est Dux Fridlandiæ, qui Bethlenium in obsidione arcis Neogradiensis hærentem pene interceperat, nisi is petita pro colloquio noctis mora convasatis rebus in provinciam Barsiensem se subduxisset. Inde Stephanum *Kovácsoczium* Hagam Comitum, ineundi, quod ante annum ei oblatum erat, fœderis causa properare jussit, cujus studio his pactis brevi etiam coaluit: Bethlenius quadraginta millia constanter sub signis habeat; quibus fœderati in quemvis mensem XL. Imperialium millia stipendium præbebunt, cujus mediam partem Angli, quartam rex Daniæ, reliquum Hollandi rite numerabunt. Hæc XVIII. Septembris in perniciem 1626.

Cæ-

Cæsaris cusa, mox didita victoriæ, quam
1626. Tillius profligato ad *Lutram* amnem rege Daniæ obtinuerat, fama, suopte difflata sunt, & Bethlenius sibi relictus inducias, commune, dum illi res angustæ erant, perfugium a Cæsare petere coactus est.

Ad has impetrandas usus est familiaribus suis Francisco *Mikone*, & Sigismundo *Lonyaio*. Cæsar, ut hominis animum exploraret, conditionibus, in quas jam ante conventum erat, has quoque adjecit: ut positis armis, & exauctorato Mansfeldii milite in Transsilvaniam, vel eam, quæ ei ad dies vitæ concessa est, Hungariæ partem se recipiat, nec quidquam deinceps sive armis, sive consiliis, vel suggestione in Cæsarem, & Hungariam se moliturum fidem præstet: arces occupatas, & bona possessoribus restituat, illorum, qui partes ejus seu sponte, seu coacti fuissent sequuti, juramentum irritum declaret, & captivos dimittat. Hæc Posonii cœpta, sed Leucsoviæ ad finem perducta, Bethlenius editis litteris sancte se servaturum pollicitus est. a)

Pro-

a) Kevenhüller T. X. cit. Londorp. P. III. cit. C. 97. & 99. Litt. Cæsar. ad Pazman. Vien. 4. Jan. rursus 28. ad Bethlen 9. Sept. ex Ebersdorf, & 25. ejusd. ad Pazman. 2. Oct. ad Bethlen eod. Hujus ad Cæsar. ex Bars. 3. Nov. Pazmani

Promulgata dein univerſis amneſtia, tempus induciis ad Aprilem ſequentis anni præſtitutum, ut interea de conſtanti pace per *Commiſſarios* agi, & diplomata permutari poſſint. Utprimum Mansfeldius cum ſuis dimiſſus, & Bethlenius Caſſoviam reverſus eſt, tractationi initium datum. Arbiter delectus eſt Joannes *Pyber* Agrienſis Epiſcopus; collegæ additi Stephanus *Oſztroſics*, & Georgius *Hoffmann*. Cum ad rem ventum eſt, confeſtim apparuit, Principem diverticula captare, alias ex aliis, præſertim de jurisdictione ſeptem Comitatuum, difficultates obtendens, re autem ipſa auro Veneto delinitus *a)* nutabat, regemque Galliæ per Anglos, & Danos in Cæſarem concitare non deſtitit. *b)* Id cum lentius, quam optabat, ſuc- 1627.

mani ad Cæſar. Poſon. 19. ejusd. Cæſar. ad Pazman. Vien. 10. Dec. Induciæ firmatæ 28. ejusd. Leucsoviæ.

a) Litt. Pazmani ad Cæſ. Poſon. 10. Nov. *Illud quoque M. V. detegere volui, quod ex ablegatis Principis intellexi; Venetos nimirum bonam pecuniæ ſummam, & quidem tribus in locis diſpoſuiſſe, ut eas Princeps levaret, quod tamen hucusque non fecit.*

b) Cleſelii Cardin. ad Pazmanum Roma 15. Maji. 1627. *Hiſce diebus quædam & genere nobilitatis, & dignitatis gradu regi Chriſtianiſsimo* per-

succederet, Conſtantinopoli agebat, ut Sultanus Moldavia, & Valachia Transſilvaniæ adjunctis ſe *Daciæ* regem conſtitueret, *a*) ægre enim ferebat ſe regis Hungariæ titulo renunciare coactum, & ſpe obtinendæ Poloniæ dejectum fuiſſe. Verum & hic repulſam paſſus, tandem tractabilior videbatur. Jam Cæſar diploma, quo pax firmaretur, *Commiſſariis* miſerat, cum rurſus tergiverſari cœpit, re-

1627.

perſona de Gaborio mihi retulit, eum nimirum Galliæ regi diverſa non ita pridem communicaſſe, atque una cum Angliæ, & Daniæ regibus illum pariter ſolicitaſſe &c.

a) Pazman. ad Cæſar. Tirnav. 28. Dec. *Volui autem M. V. illud quoque ſignificare; ſecretiſſime mihi ſignificari, Bethlenium urgere in Porta, ut Moldaviam, & Valachiam ſibi concedant, atque ita rex Daciæ declaretur. Et quamvis ego exiſtimem, non ita delirare Turcam, ut contra artem gubernandi hominem audacem, inquietum, mutabilem, vafrum, usqueadeo velit creſcere, bonum tamen erit, attendere in Porta, ne quod præjudicium Coronæ Hung. generetur. Præterea quid ex litteris regis Sueciæ interceptis mihi communicatum ſit ex Polonia, M. V. demiſſe transmitto ſub littera C.*

regis Sueciæ felici contra Polonos armorum progressu in novam spem erectus. *a*) 1628.

Ita pacis negotium, cujus desiderium præ se ferre videbatur, in alterum annum protractum, & novis rursum difficultatibus implexum, peneque factum fuit, ut pax cum Turcis terminanda, &, quam ex conventione mitti utrinque oportuit, Legatio, interturbaretur. Huic obeundæ Cæsar Ludovicum a *Kuefffstein*, Sultanus vero *Recheb* Bassam destinarunt, quam cum Bethlenius admotis Constantinopoli variis machinis impedire non posset, id exculto splendidis muneribus *Murtezane* Budensi Bassa agebat; ut Legatum, ubi litteræ securi commeatus permutandæ utrinque

a) Regis Sueciæ verba sub lit. C. hæc erant ad Bethlen: *Utraque ripa Vistulæ potitus sum. Regem senio invalidum omnes detestantur, orientem solem, novumque lumen, uti speramus, adoraturi brevi. Celsitudinem tuam mancipium Turcicum vocant. In re mea prævenire malui, quam præveniri, laudantibus id ipsum factum Polonis politice. Non deero in turbanda pace Moscovitica, modo Celsitudo tua non desit in commovendis, conturbandisque Schytharum incursionibus, quas se commoturam brevi pollicita est. Tandem vel sic redactis in ordinem Polonis felicius Austriacam Domum aggrediemur.*

1628. fuerint, tam diu moretur, donec rebus confœderatorum melior fortuna aspiret. Valuere apud avarum hominem munera. Protractæ moræ causas etsi Legatus conjectura assequutus, Stephano *Balogh* suo Budæ internuncio, & Palatinus Esztérházi Martino *Szombathelyio* Legati collegæ, Comaromium significarint, questique propterea fuerint, non prius tamen, cum ob *Murtizanis* fastum, tum Bethlenii, quas Legatis struere ferebatur, insidias, a) consultum, tutumque erat, iter auspicari, quam prope anni finem mandata a Sultano adessent, ut rescissa omni mora Legatis liber, & securus commeatus detur. Hac spe cum se dejectum videret, alia, quæ inimicum ejus animum prodebant, moliri cœpit. Nam & militum supplementa conscribi, & copiosam annonam convehi jubebat, ut adeo Cæsar explorandi causa Joannem *Kérium* Gyarmathensem Præfectum specioso Legati nomine in Transsilvaniam mittere, operæ pretium
1629. putarit. Accepit illum familiariter, &, cum causam adventus subodoraretur, homini palpum

a) Nunciata D. Bosnyák Capitanei Filekien. 10. Aug. *Bethlen Varadini oberrat, in Tokai, & Cassoviam venire cogitat, &, quia plenus dolo, ut constat, est, suaderem Cæsareum Legatum usque ad medium Septembrem, vel etiam ulterius non esse Comaromio dimittendum,*

pum volens obtrudere, negabat ſe quidquam inimicum in Cæſarem moliri, idque juramento firmabat, *a*) etſi conſtaret illum miſſo in Moſcoviam Oratore Czarum in partem fœderis vocare, & arcem *Filekienſem*, ac *Szolnokinum* obſidere velle, Tartaros vero in finibus Valachiæ, ut in Hungariam irrumpant, ſignum exſpectare. Sed bono rei publicæ factum, quod induciæ inter Suecos, & Polonos interea conciliatæ, paullumque poſt ingraveſcens hydrops, ex qua etiam XV. Novembris obiit, pernicioſos hos Bethlenii conatus interruperint. *b*) Teſtamento condito 1629.

a) Relatio Joan. Kéri ad Palatin. ex Megyere Illenyi 27. Maj. 1629. *Præterire non poſſum, quin ridiculum factum Principis exponam, cum juraret — & diris omnibus ſe devoveret, ſi quid mali in ſuam M. cuderet, excidit illi ſubito, ut adderet jurando: ne ex hac infirmitate unquam convaleſceret, ſi vere non juraſſet, quaſi priores devotiones, & execrationes, res ludicræ fuiſſent. Ad hoc ultimum exhorruit quaſi, & dixit, en! quantum dixi.*

b) Kevenhüller P. II. ad an. 1628. & 29. Litt. Palatini ad Cæſar. ex acidulis. 29. Jul. 1628. Baron. Kueffſtein ad Baſſam Buden. Jaurino, 18. 19. 22. & 2. Aug. Ad eund. Comaromio 8. & 20. Sept. ex Banakin 26. Oct. ex Pontepiculo 21. Nov. Conſtantinop. 27. ejusd. Pala-

1629. Cæſari, & regi filio XL. aureorum millia, & duos gradarios equos legavit. Miſera profecto tot damnorum, quæ Hungariæ intulit, compenſatio. Ab adita provincia ſuis in amore, poſtea autem ita exoſus, ut Magnatum plerique Principatum Palatino Eſzterházio deferre cogitarint, niſi hic majori in regem fide, quam ambitione ductus fuiſſet. a)

1630. VIII. Defuncto ſucceſsit vidua, cui jam nuptiarum tempore Ordines provinciæ id jus aſſeruerant, & paulo ante Principis obitum confirmarunt, ſed ita jam a conjuge adſtrictum,

latini ſecreta. Inſtructio pro Szombathelyi ex Kis-Márton 17. Sept. Cæſar. ad Pazman. Vien. 20. Febr. 1629. Hujus ad Cæſ. Sellya. 2. Apr. Cæſ. ad Pazman. Vien. 2. Jun. Relatio Joan. Kéri &c. Litt. Joan Orlle ad Cæſ. ex Putnok. 14. Jul. Londorp. P. III. c. 173. Joan. Rovſelli oratio ad Czarum pro confœder. Bethlenii. Exſtat in Biblioth. Cæſ. Cod. Ms. Hiſt. prof. Num. 311.

a) Rel. Joan Kéri cit. *Certe ita ſunt hujus Principis omnes Ordines pertæſi, ut ego ſermone non facile explicaverim, & ita oderunt illum, ut vellent ſe ſe ab eo quantocius liberari. Hominum Transſilvanorum maximorum juxta & inferioris ordinum animi in Ill. Dominationem V. ſunt converſi, ita ut velint hunc Principatum ab Ill. D. veſtra ſuſcipi.*

ctum, ut præter honoris prærogativam nihil fere potestatis ei relictum, rerumque administratio penes Stephanum defuncti fratrem esset. Id, & quod Cæsar septem Comitatus Bethlenio concessos cum Cassovia receperit, & donationes in his provinciis ab illo factas in Comitiis irritasset, occasionem affectandi Principatus ei præbuit, quo quidem invidiosa viduæ apud Sultanum criminatione, quasi Ferdinandi partibus addicta esset, potitus, brevi conferente ad id præcipue operam ipsa vidua locum Georgio *Rákóczio* cedere debuit, etsi nullam beneficii sui aliam mercedem referret, quam quod relicta Transsilvania Tokaium secedere cogeretur. Frustra Gustavus Adolphus rex Sueciæ missa ad Rákóczium, & Constantinopolim legatione, patrocinium illius susceperat, nec Cæsari, cui bellum Suecicum imminebat, jus in provinciam persequendi ocium fuit, quod ne conniventia ipsa obsolesceret, Palatino negocium cum Rákóczio transigendi datum est. Conditiones, quas illi proponeret, has præscripsit: primum, conventiones cum Transsilvanis hactenus initas, & juramento firmatas, ipse etiam ratas habeat; ad pacandum Cæsarem Legatos cum muneribus, quæ rege digna, & clientelæ testimonium sint, mittat, Legati ejus nomine polliceantur, nihil illum unquam in Hungariam, aliasve hæreditarias ditiones moturum, nec Turcas, aut Tartaros, in illas, &

1630.

1631.

1631. aliorum Christianorum Principum regiones concitaturum: Hajdones Cæsari obnoxios ad defectionem non solicitabit, arci Onodiensi tot præsidiarios Hungaros a Cæsare imponi sinet, quot ex Transsilvanis in ea reperti fuerint, captivos nondum dimissos libertati restituet, Stephanum *Bethlen* juniorem, & Davidem *Zsolyomi*, aliosque, qui Transsilvania excesserant, impune patietur redire. Rákóczius, ut Principatum sibi confirmaret, ab his quidem se non alienum esse respondit, sed ex eventu belli Suecici pendens moras trahebat, utque res Cæsareis copiis prospere, aut secus ceciderat, ita in hanc, illamque partem nutabat, magis tamen in Turcarum pronus, quibus minutim omnia, quæ inter Cæsarem, & Suecum, aliosque huic confœderatos agebantur, indicare solebat. Non latebant hæc Cæsarem, sed quod minus ab illo, quam ejus decessore, cui simulandi artificio minime conferendus erat, periculi vereretur, dissimulabat, totus fœderi, quod Suecico, cui Gallus, & Bavarus recens accesserant, mature opponeret, cum Catholicis Principibus ineundo tanto magis intentus, quanto minus gratum nuncium de Tillio, post occupatum Magdeburgum ad Lipsiam profligato, & Saxonem in Bohemiam, Suecum autem in Franconiam bellum traduxisse accepit. a) In-

a) Artic. a Catharina Megyesini 1630. d. 17. Jul. constituti. Litt. Cæsar. ad Melchior. Alagi. Ra-

Infelix prælii exitus Bavarum, qui se a Gallo, & Sueco vanis pollicitationibus circumduci sero observarat, rursum Cæsari conjunxit, quod rebus, ut tum erant, non parum quidem commodabat, ad ingruentem tamen undique vim hostium non satis erat, nisi spes aliqua subsidii a Pontifice, & Catholicis Principibus affulgeret. Missus propterea est in urbem Pazmanus, Collegio Cardinalium jam adlectus, ut Urbanum VIII. in partem fœderis vocaret. Difficilem in principio, & multa obmoventem reperit, quod ignaro Hispaniæ rege nihil decernendum, & tam difficili, ac periculosa Europæ perturbatione potiorem Italiæ, quam Germaniæ curam sibi habendam existimaret; decimæ tamen sacerdotiorum in belli usum concessæ, quod alterna interim fortuna a Cæsareis in Germania gestum, non alio fere operæ pretio, quam quod rex Sueciæ commisso ad *Luzenam* prælio occubuerit. Regis interitus non sine omni emolumento fuit. Rákóczius, qui spem suam in illo hactenus reponebat, inducias, quas hucusque magis pro-

1632.

1633.

Ratisb. 19. Sept. Ejusd. ad Palatin. ibid. 25. ejusd. Tractatus induciar. inter Palatin. & Rákóczi. Cassov. 1631. d. 3. Apr. Litt. Catharinæ ad Vezirium. Alba Jul. 12. Aug. Gustavi Adolphi ad Rákóczi Francof. ad Oderam. 29. Apr. Cæsar. ad Pazman. Vien. 5. Aug.

nopolim sequente anno Orator destinatus periculum prævertisset, etsi Turcis suspicionem penitus eximere non potuerit, qui idcirco frequentiorem solito militiam ad limites tutandos deducebant. Id ubi Palatino nunciatum est, hostem proxime irruptionem tentaturum arbitratus, universam Nobilitatem ad signa convocandam censuit; obstabat Pazmanus cum magna Nobilium parte, quod id videretur in regis præjudicium vergere, cujus injussu Nobiles ad arma concire nefas esset. Cum utrique diversa ratione ducerentur, ille autoritatem suam vilipendi, hic contra juri regio derogari existimarent, facile, dum Cæsar Comitia ad pridie Calendas Decembres Sopronium indixit, communis in Patriam charitas, dissentientes rursus conjunxit. Comitia in sequentis anni mensem Februarium producta sunt, & conditis nonaginta quatuor legibus, quæ ut plurimum sanctionibus priorum annorum consentiunt, absoluta, Palatino in primis, & Pazmano accelerationem urgentibus, qui, ut seposito religionis negotio, præcipua morarum causa, de re publica solum, hujusque emolumentis tempori opportunis consultaretur, apud Ordines conjuncto studio agebant. Gratum id quoque Cæsari fuit, qui pacem *Pirnæ* cum Saxone cœptam ad finem perducere optabat.

1635.

1636. Hac XXX. Maji Pragæ feliciter confecta, novi motus Transsilvaniam rursus exagitabant.

bant. Bethlenius junior variis injuriis a Rá- koczio lacessitus ad Sultanum confugerat, opeque ab eo impetrata cum Turcica militia adversarium statione deturbaturus appropinquare ferebatur, qui, cum imparatus esset, cœpit cum Bethlenio, incertum, utrum simulate, an vere, de abdicando Principatu agere. Conditiones Principe parum dignæ erant. Primum, ut sibi salvo, & incolumi cum suis provincia excedere, tum ut thesaurum, quem corrasisset, tuto efferre liceat: ad illud ambigue responsum, hoc vero, quod communis provinciæ depeculator haberetur, penitus negatum est. Itaque cum rem ad arma venturam intelligeret, auxilium ab Ordinibus petiit, id cum negaretur, opem a rege Poloniæ, & Cæsare implorabat, qua ab hoc impetrata in Turcas jam in provinciam ingressos profectus, manus cum iis conseruit, damno utrinque æquato. Dubius prælii exitus Bethlenium permovit, ut, recepto patrimonio, amicitiam cum Principe quinquaginta sponsoribus redintegrare maluerit, quam fortunam rursus prælio experiri. Ita motus hi quievere. 1636.

Cæsar hac parte cura liberior, ut distractam religionis dissidio Germaniam ab obitu suo pacatam relinqueret, Ratisbonam Conventum in hunc finem indixerat. Actum pluribus operam eo conferentibus sedulo, ut, arbitro Pontifice pax cum Gallo Coloniæ, cum Sueco autem, interprete Dano, Hamburgi,

vel

vel Lubecæ coalesceret: sed cum hi conatus ob Sueci victorias parum e sententia succederent, illud non invitis Imperii Ordinibus impetratum, ut Ferdinandus filius pridie Idus Decembris rex Romanorum renunciatus fuerit. Redux e Comitiis non diu superstes fuit, Viennæ XV. Februarii defunctus, & Græcii,
1637. ut testamento statuerat, conditus. Princeps ob avitæ religionis studium per omnem fere vitam bello a Protestantibus impetitus, quorum etsi eædem pene religionis, cujus causa pugnabant, quæ armorum progressiones essent, nihil tamen in adversa etiam fortuna a constantia remisit, Deo semper innixus, cujus patrocinium etiam dato cœlitus indicio expertus erat. Scriptores Galli, qui in investigandis Cæsarum nævis plerumque operosi esse solent, quod post recuperatam Bohemiam, Palatinum Comitem exauctoraverit, illum affectati in Germaniam supremi dominii accusant, quam frivole autem, res gestæ satis ab se loquuntur. a)

FER-

a) Litt. Cæs. ad Palatin. Vien. 12. Aug. Protestatio Pazmani. Nitriæ. 17. Sept. Contraria Palatini protest. ibid. 12. Dec. Diar. Comitiorum Pauli de Zemere, & Petri Hamvai a 29. Nov. ad 31. Dec. Acta Comitior. an. 1634. Keveuhüller T. XII. ad ann. 1635. & 36. Londorp. P. IV. c. 89. §. 8. Theatr. Europ. P. III. ad a. 1637. Litt. Lamormaini ad Pazman. Ratisbon. 26. Aug. 1636. Ejusd. vita, & virtutes Ferdinandi II.

FERDINANDUS III.

Ab anno 1637. — 1657.

I. Accessit ad rem publicam fere jam nutantem, certe undique perturbatam. In principio secunda utcunque armorum fortuna usus, mox Suecis, & Duce Vinariensi nova supplementa cogentibus adversam expertus, animo tamen semper in utramque paratus, & sibi constans. Prima ei a patris obitu cura, ut fœdus, quod ille cum Saxone pepigerat, confirmaret, & regem Poloniæ, desponsa minore sorore Renata Cæcilia, belli socium sibi adsciseeret. Multum etiam spei in Hungariæ Ordinibus, quos pro coronanda Regina ad XI. Calendas Octobres Posonium concivetat, Pazmani consilio nixus reponebat, tametsi hoc, paullum post regis obitum defuncto, eventus non undequaque exspectationi responderit. Palatinus quidem in consortio plurium Magnatum, qui ad pristina sacra rediere, consultationes ad mentem regis, & publicas, quas tempus poscere videbatur, regni necessitates accommodare nitebatur; obstitere tamen multi ex equestri ordine, cui jam a Ludovici II. ætate tacita quædam simultas cum Magnatibus intercesserat, & religionum varietas. Templa sibi a fundorum dominis eripi, & Ministros suos proventibus privari, ac pro-

1637.

propterea fidem Viennensis pacificationis vio-
1637. lari querebantur, illud etiam, sive felici Sue-
corum in Germania progressione incitati, si-
ve subornati a Rákóczio postulabant, ut de-
inceps *Status Evangelici* nomine compellati,
separatum quasi a ceteris regni membrum, con-
stituerent; quod cum a more Majorum, qui in
formanda re publica civilis solum dispositio-
nis rationem habebant, magnopere abhorre-
ret, morosæ disceptationi occasionem præbu-
1738. it, quæ in mensem Martium anni sequentis
protracta est, magno regis, & Palatini tædio,
nulloque, si temporis ratio habeatur, alio fere
emolumento, quam quod pœnæ in eos statue-
rentur, qui prædarum cupiditate ducti, pro-
cursionibus suis in Turcarum ditiones hostem
irritare, novamque bello occasionem offerre
solebant, quo nihil importunius Cæsari acci-
1639. dere potuisset, cui novus alioquin interea ho-
stis imminebat. Ad reliquos enim Gallus, fa-
cta cum Hispano pace, majoribus, quam ante,
viribus accesserat, & Vinariensis, victis ali-
quot præliis anno priore Cæsareis, Alsatiam
cum Burgundiæ Comitatu occupavit, *Bannerus*
autem in Bohemia, & Silesia victor arma Sue-
cica impune circumferebat, ut adeo res pro-
pe exitium jam fuerit, nisi obitus Vinariensis
tempus respirandi Cæsareis fecisset, qui dedu-
1640. ctis a Rheno in Bohemiam copiis *Bannerum* ex
hac ejecissent, sui magis defendendi, quam alios
lacessendi solicitum, donec a Gallis ære, & mi-

lite

lite adjutus bellum instauraret, in quo tamen conatu mors illum occupavit, quæ spem pacis Westphalicæ jam eminus præbere videbatur, cum *Torstensonius* adductis ex Suecia 1641. supplementis locum illius cepit, & Silesiæ, ac Moraviæ infusus majore primum *Glogovia*, tum *Olomucio* etiam interceptis, deluso simu- 1642. latis per Lusatiam itineribus Cæsareo duce repente bellum in Holsatiam traduxit. *a)* 1643.

II. Quod cum in varias partes distrahi necesse esset, ac propterea metueret, ne Cæsarei universis viribus sibi incumbant, Rákóczium ad resumenda arma conditionibus, quibus maxime duci solebat, utilibus solicitabat. Hæsit primum, & induciarum fide retentus, &, quod conditiones solo *Torstensonio* sponsore proponerentur, mox tamen præstito a rege Galliæ, & Christina Suecorum regina vadimonio illectus, armorum socius illis accessit. Conditionum hæ leges erant: utraque aula cum confœderatis Principibus Rákóczium, si Cæsari bellum indixerit, cum conjuge, & prolibus, bonisque, quæ in Hungaria, & Transsil-

a) Dogiel Dipl. Pol. T. I. pag. 307. — 16. Acta Comitior. an. 1637. Theatr. Europæ P. III. ad hos an. Relatio Rákóczii ad fulgidam Portam. 1640. mense Jul. Litt. Cæs. ad Sultan. Ibrahimum. 6. Dec. Ejusd. ad Vezirium Mustapham. Ratisb. 1641.

ſilvania poſsidet, contra omnem hoſtem tue-
1643. buntur, idemque ſe præſtituros iis ſpondent,
qui in Hungaria, & Transſilvania illius partes amplexi fuerint, quin ſibi propterea aliquid juris in Hungariam, vel Transſilvaniam arrogare aut uſurpare velint: curabunt etiam, ut Templa per Catholicos erepta reſtituantur. Quod ad nervum belli attinet, primo anno ducenta, reliquis vero centum, & quinquaginta *Thalerorum*, ſive nummorum uncialium millia numerabunt, addent quoque ex ſuis tria, & pro neceſsitate plura etiam Peditum millia; pollicentur præterea ſe per Legatos Conſtantinopoli acturos, ut amicitia, quam Transſilvani a Solymani tempore cum Turcis contraxerant, firma, ſtabilisque maneat, denique nullas ſe cum Domo Auſtriaca inducias, pacemve inconſultis Principe, & Transſilvaniæ Ordinibus inituros. Has Rákóczius, quod familiæ ſuæ multum commodarent, libens amplexus eſt. In bellum igitur jam prono hoc reſtabat, ut id bona Sultani venia gerere liceret. Scripſit propterea ad ſuum internuncium, ut Vezirii mentem exploraret: reſponſa dubia dabantur, quod Legatus Cæſaris Comes *Cserninius*, Ibrahimum Sultanum ſalutaturus, proxime affuturus cum muneribus eſſet, licet fœdus cum Suecis & Gallis initum ſibi probari oſtenderet. Id illi ſatis erat, ut Joannem *Kérium* a Cæſare miſſum meliora ſuadentem, re infecta, remitteret.

Bel.

Bellum itaque vulgatis ſequente anno XVII. Februarii per Hungariam litteris Cæſari denunciavit. Cauſæ in Eccleſiaſticos conjiciebantur: hos eſſe, qui rem publicam pravis conſiliis perturbent, qui in conſcribendis teſtamentis id unice agant, ut hæredes portione ſua privent, ſibique divitias accumulent, horum opera regnum *Jeſuitis* inundari, quorum conatus in eo præprimis verſetur, ut libertatem regni cum nova religione evertant; hujus aſſeclis multa quidem a Cæſare promiſſa eſſe, re autem nihil præſtitum, non reddita eſſe templa, miniſtros eſſe loco motos, aut cum dedecore ejectos, &, ut iniquo bello fucum politicum allineret, Eccleſiaſticos communi ſtudio id moliri, ut Hungariam Domui Auſtriacæ hæreditariam aſſerant, & Palatini dignitas depreſſa ad inane nomen redierit. Se quidem, adjecit, Cæſari optime cupere, nec ſe ad corripienda arma privati commodi ſtudio, aut vindictæ æſtu, nec religionis Catholicæ odio permotum eſſe, ſed, ut imminuta Nobilium privilegia, & regni immunitates in priſtinum ſtatum reponat. Hortari igitur omnes, ut in communi cauſa vires ſecum jungant, qui non fecerint, in eos igne, ferroque ſe animadverſurum minatus eſt. 1644.

Seditioſo huic ſcripto, nec enim aliud erat, Cæſar confeſtim aliud XXIII. Februarii, & rurſum XVI. Martii oppoſuit, quibus has offucias ex interceptis ejusdem ad confœde-

ratos litteris convulsit, monuitque omnes, ne
1644. se, memores juratæ fidei in transversum agi sinant. Rákóczius consilia sua ante tempus anteverti videns, a Turcis auxilium flagitabat, cujus impetrandi causa IV. Aprilis Michaelem *Maurerum* suum Constantinopoli internuncium admonuit, Vezirio indicaret, tributum Transsilvanicum pendi solitum a se mitti, ageretque, ut sibi bellum in Cæsarem moturo, quemadmodum olim Bocskaio, & Bethlenio ejus decessores fecissent, subsidium si non eodem numero, saltem Tartari mittantur: Petebat quoque ad septem Comitatus sex alios adjici, cum ut stipendia, necessaria militi præbere, tum viginti millibus *Thalerorum* augere tributum posset. Vezirius, qui hominis quidem opera in commodum Turcarum uti volebat, sed ne, si tam opulenta accessione potentior Ferdinandi partes aliquando amplecteretur, formidolosus fieret, Tartaros, ut Poloniam, ne Cæsari succurrat, infestarent, indulsit, alterum negavit. Urebat Rákóczium inexspectata repulsa, præsertim quod fœderati illum promissi admonerent. Itaque cum XX. millibus, alii LX. fuisse perhibent, bellum auspicatus Cassoviam proditione occupavit, inde ad fines Moraviæ, ut se *Torstensonio* conjungeret, magnis itineribus properantem Palatinus cum *Puchaimio* Cæsareorum

rum

rum duce detinuit, & aliquot velitationibus fractum ad Tibiscum rejecit. a) 1644.

Hic cum frustra suppetias a Moldavis, & Valachis exspectat, & Tartaros a *Coniepolszkio* insigni clade affectos, seque Sultani jussu in provinciam revocandum intellexit, maluit sponte Palatino per litteras admonito, quam coactus de induciis agere. Cæsare annuente Tirnavia delecta, arbitri Georgius *Lippai* Strigoniensis Archiepiscopus cum Palatino constituti, his collegæ additi sunt, *Tieffenbachius*, & *Questenbergius*: a Rákóczio Sigismundus *Lonyai*, Bernardus *Nydri*, Georgius *Csernel*, Nicolaus *Soproni*,

a) Litt. Torstensonii ad Rákóczi ex castr. 8. Febr 1643. Cæsar. ad Vezirium Vien. 18. ejusd. Rákóczii ad Torstenson 26. Apr. & 4. Jul. rursus 4. Maji. Manifestum ejusd. 17. Febr. & 29. Mart. 1644. Cæsar. Manifestum oppos. 23. Febr. & 16. Mart. Litt. Torstenson. ad Rákóczi ex Dobicsan. 18. Jul. Agentis reg. Gall. ad eund. Constantinop. 4. Apr. Rákóczii ad Mich. Maurer 4. Apr. Ejusd. Postulata a Vezirio ex Tokai 9. Oct. Litt. Palatini ad Commissar. Rákóczii. Tirnav. 30. Oct. rursus ad eosd. ibid. 31. ejusd. Cæsaris salvus conductus pro Commissar. Rákóczii. Vien. 29. Aug. Postulata Commissar. Cæsaris. Replica Rákóczianor. Illor. responsa, horum altera Replica. Theatr. Europ. Tom. V. pag. 303. seqq.

& Andreas *Zakány* aderant. Poſtulata utrinque diſparata fuere: Cæſarei, quæ ad conſananda regni vulnera, hi contra, quæ ad religionem pertinebant, in medium propoſuere. Cum utrique diverſum ſibi finem præſtituerint, negotiatio in alterum annum tenuit, &
1645. cum Rákóczius Bartphæ tempus conſultatione traheret, nec a poſtulatis quidquam vellet remittere, etiam interrupta, paullumque poſt, quam *Torſtenſonius* in Auſtriam, & *Puchaimius*, cum Cæſareis in Tranſsilvaniam irrupiſſent, reſumta fuit. Cæſar, qui interea Saxonem de induciis, Danum autem de pace cum Suecis ineunda tractare compererat, ne ſibi, ſocio armorum deſtituto, belli onus incumberet, velletque effuſioni ſanguinis in Hungaria tot jam annis odio religionis diſcerpta parcere, poſtulatis Rákóczii neceſsitate adactus tandem aſſenſus eſt.

Hæc fere huc redeunt: amneſtia univerſis promulgetur; religionis exercitium cum uſu campanarum, templorum, & ſepulturæ cuivis liberum ſit, vetitumque, ne colonis propterea domini fundorum quidquam moleſtiæ creent: miniſtris e ſtatione ſua deturbatis liber reditus pateat, neque fas ſit, invitos loco movere: ſecuritatis cauſa additum, ut in transgreſſores futuris Comitiis, quæ ultra tres menſes differri non debebunt, eædem pœnæ ſtatuantur, quas Wladislaus anno M. D. VII. in turbatores rei publicæ decreverat: quæſtio de

tem-

templis, quæ anno M. DC. XXXVIII. & serius ademta erant, de externo item milite, aliisque ad futurum Conventum dilata, in quo, quæ æquitati consentanea videbuntur, communi Ordinum consensu decernentur. Hæc se rex concessurum receperat, si Rákóczius vicissim post editum diploma copias in Transsilvaniam, vel in eas, quæ ad Tibiscum sunt, provincias deduxerit, fidemque dederit, se nullum militiæ subsidium Suecis, aliisque confœderatis deinceps missurum. 1645.

Poterat his animo Rákóczii, qui religionis causa se bellum movere præferebat, utcunque satis factum videri, nisi is specioso illo titulo studium locupletandæ familiæ occuluisset. Clam enim cum Cæsare egit, ut, præter VII. Comitatus durante vita concessos, arces *Tokai*, *Regécz*, *Szathmár*, *Ecsed*, & *Munkács* cum adnexis fundis sibi conferrentur. Fecit & hoc Cæsar publice tranquillitatis causa, jure ad sexum duntaxat masculinum restricto, ad femineum non aliter, quam si pro arce Tokaiensi CCC. pro Regéczensi CCLX. florenorum millia intra anni spatium Fisco regio numeraret: *Ecsedinum*, quoniam plures competitores erant, cum consueta solum formula: *Salvo jure alieno* concessum: præterea, ut principem sibi magis conciliaret, Szatmariensem, & Zabolcsensem provincias ejus filiis, quoad vixerint, horum vero posteris hac conditione arcem, & oppidum Szathmár,

1645. már, ſi Principes Transſilvaniæ fuerint, indulſit; poſtremum quidem ægre, ne de induſtria Transſilvanis occaſionem belli ex ea facilius in Hungariam transferendi dediſſe videretur. His conditionibus utrinque VIII. Auguſti firmatis, Rákóczius deductis in Transſilvaniam copiis, bonam militiæ ſuæ partem cum aliquot tormentis bellicis Cæſari adverſus Suecos ceſsit, & tabulæ conventionis primum XVI. Decembris ſubſcriptæ, & permutatæ ſunt. Hæc illa, quæ nomine *Lincenſis* venit, pax eſt, novis, crebrisque querelis, & motibus occaſionem aliquando datura. *a*)

1646. III. Interea, dum Monaſterii, & Osnabrugæ de pace in Imperio concilianda ex eventu armorum deliberatur, Cæſar pridie Nonas Martii Comitia Poſonium ad Calendas Maji in-

a) Conſultatio Bartphenſis 16. Febr. 1645. Litt. Comitatuum XIV. ad Cæſar. Bartpha 22. ejusd. Rákóczii litt. credentional. pro Nunciis in Polon. 11. ejusd. Andr. Zakány ad Palatin. Tirnav. 29. Mart. Poſtulata Commiſſar. Cæſar. & Rákóczianor. reſponſa 23. Jan. — 28. Mart. Inſtructio Martino Fejérpataki data ad regem, & Ordines Polon. 22. Febr. Tractatio prævia cum Commiſſar. Rákóczi Vien. 28. Aug. Hujus confirmatio Lincii. 16. Dec. exſtat Decreto an. 1647. inſerta. Theatr. Europ. Tom. V. pag. 786. 88. 815. 18. & 53.

indixerat, quæ tamen ob conjugis mortem, & filii Ferdinandi peractam Pragæ coronationem ad XXIV. Auguſti differenda erant. Pro numero confluentium, & religionum varietate ingens fuit exſpectatio, & ſtudiorum diſcrimen, nec enim clam erat, Cæſaris vota eo ſpectare, ut filius exemplo Bohemorum rex Hungariæ renuncietur. Inſtabat quoque, Eſzterházio pridie Idus Septembris anno priore e vivis erepto, Palatini electio. Hunc Catholici ex ſuis, Lutherani contra ex ſuorum numero cupiebant: his Rákóczius favebat, qui Nunciis ex ſeptem Comitatibus ad Conventum ituris mandarat, illuc in primis ſtudia ſua conferrent, ut hæc dignitas aſſeclæ confeſsionis Auguſtanæ obtingat, ſin id commode fieri non poſſet, & ſuffragia viderent in Catholicum inclinare, darent operam, ut, qui Germanis minime addictus eſſet, eligatur, *Locumtenentis* autem ne mentionem quidem fieri paterentur. Ac hujus quidem, quod Cæſar duos ex utraque religione deligendos proponeret, nullum periculum erat. Candidatos ſuffragiorum numero vicit Joannes *Draskovics*, Illyrico præfectus, vir avitæ fidei, & militia clarus. Adverſarii quamquam hac ſpe exciderint, nihil tamen a commodis religioni ſuæ procurandis remiſere; eaque præcipue urgebant, quæ in nuperna cum Rákóczio pacificatione ad Conventum regni dilata erant. 1646.

Cum

Cum utrinque acriter de his certaretur,
1647. & Catholici nihil ſibi eorum, quæ olim ſua erant, decerpi ſinerent, adverſarii vero aliena ſibi cuperent tribui, diſceptatio in alterum annum producta, eoque ſæpe fervore agitata eſt, ut Palatinus manu enſis capulo admota, æſtum vix temperare potuerit, Cæſar, cui res Imperii præterea ingentes curas confecerant, velletque odioſo litigio finem imponere, nonaginta templa, in his enim omnis altercatio vertebatur, deſignatis locis juſsit illis reſtitui, & liberam in iis exercendæ religionis copiam fecit. Gravior erat de pœna in violatores ſtatuenda, acriorque litigatio. Nec enim æquum Catholicis videbatur, ut amiſsione bonorum, & exilio mulctentur, cum nec ii, qui a Bocskaii tempore arma in legitimum regem corripuerant, hac pœna affecti fuiſſent: accedere & illud, quod ea ratione dominorum terreſtrium juri patronatus, & bonorum proprietati, quæ ſecundum ſe nihil commune cum religione habeat, immedicabile vulnus inferatur. His momentis ſedatis tantiſper animis, pœna in hunc modum mitigata eſt: ut, qui primum ſtatuta de libero religionis exercitio violarint, DC. florenos ad reparanda confiniorum præſidia dependant; qui rurſum, eandem nihilominus, quæ in rei publicæ turbatores decreta eſt, pœnam incurrant. Impetrato hoc favore primi omnium fuere adverſarii, qui filium Cæſaris regem

Hun-

Hungariæ acclamarunt, ritumque inaugurationis ita deproperari volebant, ut tertio post 1647.
die Conventui, & litigio finis impositus fuerit.

Præcipuus Comitiorum fructus ad Rákóczium pertinuit, cui Cæsar arcem Tokaiensem cum adnexo agro iisdem, in quas nuper privatim cum eo convenerat, conditionibus, edito diplomate confirmavit. Huc bellici ejus conatus velo religionis obtecti, huc pax nuper confecta spectabant; quam quod inconsultis Gallis, & Suecis iniisset, veritus, ne ob non servatam iis fidem, nomini suo infamiæ notam inureret, Michaelem *Mikess* ad Suecos misit, qui factum excusaret, & necessitati tri- 1648.
bueret, qui per Poloniam ineunte anno profectus, sub idem fere tempus Varsaviam venit, quo rex Uladislaus obierat. Inde, cum ei senatores satis aperte indicassent, Rákóczium, si nomen inter candidatos profiteretur, se electuros, in Transsilvaniam reversus Principi ad prensandam Poloniam animos adjecit. Remissus cum muneribus, & ingenti pecuniarum vi, jam multorum suffragia coemerat, spemque Principi fecerat regni obtinendi, cum is præter opinionem omnium paullo ante exstinctus est, quam pax Westphalica coaluisset, qua triginta annis intercepta religionis dissidio Europæ tranquillitas, magno Imperii, nec nullo Hungariæ damno tandem restituta fuit. Germania Gallo Alsatiam cum Sundgavia, & Comitatu Burgundiæ, Sueco autem ma-

1649. maritimam Pomeraniam cedere, & Hungaria eodem religionis caufa altercandi ftudio correpta, ac a Principibus Transfilvaniæ identidem fubornata, præter animorum non facile mitigandam diffenfionem ingentia damna, ex quibus alii compendium lucri fecerant, perpeti coacta fuit, ut adeo non tam religionis ftudium, quam augendarum ditionum, fortunarumque cupiditas, tam diuturno, & fanguinario bello caufam utrobique præbuiffe videri pofsit. *a*)

IV. Pace Imperio reddita nondum Cæfari a curis libero effe licuit. Pontifex tot Epifcopatus Germaniæ profanatos molefte ferebat, rex Hifpaniæ jus fuum in Comitatum Burgundiæ violari querebatur, alii alias injurias obtendebant, Transfilvani veterum pacto-

a) Litt. regales pro Comitiis. Vien. 6. Maji. Prorogatio eorund. ibid. 19. ejusd. 1646. Litt. Rákóczii ad Chriftoph. Kevenhüller. Varadin. 10. Maji. Ejusd. ad Vezirium. 6. ejusd. Ejusd. Inftructio pro Commiffar. fuis. Varadin. 16. ejusd. Acta Comitior. an. 1646. & 47. Tab. pacificat. Pofonii 18. Jan. & Eperiefini eod. firmatæ 1648. Earum ratificatio a Transfilvanis. Albæ Jul. 20. Mart. Comitatuum VII. ad Tibifcum gravamina contra Rákóczium ad Cæfar. ex Sárospatak. 28. Aug. Acta pac. Weftphal.

ctorum, quibus ſe volentes Hungariæ regibus obſtrinxerant, obliti penitus, in clientelam Turcarum conceſſere, dum Georgium Rákóczium defuncti filium, patri his conditionibus ſubrogarunt: *ut a ſplendida Porta nullo unquam tempore deficiat:* a) & ne contra Romanorum Imperatorem, aliosque Chriſtianos Principes, horumque regna, & provincias, niſi juſta cauſa ſit, nec inconſultis Ordinibus arma ſumere audeat. Inſtabat quoque ad diem XXV. Januarii præſtitutum Comitiis tempus, quæ, ut ex apparatu conjectura erat, vix ſine motu erant futura. Nam ſub ipſum, quo Ordines Poſonium convenerant, initium non obſcura diffidentiæ indicia ſe prodebant. Diverſarum religionum ſectatores, etſi doctrina fidei inter ſe diſcreparent, commune tamen contra Catholicos ſtudium conjunxit; Croatæ nondum medelam ſuis gravaminibus allatam querebantur, non paucæ etiam urbes regiæ, libero religionis exercitio interceſſerant; res agebatur privatis coitionibus, ex quibus utrinque ſuſpiciones ortæ, &, ne alterutra pars ſuccumberet, etiam metus, & contrariæ molitiones; nuncii Rákócziani nihil etiam pacati afferebant. Cæſar non ignarus eorum, quæ agebantur, & ſperans, æſtum ipſa temporis mora deſiturum, ſtudioſe adventum ſuum dif- 1649.

fe-

a) Inter conditiones num. 3. & 4.

ferebat, rogatus tandem adfuit, & Comitiis
1649. initium fecit. Primum Palatinus defuncto Draskovicsio fubftituendus erat; ab hoc, utra ex parte eligendus effet, difceptationum exitus fere pendebat. Electus eft e Catholicis Paulus *Pálfi.* Tanto magis ftudia utrinque pro religione exarferant, & tempus quatuor pene menfium in iis infumtum, duo poftremi rebus neceffariis, & ad utilitatem regni pertinentibus dati, magno Cæfaris faftidio, qui finem Comitiorum vehementer optabat, cum ut pacem Imperii, aliquot enim difficultates interea fubortæ erant, penitus conftabiliret,
1650. tum, ut poft inftauratam cum Turcis pacem, cum eorum Legato, qui jam Viennam attigerat, fi quæ nova Conftantinopoli mandata attuliffet, opportunum tranfigendi, ejusque remittendi tempus haberet. Adventus illius caufa erat, ut procurfiones Turcarum, quibus fæpe noftri oftentandæ alieno tempore militaris virtutis defiderio incitati occafionem præ-
1651. buerant, allatis muneribus excufaret. Remiffus anni fequentis initio cum majoris, quam tulerat, pretii donis, inducias meliore, quam hactenus, fide fervatum iri promiferat, etfi non multo poft Croatiam, & Stiriæ limites hoftiliter incurfarent, & ad Tokaium, quo frequens Nobilitas fub vindemiæ tempus concurrere folet, magnam hominum copiam abigerent.

Fruftra, qui Cæfaris res Conftantinopoli
1652. curabat, Sultano propterea queftus eft, fru-
ftra

ſtra etiam ab hoc mandata ad Præfectos Budenſem, aliosque miſſa, ut ab hoſtilitate abſtinerent, major erat prædarum cupiditas, quam ut iis obſequerentur. Rurſus enim, cum primum hyems remiſit, Strigonio, aliisque ex locis coorti *Ujvárino* imminebant, mature tamen ruſticorum indicio proditi, ab Adamo Forgácsio loci Præfecto magna clade affecti, prædaque exuti ſunt. Commodo id Cæſaris factum, qui filium regem Romanorum in Comitiis Ratisbonenſibus renunciari optabat, quæ cum ob impedimenta ad alterum annum differri neceſſe fuerit, privatim interea cum Electoribus ea de re Auguſtæ agebat, qui miro conſenſu XXI. Maji Cæſaris deſiderio obſequuti ſunt; unus repugnabat Brandenburgicus elector, veritus, ne minime nunc quidem neceſſaria Electio diſsidiis inter patrem, & filium, ipſi etiam Imperio nocituris, aliquando occaſionem daret. Sed cum privati magis, quam communis boni ratione plerisque duci videretur, inauguratio VIII. Junii præter morem Ratisbonæ peracta eſt. a) 1653.

V.

a) Acta Comitior. an. 1649. Litt. Croatiæ Ordin. ad Status Hung. Varasdino. 16. Jan. Litt. regal. pro Conventu. Vien. 1. Febr. Comitatuum XIV. ad Cæſar. Poſon. 26. ejusd. & 11. Mart. Catholicor. gravamina contra Helv. Confeſſ. Horum Replic. Catholicor. contra Evange-

V. Vix dum pax Germaniæ restituta fuit,
1654. cum rex Sueciæ Carolus Gustavus hujus nominis X. cui Christina solium cesserat, novum belli semen ruptis ante tempus induciis in Bremensi Ducatu cœpit jacere, Cæsare, ne Germania rursus incendio flagraret, vehementer solicito. Accessit ex Ferdinandi filii nuper creati Romanorum, & Hungariæ regis obitu dolor domesticus, & nova cura. Supererat filius alter Leopoldus, sacerdotio jam destinatus. Huic, quo facilius ei viam ad Imperium pararet, Australes VI. Januarii fidelitatis juramentum præstare, & Ordines Hun-
1655. gariæ decimo octavo post die Posonii adesse jussit, ut eundem Hungariæ, quæ a Ferdinandi I. tempore ad consequendam Imperii dignitatem fere gradus fuit, regem renunciari curaret. Suberat convocandis regni Ordinibus altera quoque causa, novi Palatini electio. Cæsar quidem abrogata hac dignitate malebat ei vicarium, qui suum per absentiam locum

gelic. 14. Apr. Istor. resp. 19. & 27. ejusd. Nuncior. Rákóczii querel. Resol. Cæsar. ad gravam. Ordin. 22. Maji. Hor. Replic. 25. ejusd. Altera resolut. Cæs. 26. ejusd. Statuum Triplic. 27. ejusd. Tertia resolut. Cæs. 28. ejusd. Querelæ Statuum contra Civit. regias. Pacis condition. in campo *Szöny* prior. annor. firmatæ 1. Jul. Theatr. Europ. ad an. 1650 — 53.

eum teneret, substitui, sed cum videret Ordinibus invisum hoc nomen esse, nec, ut tum erant, tempora id paterentur, quatuor candidatos pro more eis proposuit, ex quibus Franciscus *Wesselényi* plurium suffragiis delectus est, tum consultationibus initium datum, quas cum religionis negotium rursus in plures menses protraheret, Palatinus vir militari ingenio ægre ferens tricis toties recoctis pene negligi curam rei publicæ, auctoritate sua effecit, ut religionis res in eodem, qui prioribus annis præfinitus erat, statu maneret, & a novis postulatis desisteretur. Quo constituto Leopoldus communibus votis rex ea conditione declaratus est, ne vivo patre se rebus administrandis ingereret, quo minus autem confestim inaugurararetur, libellus, incertum, a quo, in domo Palatini depositus, moram injecit. 1655.

Auctor illius Ordinibus persuasum volebat, Hungariam, nisi Domum Austriacam regni hæreditariam declararent, nunquam ad pristinum florem reduci posse; quæ post tot a Turcis non solum coronæ adnexas, sed in ipsa etiam Hungaria decerptas provincias, post avulsam quoque Transsilvaniam sibi relicta, & jam inde a Mohácsiana clade dissensionibus perpetuo scissa, nec vires resumere, nec ab externis hostibus se tueri sola posset. Nihil magis invidiosum, jurique electionis, pro

quo toties decertatum erat, adverſum magis
1656. ſpargi tum quidem potuit, ſuppreſſa tamen mature, aut diſsimulata res eſt, & Cæſar cum rege VI. Junii coronato Viennam regreſſus, & exacta paucorum dierum mora, Pragam profectus, filium IV. Septembris communi omnium voluntate regem Bohemiæ præſtituit.

Non ita proni fuere Imperii Ordines, quorum animi a belli exitu, quod Suecus in Poloniam traduxerat, pendere videbantur. Cæſar, quod Rákóczius quoque ſocietatem armorum cum Sueco iniiſſet, veritus, ne novo rurſum incendio Hungaria etiam corriperetur, ſubſidiarias copias regi Poloniæ miſit, ut harum ope hoſtis impetus eousque ratardetur, donec commune adverſus Suecos fœdus cum Friderico Daniæ rege concluderet, cujus hæ præcipuæ conditiones erant: Danus Sueco
1657. bellum denunciet; huic gerendo Cæſar decem Peditum, & ſex Equitum millia ſubminiſtrabit: eodem fœdere Ordines Germaniæ, Moſci, & Tartari comprehendantur, Electori Brandenburgico, ſi volet, fas ſit, huic accedere. Simile fœdus cum Polonis agitari cœptum. Bello per Danum declarato, Tartari cum centum millibus primi Poloniam ingreſsi Rákóczium, qui parum provide in regni mediterranea ſe inſuderat, ita conſtrinxere, ut nec Sueco ſe jungere potuerit, & receptu excluſus pugnam iniquo loco inire cogeretur, in qua duce Joanne *Kemínyio* cum plu-

pluribus capto præcipuum militiæ robur amisit: Cæsaris copias ex pacto promissas, quo minus tempori adessent, ejusdem mors, cum annum ætatis ageret nonum supra quadragesimum, XXIII. Martii consequuta impedivit. a) 1657.

a) Acta Comitior. an. 1656. Theatr. Europ. ad an. 1654. — 56. Londorp. Tom. VII. pag. 1152. Histoire des Revolutions de Hongrie. T. I. l. 3. Hist. des troubles de Hongrie l. 1. ad an. 1656. Angelini Bontempi hist. de la rebellione d' Ungheria. l. 1. Franc. Kazi hist. Hung. l. 7.

LEOPOLDUS I.

Ab anno 1657.— 1705.

1657. I. Ab obitu Cæsaris prima illi cura erat, ut fœdus, quod pater cum Joanne Casimiro cœperat, perficeret. Facile utrinque his legibus conventum: Rex Poloniæ præter quingenta Rhenensium florenorum millia, quæ confestim numerabuntur, trecenta quotannis, dum bellum durabit, pendet; rex Hungariæ vicissim justo numero exercitum, ut tempus patietur, subsidio mittet, cui annonam, & pabulationem Poloni ex suo præbebunt: additum & illud, ut reliquis etiam Principibus pro communi securitate integrum sit, in hanc armorum societatem venire. Conflato fœdere Leopoldus sine mora XVI. veteranorum millia delegit, eisque *Hatzfeldium* præfecit, cujus industria paullum post Cracovia, & Poshania recuperatæ, & Rákóczius pacem duris conditionibus inire coactus est. Nam præter millionem Polonico exercitui, & sesqui centum aureorum millia Chano Tartarorum numeranda, id quoque imperatum, ut fœderi Suecico renunciet, militem regno deducat, certumque hujus numerum,

rum, quousque regi visum fuerit, in defen-
sionem Poloniæ præstet, supellectilem sa- 1657.
cram Ecclesiis surreptam restituat, &, quod
ad reprimendum ejus fastum maxime facie-
bat, ut, missa ad utrumque regem solemni
Legatione, factorum veniam precario flagi-
tet. His conditionibus, in castris ad fluvium
Borek juramento firmatis, dimissus, magna
sui nominis diminutione in Transsilvaniam
inglorius rediit.

A reditu suo, ut sparsam de illata sibi
clade famam extenuaret, Conventum provin-
cialibus *Szamosújvárinum* indixit, opinione
sua vehementer deceptus, quod ad pleros-
que pars cladis pertinuerit, & captivos pe-
terent sumtu Principis redimi, quod cum
ob exhaustum ærarium præstare non posset,
res jam prope tumultum erat, cum non-
dum e Conventu dissolutis nuncius Constan-
tinopoli mandata attulit, ut Rákóczio, quod
injussu Sultani bellum Polonis movisset, exau-
ctorato alium sibi Principem eligerent. Huc
redactus maluit videri sponte loco cedere,
quam indecore cogi. Itaque vulgato ipsis
Calendis Novembris scripto, quo se Princi-
patui renunciare declaraverat, electus est Fran-
ciscus *Rhédei*, quo rursus post duos menses
repudiato pristinam stationem sequente anno
XXIV. Januarii obtinuit, an muneribus sibi
provinciales rursum devinxerit, an hos facti 1658.
pœnituerit, aut aliud fuerit in causa, nuspiam

proditum reperio. Hæc post exactum e Po-
1658. lonia Rákóczium, apud Transsilvanos gesta.

In Germania ad Polonicum fœdus nuper initum Elector quoque Brandenburgensis, obtenta prius, quam ei Casimirus cesserat, suprema in Prussiam jurisdictione, se adjunxit, quæ coalitio, ut improvisa, sic permolesta etiam Sueco accidit, & Comitiorum, quæ ad designandum Imperii caput Francofurti coacta erant, studia pro numero Candidatorum magnopere exacuit. Galli primum pro rege suo Ludovico XIV. hac dein spe exclusi, pro Bavaro, & Suecus pro Palatino Neoburgico agebant, ceteri Leopoldum optabant, qui XVIII. Julii suffragiorum numero æmulis tandem prælatus, XXI. ejusdem mensis rex Romanorum inauguratus est. Ea re competitores offensi Gallo auctore novum pro Sueco fœdus, quod *Rhenanum* appellant, Cæsareo opposuerant,
1659. quo tamen effici non potuit, quin is tota Holsatia exactus Pomeraniæ etiam partem anno sequente amitteret. Hoc successu fracti sensim hostium animi ad pacem inclinabant, si modo arbitri deligerentur, qui litem ex æquo dirimerent, quibus mutuo partium consensu constitutis de pace agi cœptum est.

Cæsar interea, dum illa conficeret, Ordines Hungariæ Posonium ad XXI. Julii excivit, ut de avertendo, si quod a Turcis ingrueret,

grueret, periculo rationes cum iis jam multo ante digestas haberet. Etsi enim non ita pridem *Aly Aga* Viennam Constantinopoli veniens nihil hac quidem parte metuendum esse affirmarit, suspicio tamen non inanis erat Vezirium, qui ad Belgradum centum millia sub signis habere ferebatur, aliquid moliri velle, nec prius solicitudo Cæsari exemta est, quam ex nunciis a Rákóczio missis intellectum esset, eam tempestatem Principi imminere, qui ob rivalem Achatium *Bartsai* sibi a Sultano oppositum Turcas profligarit; hanc ob causam se adesse, ut ab Hungaris auxilium Principi suo exorent, qui eo animo sit, ut ad contestandam suam fidem conjugem cum filiis obsidem dare velit. Sed Cæsari, & Ordinibus aliter visum, nequaquam illius causa hoc præsertim tempore, quo pax Olivensis pendebat, Turcas irritandos esse; illud tamen communiter sancitum, ut, si Hungariam invaderent, Nobiles cum colonis ex legum præscripto, quo periculum vocaverit, armati compareant, & confines hosti urbes muniantur: privatim autem id additum, non aliud nunc subsidium præstari posse, quam si Princeps arci *Kalloensi*, & *Szatmárino* præsidiarios Cæsareos imponi pateretur, ne in manus hostium veniant, restituendas, ubi bellum desierit. Cum hoc responso dimissi sunt, nec Cæsar aliud dari oportere existimabat, 1659.

 quod

quod mallet isthic Turcarum vires atteri, quam in Hungariam converti. a)

1660. II. Aliter tamen res cecidit. Sultanus Rákóczio, quod Principatum se se invito rursus invasisset, perinfensus Bassæ Budensi mandaverat, ut collectis undique copiis illum ex provincia proturbet; quo cognito Rákóczius ex-

a) Dogiel Dipl. Pol. T. I. p. 316. — 21. Gualdo Priorato hist. di Leopoldo Cæs. T. I. inter document. p. 1. 4. 5. 6. 8. &c. ubi etiam Rákóczii document. cessionis Principatus. Litt. Rákóczii ad reg. Sueciæ. Jaroslav. 27. Febr. 1657. ad Joan. Zamoiski ex castris ad Krasnik. 23. Apr. Hujus ad illum resp. 25. ejusd. Princ. Lubomirszki ad Rákóczi ex castr. ad Cracov. 27. Jan. 1658. Manifestum regis Daniæ Hafniæ. 3. Jun. Hatzfeldii concordata. Cracov. 24. Aug. Theat. Europ. ad an. 1658. — 59. Acta Comitior. ad an. 1659. Du Mont corps diplomat. T. VI. P. II. pag. 249. Bontempi l. cit. p. 14. cet. Gronszki hist. belli Cosaccor. Pol. P. III. p. 361. Francisc. Wagner hist. Leopoldi M. l. 1. toto. Hist. des troubles cet. l. 1. Mauritio Nigri raggvaglio dell' ultime gverre di Transsilvania l. 1. sed conferendus cum MSS. adnotationibus Simonis Reninger Secretarii Legationis Turcicæ, quibus usus sum, & deinceps utar. Additæ sunt, ut vulgo dicitur, *Minutæ* Bar. de Goes Legati.

extremas vires periclitaturus ad Transsilvaniæ fauces constitit, &, licet copiis inferior, congredi tamen cum hoste ausus, acceptis quatuor in capite vulneribus, ægre periculo subductus paucos post dies Varadini obiit, relictis ex Sophia Bathoria filiis Georgio cognomine, & Francisco. Cæsar accepta cladis fama veritus, ne victores, qui Lippam, Gyulam, & Jenöensem arcem in potestatem jam redegerant, ultra grassarentur, Palatinum cum Consiliariis Viennam accersiit, quid in re tam ancipiti facto opus esset, consulturus. Omnium sententia fuit, Varadinum, a quo vicinæ ditionis salus penderet, occupandum esse. Cæsari, quod vis adhibenda esset, id consilium minus probabatur, ne ansam novo bello Turcis præberet. Tutiora itaque amplexus nuncium ad viduam Principis misit, qui Zabolcsensem, & Szatmáriensem Comitatus ex pacto repeteret, ita futurum, ut, si præsidio Cæsareo tenerentur, Turcæ ab iis vim abstinerent, simul mandata *Susæ* armorum in Moravia Præfecto dederat, ut copias in Hungariam duceret, ageretque, ut non tam bellum inferentis, quam limites tuentis personam sumeret, ceterum, ut res se darent, tempore uteretur. Obsequutus militem ex hybernis deduxit, & vidua, datis ad suos Præfectos mandatis, volente, præsidium Germanicum Szatmárino, Kalloensi arci, & Tokaio, vim, si mandata

1660.

de-

1660. detrectarent, simulans imposuit. Ecsedum, & Onodinum Palatino, ut suspicio erat, subornante in verba regis, excluso tamen præsidio Germanico, jurarunt, Varadinenses, non tam milite, quam annona se egere responderant. Hanc quoque illis Susa, etsi obstinationem eorum damnaret, liberaliter administrari imperavit, & transmisso Tibisco castra inter *Kallo*, & *Rakomaz* metatus est, in omnem, si quæ offerretur, laborantibus succurrendi occasionem intentus. Jam Turcæ Varadinum a XIV. Julii magnopere premebant, nec minori fortitudine a Michaele *Ibranyio* defensum erat, cum ad extrema deductus deditionem, honesta tamen pactione coactus est facere, sero pervicaciam suam damnans, quod Susæ consilio opportuna suadentis non obtemperasset.

1661. Dedito Varadino bellum in Transsilvaniam traductum, in qua Joannes *Keměny* cum *Bartsaio* de Principatu contendebat. Provinciales illi magis, quam huic, cujus vecordia offendebantur, favebant, &, ut Principatui renunciaret, coegerunt. Hoc modo Keményius rerum potitus decessorem custodiæ tradi, paulloque post, quod novas res illum moliri comminisceretur, trucidari jussit, fratre ejus Gasparo in furcam acto. Id crimini Keményio datum, quod in hominem simplici magis, quam noxio ingenio præditum ingratus sævierit; Sultanus autem, qui cæsum in

in Principatu ante confirmarat, majestatem suam in eo læsam existimans Bassæ Temesiensi mandaverat, ut usurpatorem statione deturbet, quod ille mature subodoratus Viennæ per nuncios suos auxilium implorabat: hæsit Cæsar primum, post tamen, ne Transsilvania a Turcis in provinciam redigatur, auxiliares copias decrevit, *Montecuculo*, qui iis præesset, constituto. Prius tamen conciliationis viam tentandam ratus, nuncios Constantinopolim, & Temesiam misit. Sed hos præverterat Bassa Temesiensis, Transsilvaniam cum LX. millibus ingressus, & Keményio ex ea proturbato, postquam plures oblatum Principatum repudiassent, Michaelem *Apafium* nihil tale opinantem, & fere invitum subrogavit. Acerbum id erat Keményio, præsertim quod Montecuculus Turcis pugnam detrectantibus recesserit, relictis solum aliquot Germanorum, & Croatarum cohortibus, quæ quidem ad vim arcendam, non item inferendam satis essent. Amissi tamen Principatus dolore incitatus, postquam Turcæ regressi erant, ipsa hieme dissuadentibus licet amicis æmulum *Sebesi* obsedit, cumque hic tempus, quid capiendo æmulo facturus esset, consultando terit, *Kutsuccus* Jenöensis Bassa celeriter admonitus periclitanti suppetias venit. Cum nullus jam tuto receptui locus esset, res ad pugnam venit, quam licet Germani cum Croatis in sinistra ala fortiter susten-

1661.

1662.

ſuſtentarent, dextra tamen in fugam verſa
1662. eſt, in qua Keményius equo prolapſus fugientium pedibus temere conculcatus obiit. Kutſuccus, Germanos quoque prælio adfuiſſe miratus, rem Conſtantinopolim nunciavit. Id Sultanus violationem pacis interpretatus, ſemel, iterumque miſſo ad Cæſarem nuncio, ut ſuos e provincia, quam jure armorum ſuam feciſſet, quamprimum educeret, poſtulabat, ni fieret, vi ejiciendos comminatus. Cæſar, qui nec cauſam bello præbere, nec Transſilvanos vellet deſtituere, multi enim Keményianæ partis, ne ſe relictos vellet, orabant, Simoni *Reningero* ſuo apud Sultanum internuncio ſignificavit, litem eventu ancipitem eousque traheret, donec per Legatum proxime mittendum penitus componatur. *a)* III.

---

a) Theatr. Europ. T. IX. p. 36 — 45. Priorato, & ſupra cit. ad ann. 1660. & 61. Litt. Mayerbergii Conſiliarii Cæſ. ad Baſſam Buden. ex Kallo. 10. Jun. 1661. & ad Cæſ. Ecsedino 11. ejusd. 1660. Sophiæ Báthori ad Cæſ. ibid. 10. Jun. Ejusd. ad ſuos Præfectos. ibid. eod. Puncta dediti Varadini 30. Aug. in caſtris. Abdicatio Principis Barcsai in Gyergyö 6. Jan. 1661. Litt. Cæſar. ad Suſam. Vien. 21. Aug. Minuta Baronis Goez, & Reningeri adnotat. in hiſt. Nigri ad an. 1662. Litt. Secretarii Beris ad Cæſar. Temesvárino 29. Jul.

III. Interea futuri providus convocatis Posonium ad Calendas Maji Ordinibus proposuit, quam facile Hungaria subacto Varadino, & Transsilvania fortassis amittenda, periculum aditura esset, nisi mature inter se initis consiliis, opeque collata prospicerent; hanc, cur illos concitri jussisset, præcipuam causam fuisse. Palatinus periculum ex usu judicio militari ponderans inde confestim initium consultationis fieri volebat; refragabantur *Evangelici*, qui de iis primum, quibus se in religionis negotio gravari dicebant, deliberari volebant, ceteris in aliud tempus rejectis. Cæsar importunam prorsus tempori protelationem miratus rescripsit, nihil sibi, quod statutis 1547. aliorumque annorum utriusque partis consensu firmatis adversaretur, hactenus compertum esse, agerent potius, quæ ex usu temporis, & regni commodo essent. Scriptum in hanc sententiam Palatino misit, iis exhibendum; sed extima ipegraphe: *fidelibus Evangelicæ confessionis in hac Dieta præsentibus assignentur*: offensi, quod *Status* nomen, quo se compellari volebant, omissum esset, id accipere renuebant. Frustra Palatinus nomen id non ad religionem, sed ad civilem solum rei publicæ formam ex instituto pertinere, obtendebat; inhærere proposito suo, & privatim coeuntes a publica ceterorum consultatione abstinebant. Ita dissentientibus supervenit e Transsilvania Pe- 1662.

1662. Petrus *Fekete*, summum discrimen provinciæ imminere, Principis, & Ordinum nomine annuncians, si Cæsar militem ex ea non educeret, Sultanum, nisi id fiat, eo animo esse, ut Transsilvaniam ad morem Valachiæ, & Moldaviæ in formam provinciæ redigat. Cæsar misso Constantinopolim Legato *Peretio*, se, ne id eveniret, jam cavisse, respondit, animo interea bono essent, & curas ponerent.

Remisso ad Principem nuncio, Ordines sepositis, quæ moram inutilem solent injicere, privatis rebus, & religionis negotio in aliud tempus dilato, in hæc capita tandem coaluere: si bellum a Turcis ingruerit, aut præsidium aliquod obsideretur, Nobiles viritim ad arma confluent, ceteri pecuniam, & Comitatus annonam præbebunt: militia Germanica novem millia ne excedat; & hæc quoque, si pax fuerit, ex regno dimittatur. His quoque *Evangelici*, quod nullus eorum gravaminibus locus daretur, intercessere, & nondum soluto Conventu abiere. Revocati, nova se a suis mandata allaturos responderant, & Cassoviæ primum, mox ob pestis metum Bartphæ celebrato privatim Conventu litteras ad Cæsarem, quibus absentiam suam excusabant, dedere.

Sub hæc Perezius pacis conficiendæ caussa Constantinopolim venerat, sed, sive dicundo juri, quam tractandis rebus politicis aptior

aptior esset, sive mors Vezirii obstacula injecerit, parum posse visus est, etsi Reningerus morum aulæ Turcicæ apprime gnarus 1662.
sociam ei operam diligenter navaret. Duo præterea obstabant; primum, quod Cæsar nondum militiam e Transsilvania eduxerit: alterum, quod Zrinius Illyrico præfectus ad Dravi, & Muræ confluentem castrum de suo nomine dictum erexerit. Responsum est, facile his modum reperiri posse, si vicissim secundum pacta cum Ferdinando, & Rudolpho inita, Transsilvanis libera Principem eligendi potestas relinquatur. Vezirius, erat is defuncti filius, viginti duos annos natus, itaque nondum satis rerum, quæ præcesserant, gnarus, negocium *Aly* Bassæ Temesiensi commisit. *a)*

IV. Venerat Temesiam eadem de causa sub finem anni Baro *Göczius* potestate transigendi cum Bassa præditus, & ineunte Januario provinciam sibi mandatam confestim aggressus, easdem, quæ Perezio objectæ erant, difficultates recoqui expertus est, sed, ut erat vir cordatus, facile criminationem de Zrinio diluit, quod Turcas contra induciarum fidem 1663.

a) Acta Comitior. an. 1663. Theatr. Europ. T. IX. 561. — 90. Priorato l. c. P. 2. l. 2. p. 108. — 15. Maurit. Nigri hist. cit. pag. 41. — 60. Reninger adnotat Hist. des troubles &c.

dem triginta & octo munimenta struxisse pro-
1663. ductis documentis monstrasset: *Székelhidam* quoque non ad Transsilvaniam, quod Bassa asserebat, sed ad Hungariam pertinere ostendit. Hac mora, quæ satis diu tenuit, superata, in has demum leges utrisque convenerat: Transsilvanis post mortem Principis libera sit electio; Comitatus Szatmáriensis, & Zabolcsensis ditioni Cæsaris deinceps adnumerentur, Rákóczii, & Kemenyii filiis ne liceat militem in Transsilvaniam ducere, perfugas, & rebelles utrique bona fide reddent, & in limitibus fas sit nova munimenta excitare. Cæsar conditiones rebus, ut tum erant, utcunque faventes ratas habuit, verum Constantinopoli moræ trahebantur, non sine suspicione instantis belli, cujus indicium Goezius fecerat, quo spectante in dies copiæ ex Asia Belgradum confluebant, certisque indiciis patebat, præter Tartaros, Moldaviæ, & Valachiæ Vayvodas ad signa esse vocatos, excitum etiam cum provincialibus Apafium, monitumque, ut tributum hactenus intermissum dependat. Hoc quidem, etsi ab ipsis Turcis mutuum sumere cogeretur, numerari jussit, ab armorum tamen societate cum ipse abhorruit, tum provinciales imperata facere detrectabant, quod clam a Vayvoda Valachiæ admoniti essent, Turcas id moliri, ut, si provincia milite nudaretur, hanc sibi subjiciant.

Hæc

Hæc cum Viennam allata essent, Cæsar *Montecuculum* cum *Rothalio*, & *Strozzio* Posonium misit, ut cum Palatino, & Consiliariis rationes belli, si gerendum esset, inirent; Australibus subsidia in Conventu imperata, missi Ratisbonam, in Galliam, Hispaniam, Angliam, & ad Hollandos nuncii, auxilia flagitatum, Pontifex quoque rogatus, ut periclitanti regno succurrat, Goezio mandatum, ut Vezirium Belgrado jam appropinquantem adiret, & tractationem tam diu conaretur ducere, donec militia ex vicinis provinciis coiret. Gratum id quoque Vezirio fuit, qui ipse etiam nondum rebus omnibus comparatis tempore egebat. Itaque Goezius cum Reningero, quem Vezirius Constantinopoli secum duxerat, de conditionibus rursum cœpit agere. Has ille pro numero ad signa confluentium identidem variabat, donec nihil eorum, quæ necessaria erant, deesset, tum quæsita magis, quam oblata causa tractationem abrupit, rectaque Budam profectione indicta ad *Eszekum* ob eluvionem aquarum morari coactus est. 1663.

Commodo nostrorum id accidit, qui interea opportunum militiam cogendi spacium nacti fuere. *Heisterus* in superiore Hungaria, *Lesleus* cum *Zrinio* ad fines Croatiæ, *Susa* ad Moravam excubabant, *Montecuculus*, penes quem summa rerum erat, primum ad Ovarinum, postea ad Posonium communitis

[redacted] castris cum quatuor millibus consedit, cumque incertum esset, Jaurinumne, an Comaromium, vel Ujvarinum Vezirius designarit,
1663. Montecuculus cuilibet loco ter mille, & quingentos imposuit, & Forgácsio mandatum, ut, quo hostis tenderet, cognoscat. Ad Parcanum ut venit, in decem, & octo Turcarum cohortes inciderat, in quas etsi fortiter invectus esset, crescenti tamen in momenta numero cedere coactus Ujvárinum se recepit, & locum defensioni comparabat. Legatum habuit Paulum *Serényi*, huic adjuncti erant Marchiones *Pius*, & *Grana*: Palatinus cum paucis ad *Szecsczinum* se Strozzio conjunxit. Hic nostrorum situs erat, cum Vezirius Ujvárinum XIII. Augusti cum centum quinquaginta millibus circumsedit, dimissis in omnem partem Tartaris, qui superato Vago usque in Moraviam vastitatem circumferrent. Obsessi, licet propugnacula vetustate murorum prope jam dehiscerent, repulsis septies ab assultu Turcis fortiter se tuebantur, donec seditione militum coorta, Forgácsius habito cum Praefectis consilio de dedendo loco agere cogeretur. Vezirius praeter victoris morem obsessis indulsit, ut ipsi deditionis formulam conciperent, secundum quam XXV. Septembris utrinque firmatam, biduo post cum solitis honoribus, & duobus tormentis castrensibus dimissi, Comaromium deducti sunt, ubi mandata jam a Caesare ad-

erant,

erant, ut Forgácsius cum reliquis Præfectis custodiæ mandetur. Vezirius dedito Ujvárino *Nitriam*, & *Levam* adjecit, reparatisque Ujvárini ruinis, dissuadentibus omnibus, Belgradum occupato per iter *Neogrado* in hyberna recessit; Cæsar vero in custodiam nuper dari jussos, cognita militari judicio caussa, innoxios pronunciavit. Ita Forgácsii honor reparatus, & Montecuculus invidiam, qua apud ignaros laborare cœpit, ab se amolitus est. 1663.

V. Vezirio regresso hyems conquirendis undique auxiliis, & faciendis in bellum apparatibus insumta est. Germania triplum Romani mensis decrevit; Leopoldo Marchione 1664.

 Ba-

a) Theatr. Europ. T. IX. pag. 947. — 58. Priorato T. II. l. 2. p. 121. — 58. Wagner Hist. Leop. l. 2. p. 122. — 35. Relazione della rotta del Comte Forgács a Barchan. a di 7. Agost. ex Minuta B. Goez. Conditiones 16. deditionis Ujvárin. ex ead. Reninger adnotat. in hist. Nitri. Litt. Apafi ad Vezirium Alba Jul. 24. Jun. Narratione della Compagnia dell' an. 1663. ex Goezii Minut. Hist. des troubles cet. ad h. a. Armata del gran Visir, & Essercito di S. M. Cæsarea. ex Minuta cit. secundum quam Turcæ numerabant 229000. Tormenta autem 200. minoris, & 25. majoris formæ. Litt. Palatini Vesselényii ad Montecuculum 27. Aug.

Badensi, qui Imperialibus praeesset, constituto, Ludovicus XIV. Galliae rex sedata, quam
1664. cum Pontifice habuit, lite, quatuor Peditum, Equitum duo millia Colignio duce, suis stipendiis militaturos, Pontifex præter Sacerdotii in terris hæreditariis decimas, septies centena aureorum nummorum, Genuenses quadringenta florenorum millia, & rex Sueciæ bis mille quingentos Pedites subsidium promisere. Ea re animi nostris additi. Zrinius exeunte Januario pontem Eszekinensem, ut hostem transitu arceret, exussit, tum *Babolcsa* expugnata *Canisam* obsedit, adventante tamen Vezirio deserere coactus est. *Susa* meliore fortuna usus Nitria recuperata Turcas ad Levam justo prælio, in quo *Spahiorum* flos perierat, fregit, arcemque recepit. *Strozzio* satis negotii erat, ut hostem interea, dum Vezirius novam *Zriniam* oppugnarat, a *Mura* insula, & incursione in Stiriam prohiberet. *Montecuculus*, donec omnes in castra convenirent, nihil temere ausus, exitum obsidionis Zriniæ opperiebatur, quæ mora, deserto tandem a nostris loco, simultatis inter illum, & Zrinium causa fuit, nomenque ducis propterea passim per ora traducebatur. Sed, ut eventus docuit, amissa Zrinia regno saluti fuit. Interea enim auxiliares copiæ ex Germania, Gallia, & Italia confluxerant, quibus auctior dux factus Vezirium a Mura ad Arrabonem retrusit, & ipsis Calendis Augusti

gusti prope S. Gothardum ad pugnam coegit, qua XVI. suorum millibus amissis victus pacem prior offerebat. Interpres erat Reningerus, cui post Goezii discessum agendi potestas credita fuit. Constitutis ergo utrinque arbitris decimo post pugnam die ad *Vasvarum* iisdem fere, quibus anno superiore Temesvarii designata erat, legibus coaluit: hæc solum addita: Cæsari integrum sit, ad Vagum amnem, in Szathmariensi item, & Zabolcsensi Comitatibus, ubi visum fuerit, munimenta exstruere, novam Zriniam nuperna obsidione in rudus prolapsam neutris liceat instaurare: *Szekélyhida*, ne ansam turbandæ paci præbeat, solo æquetur, postremo, ut solemnis utrinque Legatio ad ratificandam pacem instituatur. His constabilitis Cæsareus, & Turcicus miles, ut conventum erat, ex Transsilvania eodem tempore excessit, & in stativa distributus est. 1664.

Pacem tam subito conciliatam socii armorum mirabantur, & Hungari se inconsultis factam ægre ferebant, militem quoque Germanum præsidiis regni impositum querebantur, urebat præterea dolor amissi Varadini, & Ujvárini, tum *Székelyhidæ* intempestiva demolitio, idque fere hac pace factum esse dicebatur, ut hostis in regni visceribus hærens, dum volet, ipsorum jugulis immineat. Cum hæc palam jactarentur, Cæsar Palatino, & præcipuis Optimatibus Viennam accersitis ini- 1665.

tæ pacis conditiones, causas, & necessitatem Lobkoviczio interprete exposuit, sed altius hærebat animo neglectus, quo se, cum de rebus suis agebatur, non tam præteriri, quam vilipendi existimabant, quam ut aquiescerent. Inde initium privatis coitionibus præside Palatino factum, quæ semen futuræ conjurationis jecerant. Zrinium, ne eodem vortice abriperetur, mors in venatu ab apro illata prohibuit, quamquam sint ex scriptoribus Gallis, qui in vulgus efferebant, percussorem dissimulante aula, cui privata viri cum Gallis commercia suspicionem moverant, venatus tempore immissum fuisse. Sed id utcunque fuerit, nec enim res ultra inanem suspicionem pertigit, quæ in ipso sui ortu evanuerat. Primus omnium conjurationis indicium Bassa Budensis *Lesleo* Constantinopolim legato fecerat, & hic Viennam perscripsit: convenisse in thermis Trencsiniensibus nuptiarum causa cum Palatino Zrinium, defuncti fratrem, negato Croatiæ Banatu offensum, viduam quoque Rákóczii cum filio, & Zrinii nepte, cudi istic noxia aulæ consilia. Hæc initia fuere. Cæsari plus negotii in adeunda Tyrolis hæreditate, mittendis in Belgium copiis, & turbis Polonicis componendis erat, quam ut malum in principio opprimeret, dissimulatione usus, ut res exstantioribus indiciis pateret. Ad hæc imminebant nuptiæ cum Margaritha Philippi IV.

1665.

Hispa-

Hispaniæ regis minore natu filia, cui dum Cæsar *Schotviehnam* obviam proficiscitur, pene in insidias a Zrinio adornatas inciderat, nisi opinione citius iter relegisset. Ferunt fontem quoque toxico fuisse infectum, qui tamen tetro odore proditus periculum a Cæsare, ejusque familia averterit; cujus tamen in Actis publicis nuspiam vestigium me reperisse memini. Cæsar abhinc majore cura cœpit in autores intentus esse, nondum tamen res matura videbatur, quod mortuo Philippo bellum inter Hispanos, & Gallos ortum esset, quo Flandriæ pars a reliquo corpore avulsa Gallis cessit, vix tandem pace Aquisgranensi magna Cæsaris invidia compositum.

1666.

1667.

Interea Conventus, qui Neosolii cognoscendis, dirimendisque juribus institutus erat, maturandæ conjurationi occasionem præbuit. Palatinus quidem omnia prius apud Cæsarem tentanda rebatur, quam res ad apertam vim redeat; Zrinius contra id cum Imperii Principibus in primis agendum suadebat, ut Hungariam in unum cum Germania corpus coalescere paterentur, cui reges deinceps futuri Imperio obnoxii præessent, reliquis splendidam hanc, ut dicebant, servitutem aversantibus. In hac deliberatione Palatinus XXVIII. Martii vivis ereptus telam pertexendam Zrinio reliquit, qui prius propositum de Germania damnans, domique destinationem perfici posse ratus, cœpit de

 sociis,

ſociis, quorum auctoritas in vulgus valeret,
1668. ſibi adlegendis cogitare. Occaſionem ipſe Cæſar præbuiſſe viſus eſt, qui defuncto Palatino Georgium *Szelepcsényium* Strigonienſem Archiepiſcopum *Locumtenentis* nomine ſubrogavit. Pupugit id, qui ad eam dignitatem aſpirabat, Franciſcum *Nddasdium* Curiæ judicem, & magis impatientia doloris, quam cupiditate res novandi, ſocium Zrinio adjunxit. Eodem laqueo paullo poſt *Frangepanius*, & in Stiria *Tattenbachius* objecta ſpe obtinendæ Cillejenſis provinciæ irretiti ſunt, ceteri quisque ſibi portionem in regno deſignabant. Inde curæ ad conquirenda auxilia verſæ. Gallus aurum pollicitus eſt, Valachi in Croatia ſe cum ſuo Epiſcopo ſponte ſigna ſequuturos receperant; Apafius cum Transſilvanis in ſocietatem vocatus abnuit, Vezirius quoque oblato quadraginta millium aureorum tributo quotannis pendendo fruſtra tentatus eſt, cui ceteroquin in obſidenda Candia plus curarum erat, quam ut ſe alienis rebus ingereret. Repulſam utrinque paſsi, & ad Polonos converſi, nihil perinde promoverant, qui ipſi de deligendis ad regnum Candidatis, inter quos præcipui Condeus, Neoburgicus, & Carolus Lotharingus fuere, inter ſe digladiabantur, cum præter exſpectationem Michael *Coributus* Jagellonicæ ſtirpis ſurculus militari primum admurmuratione, mox diffuſo per Comitia rumore, paucis

nec-

necquicquam repugnantibus, miro consensu rex acclamatus est. Improvisus eventus, ut competitorum ambitionem eluserat, ita nostrorum, quibus Condeo electo omnia prona 1669.
futura erant, animos quidem perculit, sed, ubi sequente anno inter novum regem, & Cæsaris sororem Eleonoram de conciliando matrimonio per Legatos agi, & pacta utrinque ratihabita compererant, ad maturandum, quod dudum conceperant, rursus erexit, utque Cæsaris vires, si ad rem ventum fuerit, distraherent, Zrinius cum Francisco a Tersacto in Croatia, in Stiria Tattenbachius, Rákóczius in Hungaria superiore signa tollerent, constitutum. Australes, & Moravi, tum qui istis in Hungaria vicini sunt, quoniam nondum satis constabat, quo animo comparati essent, moram tantisper injecere. Missus itaque est Stephanus *Vitnyédius*, ut explorata mente eos ad corripienda arma incitaret, qui illum tractum, qui secundum montes Cassovia Posonium tenditur, oberrans, & religionis periculum prætexens omnes cum Australibus, & Moravis causæ communi favere, ad arma, cum res monuerit, esse paratos, & in hunc finem Dantisci, & Vratislaviæ ingentem pecuniæ vim depositam servari, ad conjuratos perscripsit. *a)*

a) Theatr. Europ. T. IX. p. 1116 — 1246. Priorato l. c. P. 2. lib. 4. & 5. Wagner hist. c. l.

2.

1670. VI. Hæc quamquam clanculum agerentur, certo tamen indicio ad Cæſarem perlata, occaſionem huic præbuerant, ut inito cum Hiſpanis, & Hollandiæ Statibus fœdere, quod *Tripli* nomen obtinuit, minus illi curarum a Gallis, ſi quid conjuratorum cauſa inciperent, domi conficeretur. Ad præfocandum tamen malum, & animos ſanitati reſtituendos, Conventum generalem promulgata amneſtia indixit, ad quem cum pauci, ſeroque comparerent, quin ſeorſim Caſſoviæ alium celebrarent, & Rákóczius Stahrenbergium ſimulata amicitia Tokaio excitum intercepiſſet, Zrinius autem cum Frangepanio in Croatia jam ſigna ſuſtuliſſent, rem armis decernere conſtituit, edoctis tamen Imperialibus, ne religionis cauſa, ut alias ſibi perſuadebant, arma corripi ſuſpicarentur. Decreto igitur bello, *Spörckius* in ſuperiorem Hungariam,

& 3. Nitri l. c. l. 4. ad ann. 1664. — 69. Litt. Reningeri ad Cæſar. Belgrad. 25. Febr. 1664. & 12. Mart. Apafi ad Reninger. Deva 9. Oct. ex Segesvár 11. Nov. Hujus ad illum Belgrad. 24. ejusd. & ad Cæſar. relatio actor. ibid 14. Dec. Ejusd. Oſſervationi ſopra il raggvaglio dell' ultime gverre di Transſilvania, ex Minuta Goezii. Dogiel Diplom. Pol. T. I. p. 321. Litt. Vitnyedii apud Kazi hiſt. l. 10. p. 135. Zrinii ad Conſiliarios Græcens. Csáktornya. 30. Jun.

riam, *Spankavius* in Croatiam missi. Ac hic quidem Zrinium cum Frangepanio *Csáktornyæ* obsessum pene cepisset, nisi mature elapsos *Kerius* hospitio accepisset, qui nocte exacta utrumque captivum Viennam deduxit, tantum ob violata hospitalitatis jura infamiæ apud suos, quantum laudis apud exteros consequutus. Rákóczium lenta obsidione Tokaium, & Szatmarinum prementem Sporckius dissipatis ejus copiis facile fugavit, eodem cum ceteris fato involvendum, nisi mater, Cæsari supplex, numeratis mulctæ loco CCC. florenorum millibus ei veniam impetrasset. Arces ejus omnes, ne eadem rursus vertigine corriperetur, a Germanis insessæ; Ecsedinum, Patakinum cum Cassovia, & Eperiesino in fidem recepta; Zemplenienses cum quatuor vicinis Comitatibus vim parabant, sed Sporckio extrema comminante ad obsequium rediere. Restabat arx *Murania*, viduæ Vesselenyianæ sedes. Hujus recuperandæ cura Carolo Lotharingo data est, qui ante vim admotam ut se dederet, frustra postulabat; verum ubi eductis operibus rem serio agi videbat, se dedidit. Fuit cum ea Franciscus *Nagy*, Vesselényii arcanorum conscius, ex quo cum nihil exsculpi posset. Viennam cum vidua missus est. Tandem excussa penitus arce repertum est fortuito in cella subterranea dolium, litteris refertum, & in his etiam a Nádasdio scriptæ, quarum 1670.

indi-

indicio reus compertus, dum Pottendorffii se-
1670. curus agit, comprehensus, Viennamque ductus, & Tattenbachius indicio famuli proditus Græcii in carcerem conjectus est.

1671. Comprehensis spacium defensionis datum, ne quæ tamen communio inter eos esset, Zrinius cum Frangepanio Neostadium ducti, Nádasdio Viennæ retento. Frustra Hungari, ut in reos patrio judicio agatur, petebant. Zrinius primum ab objectis se, & socium purgare cœpit, postea cum effugio locus non esset, ut aliquid ætati tribueretur, clementiam implorabat. Nádasdius, qui jam altero abhinc anno se a ceterorum consortio abstraxerat, confestim in principio se nolle judicio contendere *a*) protestatus, totum se Cæsaris

a) Nescio, unde Wagnerus P. I. l. 3. p. 252. habeat, Nădasdium voluisse rem judicio experiri, cum is contrarium ad filios suos Vien. 14. Nov. scribens, his verbis affirmet: *Et licet etiam in primo meo examine absolute me resolverim, quod nolim me immittere in judicium cum clementissimo Principe meo, quin imo Principi Lobkovicz primis captivitatis meæ diebus humillime significavi, me nullo modo velle ullum processum, nec ullo scripto excusatorio purgare, verum totum me clementissimi Domini, & Principis mei gratiæ committo, & capiti meo ejus clementiam imploro &c. ex domo captivitatis meæ*

ſaris benignitati permiſit. Serum id plerisque viſum; mox conſtitutum duodecim virorum ex aulæ proceribus judicium, dati jurisconſulti, qui reorum cauſam agerent. Re poſt diuturnas deliberationes in utramvis partem diſcuſſa, omnium una fuit ſententia: perduellionis convictos amputata dextera mortem eſſe promeritos. Cæſar, ne quid præcipitatum criminari vulgus poſſet, exteras Academias conſulendas cenſuit: eadem, ſed acerbiore dictata pœna, harum quoque fuit opinio. Vulgato de profligata cauſa rumore, conjuges pro viris cum per ſe ſe, tum per alios Cæſaris clementiam implorare, ipſe Pontifex pro Nádasdio, & Zrinio de re Chriſtiana contra Turcas bene meritis intercedere, fruſtra omnia, palatinales, & Hiſpaniæ Legatus mortem urgere; ſubſcribit tandem Cæſar invitus, mitigata tamen, ne dextera truncarentur, pœna, data cuivis poteſtate XII. millia in pios uſus legandi. Supplicio dies XXX. Aprilis conſtituta. Nádasdius rite ad ferale momentum comparatus, ſententiam forti animo legi audivit, ſed ubi gentilitia ſigna confringi, expungi titulos honorum conſpe- 1671.

---

meæ in domo Provinciali, 1670. Ceteroquin non pauca videor mihi in Wagnero reperiſſe ſi non exaucta, certe ſtylo acerbiore, quam oportebat, elata.

quæ omnia ut alieno prorsus tempore fieri,
1672. ipse Szelepcsenius cum Consiliariis Viennam accersitus Cæsarem monuerat, ita factiosis speciosam ad corripienda rursus arma caussam subministrabant. Ducem se præbuit *Tököliu*s, qui missis ex Polonia litteris plebem inconditam in Scepusiensi, & vicinis provinciis ad vindicandam regni libertatem concitabat. Coorti ipsa hyeme, & cædibus late grassantes semel iterumque a Cæsareis fusi ægre ad frugem rediere. Mox seditio ad Tibiscum ab exulibus, qui ex Transsilvania repente emerserant, sensim propagata, celeritate tamen ducum Eszterházii, & Koppii uno prælio ad *Györkium* compressa fuit. Duæ sorores Tökölii interceptæ, & adempta templa, Catholicis jure postliminii restituta, expeditionis fructus erant.

Vixdum repressis nova querulandi occasio oblata est. Cæsar *Ambringenium*, Teutonicæ
1673. militiæ magistrum, regni Gubernatorem constituerat. Gravius id non solum factiosis, sed Cæsari etiam addictis vulnus erat, quam ut doloris vim taciti premere possent. Sciebant quidem illum in Hungaria natum, sed morum, consuetudinum, & internæ regni constitutionis, quod præcipuam vitæ partem apud exteros egerit, prorsus expertem, facile hac, qua in politicis, & militaribus negotiis a Cæsare præditus erat, potestate abuti posse. Hæc cum palam, & passim jactarentur, præcipui

cipui ex regni Magnatibus Cæsarem orabant, ut *Szelepcsénium*, qui officio *Locumtenentis* hactenus probe functus fuisset, pristinam stationem, ne nominis diminutionem innoxius pati cogeretur, retinere permitteret. Responsum est, temporis rationem obesse, quo minus eorum postulatis posfit annuere. Haec isti concoquebant, at factiosi, quorum potior pars Acatholici erant, novam inde seditionis materiam parabant, ministrorum suorum concionibus in praeceps acti. Et spem successus offerebat bellum, cui Cæsar cum Gallo, Belgii causa, recens implicitus erat. Auxilia quoque clandestinis legationibus apud exteros conquisita, quae cum longe trahi viderent, Bassam Budensem aggressi, quinque *Thalerorum* millia se daturos, litteris nominum subscriptione firmatis pollicebantur, si sibi auxilio futurus esset, qui cum duo solum numerari sibi videret, ludificari se ratus, & ab aula sua male sibi metuens, si induciarum tempore causam bello daret, parte lucri contentus, litteras *Hoffkirchero* Comaromiensi Praefecto misit, quarum indicio proditi, Posonium vocati, quaestionibus subjecti, & a judicibus delegatis, inter quos & Protestantes erant, laesae Majestatis, ac perduellionis rei pronunciati sunt. Crimina, quorum ex legum forma convicti erant, haec, nec enim omnia, cum quaedam prolatu indecora sint, referre vacat, praecipua fuere: quod clan-

1673.

1674.

deſtina conſilia cum Turcis, aliisque Cæſaris hoſtibus inierint, ac illos præcipue data pecunia in ſubſidium ſolicitarint, exteros
1674. Principes legationibus auſi ſint in Cæſarem concitare, Filekienſe præſidium prodiderint Turcis, ejusque occupandi modum ſuggeſſerint, idem etiam, niſi Præfecti excubaſſent, cum Veſzprimio, Leva, & Jaurino machinati fuerint. Hæc, præter plurima templa Catholicis vi erepta, trucidatos ſacerdotes, raptam ſacram ſupellectilem, populum ad ſeditionem impulſum, Præfectos regios ex inſidiis occiſos, & diſſeminatos in Cæſarem famoſos libellos, vulgata a judicibus ſententia continebat.

Hanc, qua illis mors decreta erat, Cæſar mitigavit, impunitatem omnium pollicitus, ſi modo data ſyngrapha promitterent, nulla ſe deinceps ſive in templis, ſive in ſcholis miniſterii ſui parte perfuncturos. Ducenti & XXXVI. formulam cautionis ſubſcripſere, qui abnuebant, aut conjecti in carceres, aut exilio mulctati, inter quos etiam Franciſcus *Otrokotsius*, vir pacatam ceteroqui nactus indolem, & multarum litterarum, fuit: XXIX. qui cum Turcis conſilia miſcuerant, ad triremes damnati, haud multo poſt Principum interceſſu revocandi. Pœnæ gravitas tam exteros, quam domeſticos, qui religionis communione jungebantur, vehementer commoverat, nec perduellioni hanc, ſed religio-

legionis odio tribuebant, litteras, quibus causæ
momentum præcipue nitebatur, confictas, 1674.
extortam vi confessionem, aliaque crudeliter,
& indigne perpessos fuisse disseminatis litteris
vulgabant. Multa etiam posterior ætas ad-
didit, quorum nemo, dum res agebatur, ne
ipsi quidem ministri, dum locus, & tempus
id poscebant, verbo, vel scripto meminisset.
Reliquis, si ad obsequium redirent, oblata
venia est.

Pauci hac usi sunt, pecunia Gallica hac-
tenus, & Apafii patrocinio sustentati. Re- 1675.
petebat is, misso ad Cæsarem Legato, ar-
cem Kalloensem, Tokaium, & Szathmari-
num, Transsilvaniæ Principum, ut prætexe-
bat, olim portionem, nec exspectato respon-
so cum XII. millibus provincia egressus,
tentato frustra Szathmarino prædis onustus
rediit. Sub idem fere tempus Turcæ Ujvá-
rienses a Transsilvano, ut suspicio erat, sub-
ornati, incendia, & cædes ad Posonii portas
protulere; quibus ut frænum injiceretur, Cæ-
sar *Sellyam*, & *Schintaviam* Vago flumini ad-
sitas munitionibus firmari jussit. Turcæ in-
ducias violari his substructionibus questi, re
autem ipsa prædationibus suis obicem poni,
ægre ferentes, injuriam sequente anno com-
municato cum ceteris consilio ulcisci para-
bant. Ujvárienses cæsis ad Nitriam Cæsareis
ingentem facti argenti vim Viennam exiguo
Comitatu devehendam jam interceperant, cum

rurſus a Straſoldianis præda illis excuſſa eſt.
1676. Albenſes exuſtis Veſzprimii ſuburbiis magnam hominum, pecorumque copiam abegere: ad Caroloſtadium autem tam male ab Herberſteinio accepti ſunt, ut ne cladis quidem nuncius ſupereſſet. Factioſi nihil magis quieti ad Onodinum a Barkóczio cæſi Szathmarinum fruſtra tentarunt, in Stiriam volentes irrumpere, Batthyánius ad Legradum circumfuſos primipilis ſolum, quod ceteri maximam partem vulgus eſſent, in crucem actis, Koppio necquidquam atrociora de omnibus ſupplicia poſcente, liberos dimiſit.

Cæſar extero, eoque gravi bello occupatus, ut ſe a moleſtiis his expediret, præcipuos ex Hungaria Viennam ad particularem Conventum accerſiit, quo Ladislaus *Cſáki* nomine Apafii quoque venerat, ut cum iis de modo pacandæ tandem Hungariæ conſultaret. Eadem omnium concors fuit ſententia, factioſos aperte teſtari, ſe non prius ad officium redituros, quam deducto Hungaria Germano milite Palatinus eligatur, tollantur extra ordinem imperata tributa, & Hungari publicis officiis præficiantur. Cæſar ad inſtaurandam Palatini dignitatem, ceteraque poſtulata implenda minime difficilem ſe præbuit, ſed militem Germanum inter tot, & crebros motus inteſtinos, nec ſatis conſtante omnium fide, ex regno dimittere periculo-

sum existimabat, pollicitus, si pacatiora tempora fuerint, se id non gravate facturum. a) 1677.

VIII. Csákius ex Conventu in Transsilvaniam rediturus, quæ mens Cæsaris esset, & quæ fuerit pollicitus, factiosis per iter exposuit, utque in gratiam cum eo redirent, hortatus est. Surdis hæc dicebantur: priora consilia rursum amplexi missis ad Vezirium *Kara Mustapham* nunciis auxilia poscebant; Apafius quoque proniorem, quam alias se iis præbuit, plurimum autem spei in Polonis erat, quos *Bethunius* Galliæ Legatus, confecta inter illos, & Turcas pace, Gallicis stipendiis conductos Marchione *Bohemo* duce illis suppetias miserat. Sex millia Polonorum præter vagas Tartarorum turmas fuere, totidem, ut bellum diversis partibus gereretur, Turcarum erant. Illi ad Tibiscum factiosis juncti, cæsis mille quingentis Cæsareorum, auctique quatuor Transsilvanorum millibus Szathmarinum obsederant, rursumque

a) Wagner l. 4. p. 335. — 43. & l. 8. p. 546. — 50. Hist. des troubles de Hongrie l. 5. p. 243. — 77. *Extractus brevis, & verus, quo candide demonstratur, Acatholicor. Prædicantium e regno Hung. proscriptio — facta esse, respectu rebellionis, non autem religionis &c.* Adolphi Lampe, sive Pauli Ember hist. Eccles. Reform. l. 2. p. 473. — 80.

que Cæsareos in insidias pellectos vincunt.
1677. Nec ultra hoc anno progressi, quod Turcarum sex millia, qui composito ad distrahendas Cæsaris vires in Stiriam parabant, accepta a Croatis clade rejecti essent. Majora sequente ausi Tökölio duce, qui e Polonia in Transsilvaniam delatus, & sensim in Apafii amicitiam se insinuans facile XX. millia adjunctis Cosaccis, Tartaris, Polonis, & Valachis sub signa coegit, totamque Hungariam pervolitans, occupatis partim vi, partim proditione diversis arcibus, & Tartaris versus Moraviam, & Austriam procurrere jussis, ipse montanis urbibus auri, argentique feracibus intentus erat, ex quibus nervum belli sibi compararet. Venientem pleræque apertis portis acceperant, inde corraso facto, infectoque auro, & argento, ultra grassari volentem *Vurmius* collectis subito copiis Neosolium non sine clade retrusit. Hanc *Bohamus*
1678. interim obsidione presserat, & præsidiarios omni subsidio destitutos, honestis conditionibus paciscentes, ad Muraniam arcem liberos dimisit.

Dedito Neosolio cum uterque de belli prosequendi rationibus consultat, *Bohamus* e Gallia edoctus est, pacem inter Cæsarem, & regem suum Neomagi coaluisse. Itaque cum illum accepto hoc nuncio ancipitem hærere videret, facile induciarum mentionem fieri admisit. De his ut Sopronii ageretur, Cæsar

ſar deſignatis Strigonienſi Archiepiſcopo, & aliquot Magnatibus conſtituit; adjuncti ſunt Princeps *Fürſtenbergius*, & *Noſtizius*. In primo ilicet congreſſu mora a Paulo *Szalai* Tökölii nuncio injecta eſt, quod videret, Cæſareos nolle prius ad deliberandum accedere, quam exteras copias factioſi dimitterent; Palatinum quidem, ſed adſtricta poteſtate futuris Comitiis eligendum pollicebantur, templa autem, nam id maxime urgebant, quæ ſuo ſumtu ſtruxiſſent, aut poſtea deſignandis locis erigerent, concedi poſſe, non item, quæ Catholicis per vim eripuiſſent. Ad quæ ineunda cum Szalaius non ſatis explicata mandata ſe habere reſpondiſſet, & Tökölius longe remotus apud Tranſſilvanos ageret, re infecta, ſalvis tamen induciis, utrinque diſceſſum eſt. 1678.

Id, ut apparebat, Tökölio non invito factum, qui interea & ſpem auxiliorum a Turcis, & nova pecuniarum ſubſidia, quæ jam priore anno deſtinata erant, ex Gallia in belli alimentum obtinuit. Simulatione tamen, quod viduam Rákóczii ambiens Báthoream ſocrum adverſam experiretur, utendum, & Cæſaris, cujus magna eſſet apud illam auctoritas, opem implorandam eſſe cenſuit, pollicitus ſe & ſacra Catholica amplexurum, & in fide Cæſaris perpetuo futurum, ſi ſponſa potiretur. Hæc Tirnaviam, ubi ad conciliandos factioſos privatus Con- 1679.

ventus agebatur, nunciaverat. Cæſar, qui
1679. ambitioſum hominem non tam conjugi, quam
ejus filii fortunis, quibus ad proſequendum
bellum uteretur, inhiare obſervavit, viciſsim
promiſerat, ſe proximis Comitiis habito cum
regni Ordinibus conſilio, quod e re publica
videretur, facturum, ſi opere ipſo conſtan-
tiam probaret. Ita ſimulator ſua arte delu-
ſum ſe videns ad arma nondum elapſis in-
duciis provolavit, & tripartito exercitu *Ba-
laſium* in Moraviam, *Petroczium* ad Sileſiam
diripiendam proficiſci jubet, ipſe tentato ite-
1680. rum fruſtra Szathmarino *Kesmarkum* dolo in-
tercepit, & Leucsoviam ad deditionem coe-
git. Ferocienti oppoſitus eſt *Caprara*, qui
cum videret, Hungaros non tam ſtatariis præ-
liis, quam celeritate traductis inopinato ad
diverſa loca irruptionibus velitando rem ge-
rere, quos Cæſarei integra copiarum mole
difficulter ubique conſequi poſſent, aliam a
prioribus ducibus gerendi belli rationem in-
eundam ratus, ipſe etiam copias partitus eſt,
cum corpore autem exercitus Tökölio im-
minebat. Hoc modo Balaſium occupato prius
Vago a Moravia avertit, & Petroczius ad
Jablankam profligatus eſt. Tökölius cum vi-
deret Italum ducem nuſpiam, ubi vellet,
pugnæ copiam facere, & tamen quocunque
ſe verteret, lateri ſuo adhaerere, veritus, ne
inſidiis circumveniretur, Caſſoviam ſe rece-
pit. Recedentem Caprara e veſtigio conſe-

quutus,

quutus, recepta Leucsovia, ne quid ultra auderet, fixa ibidem statione in officio continuit. Angulo illo conclusus, cum Apaffius quoque ab eo se retraheret, & militum magna pars non petita missione sensim diffueret, misso Viennam Andrea *Sebestyenio* Episcopo Transsilvaniensi, suo, Vesselenyii, Petroczii, & qui in Transsilvania hærebant, exulum nomine veniam præteritorum flagitabat. Hanc quoque Cæsar, etsi multi fidem hominis suspectam ei reddere conarentur, quietis publicæ causa non censuit negandam, si modo litteris sigillo firmatis pollicerentur, se in Comitatu Ugoosensi, & Bereghiensi positis armis tamdiu quieturos, donec in proximis Comitiis de bonorum, quæ petebant, restitutione secundum juris formam ex Ordinum scito statuatur. *a)* 1680.

IX.

a) Wagner l. 8. p. 551. — 60. Hist. des troubles &c. T. I. l. 6. & 7. Hist. des revolutions de Hongrie T. I. l. 3. p. 277. — 87. Christoph. Dallenduy a Boham, artic. dedition. Neosolii in castris 1678. d. 10. Oct. Libell. supplex exulum ad Cæs. & hujus gratia. Lincii. 1680. d. 31. Aug. Litt. Cæsar. ad Consiliar. Hung. Vien. 31. Mart. Puncta amnistitii inter Cæsarem, & Tököli, in castr. ad. Jolsvam. 15. Nov.

reſtitutione ex legum norma actum iri pol-
1681. licitus, Transactionem, præcipuum litis caput, auctoritate ſua confirmavit, & indulgentior, quam Catholici vellent, locis per Comitatus certo numero deſignatis, jus erigendi templa petentibus conceſsit. Proniora hinc omnia. Si bellum apertum a Turcis ingrueret, ſtatutum, ut præter militiam ſecundum poſſeſsiones, harumque opulentiam pagatim connumerandam, Nobiles arma capeſſant: militi extero tam diu in regno conſiſtere liceat, donec pax cum Turcis in ſolidum coaleſcat, ad quam tractandam Hungarus quoque Cæſaris Legato Conſtantinopolim profecturo ſocius æquata poteſtate addatur; denique poſt peractam V. Idus Decembris Reginæ Eleonoræ coronationem honorarium munus ad teſtificandam animi gratitudinem eidem oblatum.

Nondum finita erant Comitia, cum e Transſilvania allatæ ſunt exulum litteræ: orabant, ut ſibi data erratorum venia, ſalvis, tutis-

---

ad Perſonalis Præſentiæ regiæ in hoſpitio, fideliſsime facta, & celebrata eſt, modo, & ordine ſequentibus: „Et quidem 1. Transactio Viennenſis prima, quæ non videtur in toto concordare cum typis mandata, & articulis Dietalibus inſerta. Hæc ſcripta Transactio, datata eſt Vien. 9. Febr. 1606. ſub A. " &c.

tutisque in patriam regredi liceat; idem regni Ordines illorum causa efflictim petebant. 1681.
Fecisset Cæsar, nisi Tökölii inconstantia illis fraudi fuisset. Eodem enim tempore, quo se, & illos in potestate Cæsaris futuros, anno superiore promiserat, scriptis ad Sultanum litteris, se, & illos, quamquam his inconsultis, obsequio illius addixit. Nihil Vezirio gratius: data confestim ad Moldavum, & Valachum mandata, ut, si Tökölius posceret, ei cum copiis præsto essent, idem Apasio, Bassæ Budensi Ibrahimo, ceterisque *Agis* imperatum. His ille fretus, sub finem Comitiorum, inducias abrumpens, vicinos Comitatus ad resumenda arma incitabat, sed cum a Caprara monerentur, ne Comitiorum tempore causam suam graviorem reddant; frustraneus hic conatus erat, nec Vezirius consilia sua ante tempus prodi æquanimiter ferebat. Itaque ne hoc quoque fulcro, quo se hactenus sustentabat, privaretur, nihil hoc quidem anno ultra tentare ausus est.

Cæsar bellum sibi a Turcis, etsi hi dissimularent, imminere eminus prospiciens, primum fœderi, quod Hollandi cum Sueco inierant, accessit, mox etiam superioris Rheni *Associationi* se adjunxerat, ne, si Turcæ Hungariam designarent, vires distrahendæ essent. 1682.
Decreta quoque Constantinopolim Legatio est: Cura hæc Alberto *Capraræ*, data adjuncto ex Hungaris Gregorio *Pavesics*, qui Internuncii nomine

pacis, quam ut Turcis copias ex Asia, & aliunde cogendi tempus præberet. *a*)

X. Nec Cæsari, cum jam inevitabile bel-
1683. lum sibi a Turcis imminere, & Gallis haud satis fidi posse videret, id ingratum, qui ipse spacium interea ad conquirenda ab Europæ Principibus auxilia nactus est; quorum studia in communi rei publicæ periculo, incredibile, quantum exarserint. Bavari XII. millia pugnatorum, Saxo pene totidem, majore numero copias reliqui Germaniæ Principes polliciti sunt. Pontifex prægrandem auri summam in belli usum, & ejus exemplo Principes quoque Italiæ symbolam suam contulere.

a) Acta Comitior. an. 1681. Act. coronat. Reginæ eod. Lunig. Sylloge negotior. publ. T. II. p. 53—1264. Litt. Capitaneæ ad Comitat. Leutsosov. 30. Maji. Exulum ad OO. Hung. ex Kapos 7. ejusd. Supplicatio OO. pro iis ad Cæs. 9. Jul. Litt. Bassæ Budens. ad Tököli Bud. 20. Maji. Ejusd. ad eund. 30. ejusd. item 2. & 5. Jun. Tököli ad Episc. Transilv. ex Szikszo 22. Jul. Instructio Legator. in Turciam Vien. 15. Jan. 1683. Tökölii concess. cum Saponara in Kapos. 25. Apr. Litt. Begi Neogradien. ad Tököli ex castr. ad Pestum. 1. Jul. Bassæ Buden. ad eund. 30. ejusd. item 2. Aug. & 13. Nov. Tököli ad Comitat. Cassov. 26. Jul. Strasoldi ad has resp. Consulta o bellica Vien. 9. Nov.

tulere. Fœdus præterea, ſi quid Gallus ad Rhenum tentaret, cum Hiſpano, Sueco, & Hollandis ictum. 1683. Eadem de cauſa *Wallenſteinius* in Poloniam miſſus, quamquam *Bethunius* Galliæ Legatus contra niteretur, regem, ut ſocius armorum eſſet, permovit. Conditiones hæ fuere: ut conſociatio ſolum bello Turcico definiatur; quo durante Cæſar LX. rex autem XL. millia ſub ſignis habebunt; ſi Viennam, vel Cracoviam obſideri contingat, alter alteri integris viribus auxilio erit, conjunctas copias ex paciscentibus is ducet, qui in caſtris erit: de ſumtibus, quoniam bellum jam præ foribus eſſet, nec tempus cogendis Comitiis ſuppeteret, hæc ratio eſt inita, ut Cæſar duodecies centena florenorum millia præbeat, detque operam, ut rex Catholicus bona Pontificis venia regni Neapolitani, & Mediolanenſis Ducatus Sacerdotii decimas in Poloniæ neceſsitates converti ſinat: Si ad diſtrahendum hoſtem res diverſis partibus gerenda eſſet, Cæſar ad ea, quæ in Hungaria, & rex, quæ in Podolia, & Ucraina quondam amiſſa erant, recuperanda ſuis quisque copiis utetur, belloque parta ejus erunt, ad quem prius jure pertinebant: Paciſcentes præterea conabuntur, ut uterque Moſcoviæ *Czarus* his pactis accedat, nec cenſeantur hæc prioribus, præſertim de limitibus inter Hungariam, & Poloniam conſtitutis, quidquam derogare, fœdus denique ipſum

duo Cardinales Germaniæ, & Poloniæ Protectores juramento firmabunt. Pactorum tabulas rex Varſaviæ XXXI. Martii, Cæſar Laxemburgi VI. Nonas Maji ratas habuere.
1683.

Nec ſegnius interea res ſuas Tökölius agebat. Concitis Caſſoviam pro XIII. Januarii vicinis Comitatibus, expoſita primum, quas ſuperiore anno geſsiſſet, rerum ſerie perſuadere conatus eſt, ut, cum res Hungariæ vix aliter, quam Turcarum auxilio erigi, ſuſtentarique poſsit, Legatio ad Sultanum decernatur, cujus ope vel honeſtam pacem a Germanis extorquere, vel, ſi elapſis induciis res ad arma veniret, bellum feliciter terminari poſſe, ſperet. Nemine refragari auſo Baſſam Budenſem certiorem reddit, ſe ad finem Aprilis copias ex hybernis educturum, modo ipſe, quod pollicitus erat, ſuos etiam in campo Peſthienſi ſiſteret. Serum id videri, reſponſum eſt, quod Sultanus jam XVI. ejusdem menſis Conſtantinopoli moviſſet, Vezirio Eſzekinum præmiſſo, ad quem ut ſe celeriter conferret, monuit: eſſe enim non pauca, de quibus cum eo prius conſultare cupiat, quam Budæ adeſſet. Verum is invitationem periculo non vacare, ſuſpicatus, Nicolaum *Keczerum* miſit, qui ſuo nomine Vezirium conveniret, Polonos, qui ſuperiori Hungariæ imminebant, quo minus ipſe proficiſci poſsit, cauſatus. Et re ipſa Cæſar a Caprara, qui in Vezirii comitatu erat, per

oc-

occultos nuncios mature edoctus, Viennam designari, *Schulzium*, qui Polonos ad accelerandum iter hortaretur, in Scepusium præmiserat, & Carolum Lotharingum, ut hosti, quoad urbs defensioni aptaretur, moram injiceret, Ujvarinum obsidere jussit. Salus omnis in celeritate erat; rogati Principes, ut auxiliares copias maturent, monitus regni Palatinus, ut Nobiles, hoste jam in visceribus regni grassante, ex legum præscripto excitet. Convenere, qui ripam Danubii meridianam colebant, sed numero pauci, quod Tökölius cum Tartaris alia parte volitaret, & Bassa Budensis Jaurino minaretur. Lotharingus ex locorum positu, & itineris ratione Viennam peti nihil dubitans, soluta obsidione, ripam Danubii relegens sensim in Austriam evasit, & ex oppositu Viennæ constitit. Jam Cæsar inde securitatis causa Lincium discesserat, relicto, qui urbem defenderet, Rudigero *Stahrenbergio*, viro impigro, & cui præcipua servatæ Viennæ laus debetur. 1683.

Hoc loco res erant, cum pridie Idus Julii collucentes undique flammæ hostis adventantis indicium fecere. Idem obsidionis initium fuit. Præsidiarii cum hoste, qui supra CCC. millia ducebat, comparati numero pauci, nec enim vicenis millibus plures erant. Sed virtus pro copia fuit. Hac hostium frequentes assultus, cuniculi, proditio, fames,

1683. & quæcunque exitium minabantur, incredibili fortitudine, & ſpe proximi auxilii ſuperata ſunt. Jam in tertium menſem obſidio tenuerat, cum ſenſim confluentibus ex Imperio auxiliaribus copiis, Joannes Caſimirus ex pacto quadraginta Polonorum millia adduxit, caſtris ultra Cecium montem defixis. Opportunum id obſeſsis erat, rerum omnium penuria jam laborantibus. Prælium igitur a ducibus unanimi conſenſu ad XII. Septembris decretum, nec minori virtute, quam fortuna geſtum eſt. Pugna ſuperato Cecio monte a primo diluculo ad veſperam producta eſt; hoſtis victus, & fugatus, urbs liberata, & cum hac Germania, & Hungaria ab exitio ſervata. Victoriæ fructus pene ſupra fidem: præter LXX. millia, quæ hoſtis amiſerat, ſupellex omnis caſtrorum occupata, & in hac trecenta variæ formæ tormenta, centum tentoriorum, boum decem, & quinque camelorum millia, orizæ, frumenti, & fabæ Turcicæ vis tanta, ut inde potus hic exoticus credatur per Germaniam invaluiſſe.

Rex ſalutato, qui interim Viennam advenerat, Cæſare, primum fugientium veſtigiis inſtitit, mox conſequutus Lotharingus, cæſis ad Parkanum Turcis, Strigonium tridui obſidione in poteſtatem redegit, Vezirio citatis itineribus usque Belgradum profugo. Tökölius, qui a clade Viennenſi in ſuperiorem Hungariam cum ſuis ſe receperat, ſpe

ſua

ſua fruſtratum ſe videns, animoque fluctuans, pacemne a Cæſare precario peteret, an bellum Conſtantinopoli urgeret, utrumque experiri ſtatuit. Hoc apud ſe conſtituto, Georgium *Várányi* Conſtantinopolim ad Galliæ regis oratorem, & Sigismundum *Homonnai* cum Paulo *Szepesi* ad Carolum Lotharingum miſit, ut, ſi apud Turcas repulſam pateretur, hic ſpem gratiæ obtineret, Homonnaio commonito, ut rege ſeorſim convento hujus opera, & patrocinio ad hanc obtinendam uteretur. Lotharingus, qui mandata a Cæſare habebat, ut pacem, ſi tutam, honeſtamque cenſuerit, ineat, regem cauſam Tökölii perorantem libenter audivit, ſed, cum conditiones proponi intellexit, quas ne victor quidem dictaret, aſpernatus petentes, non ante pacem ſperari poſſe, reſpondit, quam Caſſovia Cæſareum præſidium admitteret, id argumento ſibi futurum, illos ſerio animum ad conciciliationem adjeciſſe, quod cum illi a ſe præſtari non poſſe dicerent, nuncios dimiſit, & rex ipſe quoque videns poſtulata nec dignitati Cæſaris, nec tempori reſpondere, ſuos in hyberna deduxit, parte militum Cibinii, & in vicino agro, qui civibus præſidio eſſent, relicta. *a*) 1683.

a) Londorp. T. XI. p. 536. Lunig Part. ſpec. p. 485. Dogiel. diplomat. Polon. Tom. I. pag. 337.

XI. Hos Tököliu̇s excitis Caſſovia, & Eperieſſo copiis, ipſa hyeme agreſſus cum nihil proficeret, miſſo Cracoviam *Várányio* regem orabat, ut ſui, ſuorumque patrocinium rurſus apud Cæſarem ſuſciperet. Fecit, quod rogabatur, & Cæſar, ut amico regi deferret, promulgata pridie Idus Januarii amneſtia Poſonium deſtinavit, quo omnibus reſipere volentibus liber, tutusque aditus eſſet, bonorum omnium, dignitatis, famæ, & honoris reſtitutionem interpoſita fide regia pollicitus, ſi ad finem Februarii juramentum fidelitatis præſtiterint, contra autem, qui oblatam gratiam reſpuerint, pœnas in contumaces lege decretas comminatus. Reſipuere quam plurimi, quos partim fœderis Turcici pudebat, partim belli incommoda terrebant, & inter hos XIV. optimates, Comitatus ſeptem & decem, regiæ urbes duodecim, eratque tantus

1684.

337. — 41. Petri a Velkern Diar. Vien. obſeſſæ Dan. Suttinger. obſidio Viennen. apud. Lunig. Sylloge &c. T. I. pag. 1282. Wagner l. cit. ad h. an. p. 591. — 631. Inſtructio pro Legatis Tökölii. Caſſov. 28. Jan. Litt. Baſſæ Buden. ad Tököli. 16. Apr. 24. & 30. Maji. 6. 15. 29. Jun. & 7. Jul. Regis Pol. ad Magiſtrum Ord. Melitenſis, Vien. 13. Sept. Caroli Lotharingi ad regem Pol. ex Szügy 10. Nov. Diar. Ms. rer. geſtar. in. Hung.

tus sensim confluentium numerus, ut Tökölius se penitus deserendum metuens, didito 1684. per Europam scripto, cui nomen *Manifesti* indiderat, *a*) Cæsaris famam criminari nil vereretur, illo maxime exacerbatus, quod Hungariam anno superiore Turcis tributariam despondisse diceretur. Acerbe propterea etiam Pontifici per litteras questus est, Deum contestatus, se nihil unquam voluisse in Catholicæ religionis præjudicium agere, aut molitum fuisse, conatus suos illo solum hactenus spectasse, ne Hungaria libertate privata in regnum hæreditarium convertatur. *b*) Cum hanc quoque machinam incassum a se admotam videret, Adrianopolim ad Sultanum se contulit, ut cum oratore Gallo, cujus consiliis hactenus nitebatur, de rebus suis conferret.

Cæsar, qui inquietum hominis ingenium nosset, ne quid sibi illic incommodaret, fœdus cum rege Poloniæ, Venetis quoque in societatem accitis, instauravit, his conditionibus Pontificis opera firmatum: bello non ante finis esset, quam Cæsar Hungariam, rex Camienecum, & Veneti Peloponnesum recu-

a) Clausula illius hæc est: *Scriptum anno* 1684. *exilii nostri, persecutionisque* 15.

b) Finit in hæc verba epistolam: *Ejusdem sacratos pedes humiliter exosculor.*

perent; Cæsar, & rex quanto possent nume-
1684. ro militem alant, Veneti classem mari, & Dalmatiæ copias immittant, pax ne fiat, nisi communi consensu, laboranti socio ceteri opem ferent: hæc III. Nonas Martii communi nomine, & stipulatione transacta sunt, serius postea difficultas de Dalmatia vetusto jure ad Hungariam spectante in hunc modum diremta: ne Venetis ex ea plus accederet, quam quod armis jugo Turcico eriperent. Quo consensu fœdus percussum, eodem, & pari alacritate apparatus undique facti; & cum Cæsar ad distrahendum hostem bellum trifariam geri cuperet, Schulczio superior Hungaria, Sclavonia Lesleo, & Lotharingo Buda destinata fuit. Tökölius ad suos interea reversus, iterum ad Cæsarem nuncium misit, qui viam ineundæ concodiæ tentaret; rejectus est, quod, dum oblata erat, gratiam temere aspernatus fuisset, nec, quem
1685. Apafius eadem de causa miserat, auditus.

Rebus omnibus profectioni comparatis copiæ Strigonium deductæ, inde capto Vissegrado, & profligatis ad Vacium Turcis, transmisso Danubio Buda obsessa est, non tamen, ut spes erat, felici exitu terminata. Quamvis enim *Seraskierus* obsessis subsidio veniens, commisso ad *Hansabegam* prælio fractus, & Eszekinum retrusus fuerit, longius tamen jam tempus provectum erat, quam ut expugnandæ arcis certa spes esset. Copiæ igitur Strigo-

nium

nium nullo accepto damno reductæ. Felicius alibi res gesta. Lesleus Verovicziam in Croatia, & Barnpham Schulczius factiosis aliquoties profligatis occuparunt, utrumque commodo deinceps usui Cæsareis futurum. Ipsa etiam hyeme victi ad Neogradum, & rursus ad Vacium Turcæ, nec destinatio recuperandæ Budæ penitus posita, errorque anni prioris, quod Ujvarinum a tergo relictum fuisset, correctus. Huic obsidendo Lotharingus jam multo ante omnia rite comparaverat, & VII. Julii exercitum admovit. Superata crebris verberationibus fossa res jam ad assultum spectabat, cum *Seraskierus* adventare ferebatur: huic Lotharingus relicto in castris Caprara obviam profectus, postquam pugnæ cupidum ad iniquiora loca pellexisset, ingenti clade affectum in fugam conjecit. Victoriæ fructus erat, occupatum levi assultu Ujvarinum, & non multo post Neogradum etiam interceptum. Nec segnius res in superiore Hungaria gestæ. Schulczius occupato Tokaio, Kalloensi arce, & Tökölio castris exuto, Eperiesinum deditione recepit. Magnæ prædæ instar fuit arcula argentea Tökölii, & in hac variæ ad eum datæ epistolæ, ex quibus cum ejus consilia paterent, designationes suas postea mutare coactus est, etsi non alio operæ precio. quam quod concives suos Cæsari addictos ferro, & flamma persequeretur. Cassoviæ vim admovere Caprara para-

1685.

1685. parabat, pluvio jam autumno parum profecturus, nisi urbis Gubernator Tököliuin a Varadinensi Bassa, velut injusti belli, & tot cladium autorem in vincula conjectum, & Adrianopolim duci jussum, comperisset. Inde urbs dedita, cujus exemplo Patakinum, Ungvarinum, Regeczium, aliaque oppida se Cæsaris fidei permisere. Factiosi animo dejecti cum nihil sibi melius, quam Tökölio factum, viderent sperandum esse, *Petnehdzio*, Tökölii Legato, auctore cum Caprara agebant, ut eo interprete veniam præteritorum obtinerent. Cæsar flecti se passus Capraræ Petrum *Korompai* Episcopum Agriensem, & Comitem Stephanum *Csáki* cum Schulczio adjunxit, qui ad obedientiam redituris, accepto prius fidelitatis juramento, Nobilitatis, honoris, famæ prærogativam, & bona restitui juberent, illis solum exceptis, quæ aut dono, aut pignori data fuissent, quæ tamen, ubi tranquillitas regno restituta fuerit, vel redemtum, vel aliis compensatum iri pollicerentur. *a)*

XII.

---

a) Dogiel. l. c. Tom. I. pag. 342. — 48. Wagner l. 9. toto. Litt. regis Pol. ad Tököli 1684. d. 10. Januar. Amnestia general. a Cæsar. data Lincii 12. ejusd. Manifestum Tökölii s. d. Hujus a Cæsareis refutatio. Litt. Tökölii ad Pontif. Cassov. 12. Apr. Amnestiæ alterius condition. Wien. 9. Nov. 1685. Veterani Feldzüge cum additamentis. Dresdæ 1788. p. 17. — 24.

XII. Recuperato Ujvárino, ceterisque anno superiore in potestatem redactis urbibus, factiosis item in fidem receptis, propositum obsidendæ Budæ resumtum est. Principes Imperii certatim copias suas in hunc finem Cæsareis conjunxerant, unus restabat Elector Brandenburgicus, qui cum in ære Gallicano esset, aliquamdiu moras trahebat, donec exactis e Gallia *Hugonottis* ob religionis communionem, quæ in utramvis partem magni semper momenti esse solet, offensus, Cæsari icto in XX. annos fœdere se adjunxit. Fœderis hæc præcipua, ut huc quidem pertinent, capita fuere: alter alteri, si bellum ingruet, auxilio erit: Cæsar octo Peditum, Equitum quatuor millia Electori, hic vicissim Cæsari Equitum duo, sex Peditum suis quisque stipendiis alenda suppetias mittet: pacis tempore centum florenorum, bello autem durante totidem *Thalerorum* millia Electori Cæsar sumtus præbebit: illud præterea adjectum, ut, si Hispaniæ rex hærede destitutus obiret, & successionis in terras illius causa, nec enim obscurum erat, regem Galliæ huic prædæ inhiare, bellum esset gerendum, Elector arma Cæsari consociet. 1686.

Non poterant hæc ita clam agi, quin eorum indicium Constantinopolim perveniret. Pares igitur a Sultano copiis undique coactis apparatus facti, dimissus vinculis Tökölius, designata illi ex Turcis, & Tartaris

ad

ad faciendum diverticulum pars exercitus,
1686. omnia denique ad formidabile bellum comparata. Prævertit hoſtem Lotharingus, & Budam XVIII. Junii circumſedit. Lenta, & difficilis oppugnatio fuit, nec ante IV. Nonas Septembris, Vezirio ſemel iterumque profligato, poſt cruentum in ipſa urbe certamen, arx in poteſtatem noſtrorum venit, poſtquam ſesqui ſeculo jugum Turcicum toleraſſet. Præcipua laus recuperatæ Budæ penes Lotharingum, & Maximilianum Bavariæ Ducem fuit, qui fortuna, & metu hoſtis uſuri diviſo cis, ultraque Danubium exercitu, Turcas fugientes inſequuti *Szegedinum*, *Quinque-eccleſias*, *Siklosinum*, & *Kaposvárinum* partim vi, partim deditione occuparunt.

Vezirius capiti ſuo metuens Legatos ad
1687. *Caraffam*, qui pro Lotharingo hybernis præerat, de pace acturos miſit, pollicitus damna omnia penſanda, quin ſi neceſſe eſſet, Tököliurn etiam ſupplicio dedendum eſſe. Re Viennam perſcripta reſponſum eſt, Cæſarem a pace non abhorrere, ſi Sultanus ad ſarciendos belli ſumtus numeratis ſex aureorum millionibus loca omnia Hungariæ decerpta reſtituerit, Polonis præterea, & Venetis ſatis fecerit; hæc ſi, ut apparebat, negarentur, Vezirium ſpe pacis tam diu ſuſtentaret, donec, quo Gallia molitionibus ſuis vellet evadere, compertum eſſet, a qua cum nihil hoc anno imminere videretur, Cæſar, ne hoſtis

ſtis ſpacium ſui colligendi haberet, bellum [redacted]
proſequi conſtituerat, cum duæ res moram 1687.
inopinato injecere. Tökölius extrema tentaturus plebem ad res novandas incitabat, urbesque Auguſtanæ, & Helveticæ confeſsioni addictas eodem malo afflaverat in ſeditionem proruptaras, niſi Caraffa certis indiciis edoctus, ex comprehenſis incuſſo tormentorum metu omnem conjurationis modum comperiſſet, & Cæſari ſignificaſſet, qui lenitatem ſuam toties contemni videns, ſeverioribus remediis utendum ratus, tredecim ex Hungaris & Germanis, tam Proteſtantibus, quam Catholicis Judices, qui in reos agerent, delegit. Cognitione ex legum præſcripto facta, octo ex convictis, ut ceteris exemplo eſſent, in principe Eperieſini foro amputata dextra ſupplicium capitis ſubiere. Inde nomen Caraffæ in terriculamentum abiit, quo infantes a ploratu etiam hodie contineri ſolent. Tökölius mature periculo ſe ſubducens cum Munkacsinum, quod obſidione jam premebatur, evadere non poſſet, Varadinum ad Turcas profugit. Periculoſior altera, qua Budam fere amiſeramus, proditio fuit. Conrado *Finkio*, legionis Salmianæ Procenturioni, genere Boruſſo, duæ virgines Turcæ occupata urbe in prædam ceſſere, de quibus redimendis dum crebro cum Albenſi Baſſa per litteras agit, lucri cupidine abreptus, Budam duo aureorum millia pactus

ſe

se proditurum recepit. Detectus rustici indicio, quæstioni subjectus, & convictus, palo per
1687. corpus adacto pœnam avaritiæ, & perfidiæ luit.

Lotharingus interea lustratis copiis sexaginta octo millia sub signis reperit, non accensis Croatis, & Hungarorum Equitatu. Diu deliberatum est, Albæne, an Temesvarino tantus exercitus admovendus esset, vel recta Eszekinum ad viam sensim Belgradum parandam ducendus? hoc Cæsari præ aliis probatum, quo occupato & Sclavonia tuta ab hoste redderetur, & facilis præterea, si usus ferret, in Transsilvaniam esset aditus. Igitur castris Strigonio motis, nemine obsistente *Dardam*, & hac occupata Dravo transmisso, prope Eszekinum mense Julio ventum est. Jam Vezirius castris obvallatis magis se istic firmaverat, quam ut aggresionem Duces tentandam censerent. Viam proinde, ut hostem ad æquiora pugnæ loca prolicerent, relegunt, id ille metum interpretatus, & recedentes inter Mohacsium, & Siklosinum consequutus, pugnæ occasionem non tam præbere, quam extorquere videbatur. Ventum est ad manus XII. Augusti, & prælio ad noctem producto hostis in apertam fugam castris relictis conjectus. Præda ditissima reperta, & in hac aliquot epistolæ Apafii, ex quibus cum hostis consilia paterent, *Dunevaldo*, ut fugientis hostis vestigia premeret,

Ve-

Veteranio, ut ad Tibiscum excubaret, & Agriensem obsidionem tutaretur, mandatum, 1687.
Lotharingus trajecto ad *Sexardum* Danubio in Transsilvaniam cogitabat. Habuit a Cæsare in mandatis, ut cum Apafio, & provincialibus amice transigat, &, si sponte se dederent, leges, religionem, & immunitates nomine Cæsaris salvas, integrasque servatum iri, promitteret, contra autem, si refragarentur, arma ostentaret. Obsequentes, etsi cum aliqua tergiversatione, habuit: Claudiopolis, Cibinium, & reliquæ urbes in fidem receptæ. Eodem successu res alibi gesta; Eszekinum, quod Turcæ deseruerant, a Dunevaldo insessum; *Valkovario*, *Carloviczia*, & *Posegæ* præsidia imposita, solum *Munkácsinum* deditionem morabatur.

Felici hoc rerum successu, quo hostis usurpata tot annorum possessione dejectus, & regni fines exiguo tempore prolati sunt, Cæsar ad motus intestinos penitus componendos uti volens Comitia, ad XVIII. Octobris Posonium indixit. Duo erant præcipue, quæ, ut ad optatum finem adducerentur, Ordinum deliberationi proposuerat: primum in medium consulerent, qua ratione litigium de *electione*, quoties novo regi solium adeundum erat, ita componi possit, ut nec libertati vis fiat, nec Comitiorum tempus inutiliter, & cum fastidio propterea in plures menses, quam leges sinant, deinceps prorogari, necesse

cesse sit. Alterum viderent etiam, quid de
1687. ultimo Decreti Andreæ II. capite censerent? constare enim, hoc præcipuam hactenus motibus intestinis causam præbuisse, hoc scuto omnes, qui a Bocskaii tempore arma in regem corripuerant, usos fuisse, hoc factiosos violata jurisjurandi religione eo adduxisse, ut vivo rege legitimo alium eligerent, hoc denique occasionem dedisse Turcis, ut sensim in regnum irrependo præcipuam ejus partem sibi subdiderint, ademerint Nobilibus bona, aut certe tributis ita onerarint, ut Nobilitas nihil jam a plebe differret, quo fiebat, ut, dum libertatem regni læsam querebantur, hanc, quæ in personarum indemnitate, proprietate rerum, harumque libero usu sita est, re ipsa amitterent.

Graviora hæc erant, quam ut omnes in eandem sententiam conspiraturi viderentur. Nam si jure electionis se sponte privarent, regnum hoc ipso hæreditarium declarari, oportebat, cujus vel sola mentio aliquorum aures, inter quos aliquot etiam Episcopi, adeo offenderat, ut secessionem fere a Comitiis pararent, nisi potior pars scopulum hunc jam anno superioris seculi quadragesimo septimo, dum regni Ordines communi suffragatione Ferdinando regi, hujusque hæredibus in omne tempus se subdiderant, superatum esse, ostendisset; æquam igitur rem, & quam Domui Austriacæ universa Natio olim libere stipu-

lata

lata fuiſſet, ſed quæ initio hujus ſeculi eorum [redacted]
malevolentia, qui prætextu propugnandæ li- 1687.
bertatis ſuum, non regni, commodum quære-
bant, in dubium vocata fuerit, Cæſarem pe-
tere, quæ deinceps & tricas ad vivum reſe-
caret, & regno interceptam tot annis tran-
quillitatem reddítura eſſet. Inclinabant jam
plerique, qui prius adverſabantur, in hanc
ſententiam, ne penitus tamen ſe electionis
jure viderentur ſpoliare, illud ſaltem age-
bant, ut, ſi plures filios rex haberet, inte-
grum ſit Ordinibus, quem ex his vellent,
optare: contra nitebantur alii, malum hac ra-
tione non tolli, ſed augeri, jacto de indu-
ſtria inter regiam familiam diſsidii ſemine,
quod non poſsit non ſenſim etiam in ipſum
regnum redundare. Valuit non tam ſuaden-
tium auctoritas, quam æquitas rei, ut ad
conteſtandam pro liberata maximam partem
a jugo Turcico Hungaria animi gratitudi-
nem lex communi conſenſu ederetur, qua
Ordines ſe, poſterosque ſuos, non alium,
quam qui ex Cæſaris, ejusque poſterorum
ſanguine legitima propago, idemque primo-
genitus eſſet, regem, & dominum ſuum agni-
turos obſtrinxerant, ſi de immunitatibus re-
gni illibate ſervandis conſueta juramenti for-
ma ſecuritatem præſtiterit, expuncta tamen
ſolita regi reſiſtendi licentia, quod hactenus
& ſiniſtræ interpretationi, & divinis æque,
ac humanis juribus convellendis anſam præ-

buisset. Idem successionis jus, eademque ratione in casu deficientis prolis masculae ad natu maximum familiae Hispanae extensum fuit. Caesar vicissim gratificandi causa sanguinarium Eperiesini tribunal aboleri, & Caraffam, cujus saevities omnibus abominationi erat, loco moveri jussit. Amnestia, exceptis solum Tökölio, & qui in contumacia perseverarant, universe promulgata, & rem religionis, quod nec tempus suppeteret, & altercationi occasionem datura videretur, eodem, quo in Comitiis Sopronii constituta erat, loco relinquere visum est. His constitutis Josephus Caesaris primogenitus, vixdum nonum aetatis annum egressus, IX. Decembris rex inauguratus est. Celebritatem ejus diei auxit allatus de Agria recuperata nuncius, vel ex eo capite laetissimus, quod in ea regni parte praeter Varadinum, & Temesiam nihil jam Turcis reliquum esset. a)

1687.

1688.

XIII. Post Agriam recuperatam Munkácsinum quoque in potestatem XIV. Januarii his conditionibus redactum: Princeps Rákóczia cum prolibus Viennam se conferet, un-

de

---

a) Wagner. l. 9. Theatr. Europ. T. X. pag. 105. — 9. Hist. des troubles &c. T. IV. l. 21. — 24. Hist. de revolutions &c. T. I. l. 3. Anecdotes de Pologne T. II. p. 46. Happel hist. belli inter Imp. & Turcas ad an. 1686. Vi-

du

de egredi ei non licebit, nisi conscio Cæsare, qui Francisci filii tutelam deinceps geret: 1688.
jus dotale a marito inscriptum, sine orphanorum tamen præjudicio, salvum, integrumque ei relinquetur, bonis Tökölii in Fiscum redactis: insignia, quibus idem a Turcis Princeps declaratus est, una cum gemmis, & quas ab aliis acceperat, litteris Cæsari tradentur, inter quas si documenta reperta fuerint, quæ ad bonorum possessionem spectant, hæc iis, ad quos pertinent, restituentur, si præstito fidelitatis juramento se domi continuerint, nec ad factiosos transierint; denique fas sit Principi, Tökölium de deditione per nuncium edocere. His utrinque firmatis præsidium Cæsareum XVIII. Januarii Munkácsino impositum est, frendente Tökölio, qui amissæ conjugis dolore, & jactura bonorum exacerbatus, missis ad Varadinensem, & Temesiensem Præfectos, quin ipsum etiam Vezirium nunciis, Sultanum in Cæsarem concitare nitebatur. Serum id erat, quod Vezirius clades superioris anni capite luere, & Mehmetus Sultanus orta seditione

 in

du Comte de Tököli. p. 209. Acta Comitior. an. 1687. Cod. jur. patr. ad a. eund. Litt. Vezirii ad Herman. Badensem prope Varadin. Hujus ad illum resp. Vien. 17. Jan. Propositiones Cæs. ad Status. Poson. 31. Oct. Sententia judicii delegati in reos. Eperies. 3. Mart.

[redacted] in carcerem detrusus fratri Solymanno locum
1688. cedere, coacti fuissent. Ad malum hoc intestinum accessere extera; quæ spem auxilii Tökölio penitus ademerant: Apafius Caraffa autore tributum annuum negavit, nunciatum præterea, Albam regalem, Titulium, & Lippam a Cæsareis occupatas esse, confluere ex Germania ad Eszekinum magno numero copias, Belgradum eo apparatu forte designari, ex Sclavonia Badensem Bosniæ, Veteranium Serviæ ex Transsilvania imminere; re ipsa Belgradum apparatus spectabat.

Copiis, quæ præter Hungarorum, & Croatarum legiones ad LIII. millia excreverant, Elector Bavarus pro Lotharingo, quem febricula domi retinuerat, summo imperio præfuit. Motis Eszekino castris, & Savo trajecto Semendria primum capta, mox Belgradum XI. Augusti obsidione cinctum, & VIII. Idus Septembris post cruentum certamen occupatum est. Metu inde ad Turcas, qui obsessis subsidio venerant, aliosque late propagato, perpetuus fere victoriæ cursus fuit: Veteranius intercepto *Karansebeso*, & deserta ab hoste *Orsova, Novigradum* profectus Tökölium, nisi incenso eo oppido Vidinum celeriter se recepisset, pene interceperat. Badensis post hostem *Gradisca*, & *Dubicza* exactum, insigni ad Savum victoria potitus *Banyalucam* militi diripiendam dedit, tum Bosniam populando percursans, ut Savum ab

in-

cursionibus tutum præstaret, communito novis operibus ad Drinam *Zvornico* præsidium imposuit. Parte alia Elector reparato utcunque Belgrado, Nissam, & Nicopolim cogitabat, cum allatum de occupato a Gallis Philippoburgo nuncium eam destinationem interrupit. Constituto itaque Belgradi Gubernatore Stahrenbergio, & militia ad Moravam amnem, ut Hungariam onere hybernorum levaret, in stativis locata, domum ad tuendas suas ditiones rediit. 1688.

Palam erat, Gallum non alia de causa bellum rupta pace inchoasse, quam ut Turcis, quos Veneti in Dalmatia, & ad Negropontum, Poloni in Ucraina, & Mosci ad Crimeam premebant, spatium respirandi daret, & Cæsaris conatus interverteret. Id ut ei invidiam apud plerosque Europæ Principes conflaverat, ita non paucos ex his Cæsari fœdere conjunxit. Electores Bavarus, Saxo, & Brandenburgicus primi fuere, mox Belgium fœderatum, serius dein Anglia quoque accessit; quorum consociatione repressa Galli cupiditas, & pleraque ad Rhenum recuperata. Eadem fortuna Badensi res adversum Turcas cessit. Szigetho ipsa hyeme in potestatem redacto, & negata, quam petebant, pace, copias Nissam duxit, quam victo per iter ad *Patossinum* hoste nullo pene negotio cepit. Inde Vidinum, quo Tökölium recessisse compererat, tendens, serius, quam vellet, 1689.

 ad-

aderat, quod optima præda Tökölius jam
1689. *Silistriam* fuga se subduxisset. Vidino occu-
pato *Fetislava*, *Novibazarum*, *Cossova*, & quæ
Sophiæ proxima est, *Pistrina* in potestatem
venere, & fines ad Albaniam prolati; sex
legiones Vidino in Valachiam hybernatum
missæ, ut Tökölium Transilvania exclude-
rent.

Nec hic solus Nissensis prælii fructus erat. Sultanus fortunam Cæsaris veritus, & Asiaticos seditione vixdum sopita anxius, rursum Legatum Viennam misit, qui pacem consueta, dum res in angusto sunt, forma: *uti possidetis*, offerret; Transilvaniam pristino Cæsaris juri permitteret, illud solum conaretur efficere, ut Temesia pro Belgrado permutetur. Re in consultationem adducta multi censebant, non negligendam esse temporis opportunitatem; quandoquidem non minus utiles, quam honestæ conditiones sponte offerrentur, & pacato hac parte hoste vis omnis in Gallum converti posset. Si Belgradum pro Temesia permutandum sit, petendam esse Valachiam, qua, si quæ sit, Belgradi jactura compensetur. Contra alii, qui ex relatis hactenus victoriis spem recuperandæ Bosniæ alebant, speciosa præ utilibus amplexi, ut Legati re infecta remitterentur, auctores fuere, quos deinde, ubi fortuna

non

non nihil adversi fuit, depropérati consilii poenitudo subiit. *a*)

XIV. Dimissis cum repulsa Legatis bellum utrinque recruduit, Caesareis minus, quam ante, fortuna propitia. Nam *Strassero*, cui absente Veteranio Nissae cura credita fuit, a Tartaris circumvento, & internecione cum suis pene deleto, metus ad reliquos etiam ita propagatus, ut Dux Holsatiae, qui hybernis praeerat, copias ex locis defensioni minus idoneis Nissam contrahere cogeretur. Jacturam *Canisa* IX. Aprilis dedita utcunque reparasse videri poterat, nisi mors Apafii, quae in XIV. ejusdem mensis inciderat, curas nostrorum in Transsilvaniam convertisset. Provincialium pars in Michaelem defuncti filium, pars alia in Tökölium inclinabat. Illi Caesar, huic Sultanus favebant, qui, ut Caesareos a jugulo suo averteret, Tökölium cum XVI. millibus in Transsilvaniam, Vezirium, & Seraskierum bipartito exercitu Vidinum, & Nissam, tum, si res feliciter succede- 1690.

a) Wagner l. c. l. 10. & 11. Theatr. Europ. T. XIII. ad hos annos. Ricaut hist. des Turcs ad an. eosd. Du Mont corps diplomat. T. VII. P. II. p. 227. Lunig. Cod. Germ. diplom. T. I. p. 771. & P. special. continuat. 1. p. 804. item Sylloge P. II. p. 336. — 39. Artic. dedit. Munkács. 14. Jan. 1688.

1690. cederet, Belgradum junctis copiis tentare jussit. Id cum a Turcis studiose in vulgus spargeretur, et nostros, qua parte primum incubituri essent, incertos redderent, *Heuslerus* Orsovam, *Veteranius* Nissam extemporaneo opere muniri, & Præfectos, quibus Vidinum, Jagodina, & reliqua ad Moravam loca credita erant, non prius, quam vis, cui resistendo impares essent, ingruat, incensis, aut dirutis munimentis suos Belgradum subducere jussit. Cum hæc ex præscripto Ducum fiunt, Tökölius cum Turcis, & Tartaris ex Valachia in Transilvaniam irrumpens Heuslerum sibi occurrentem prælio victum cepit, & *Doriam* eodem tempore captum, ac precio a Tartaris redemptum Viennam misit, qui Cæsari referret, non ante utrumque dimittendum, quam uxor cum prolibus, & bonis sibi redderetur. Verum ante, quam responsa Vienna adessent, Badensis post lustratas ad Belgradum copias, trajecto ad Semendriam Danubio torrentis instar Transilvaniæ infusus ex victoria ferocientem in Valachiam retrusit, proscriptisque ejus asseclis, & pupillum in Principatu confirmans, tributum Turcis pendi solitum in stipendia militum convertit.

Turcæ interea propinquantes Vidinum, & Nissam in potestatem redegere, rectaque Belgradum, cui *Aspermontius* præerat, profecti arcem ipsis Calendis Octobris obsederunt.

rumt. Præsidiarii, quorum non plures tribus millibus, & ducentis fuere, nihil hostium multitudine territi, stationem fortiter tuebantur, dum paucorum Gallorum proditione, qui supposito pulveris nitrati conditoriis igne ad hostem defecerant, arx pene tota spectante Croyo duce in auras evibrata hosti cessit. Arcis jactura plures eodem malo involvit; trans Danubium Orsova, Karansebesum, Lippa, & Lugosinum, ad Savum Broda, Posega, & Velika amissæ sunt, invidia in eos, qui pacem nuper dissuaserant, redundante, Essekinum Stahrenbergii virtute, & Transsilvania Veteranii vigilantia servatæ. *a)* 1690.

Vezirius prospero successu illectus, ne hyeme quidem cessationem suis indulsit, dimissis quaquaversum turmis, quæ nostros infestarent, non tamen ultra velitationes, alterna utrinque fortuna, conatus processere. Majora ausus Tököllius: æstate media in Transsilvaniam cum Turcis irrumpere parabat, sed Veteranii, qui recuperata interim Lippa in omnem partem excubabat, vigilantia territus, & in castra Vezirii, qui Badensem adventare compererat, Semlinum accersitus 1691.

a) Theatr. Europ. T. XIII. ad h. a. Wagner P. II. l. 11. Cæsar. Litt. ad Albanos. Vien. 21. Aug. Aspermontii ad Viennen. Consiliar. Belgrado. 9. Oct.

situs ab ea destinatione destitit. Badensis,
1691. ut Petrivaradinum venit, motis castris Semlinum progressus cum videret, Vezirium magis obvallatum, quam ut sine periculo aggressionem tentaret, receptum simulans e vallis elicuit, & conserta difficili plurium horarum pugna victum, captis, caesisque, inter quos ipse Vezirius, triginta millibus, & castris occupatis Turcas trans Savum rejecit. In praeda praeter aerarium castrense CXLV. tormenta, signaque militaria, ingens annonae, & jumentorum copia fuit. Badensis relicto cum copiarum parte ad Savum Duce *Croyo*, qui Gradiscam interea, Brodam, & Posegam recuperaverat, ut aliquid praeterea emolumenti ex victoria caperetur, *Castellium* jussit Varadinum, ne quid annonae inferretur, lenta obsidione premere, & Tökölium observare, qui spe obtinendae Transsilvaniae dejectus, non tam hujus, quam recipiendae uxoris solicitus, iterum *Obrium*, qui de illa cum *Heuslero* permutanda ageret, ad Caesarem misit, septem aureorum millibus, quae addi petierat, conjugem minoris captivo aestimans. Caesar, quod hujus opera deinceps etiam uti vellet, & Transsilvania sponte ad officium redeunte nihil periculi a Tökölio jam esset, uxorem cum depacto precio, retentis prolibus, petenti remisit.

Transsilvaniae in fidem recipiendae cura Veteranio credita est, qui convocatis provincia-

cialibus proposuerat, Cæsarem edito diplomate, & vulgata amnestia immunitates quondam ab Hungariæ regibus concessas omnibus confirmasse, regiminis autem formam hanc constituere, ut Gubernatori Georgio *Bánfi* duodecim Consiliarii adderentur, ceterum in prisca Comitiorum ratione, municipali jure, legibus, commercio, aliisque trium Nationum consuetudinibus nihil omnino immutatum velle, religionum præterea, quæ civitate jam donatæ essent, libertatem ratam habere, inclusis etiam Catholicis, quibus Claudiopoli, Albæ Juliæ, &, si numero sensim crescerent, etiam alibi templa erigendi, vel instaurandi jus esset: tributi autem pensionem ita esse digestam, ut pacis tempore quinquaginta *Thalerorum*, bello autem ingruente quadringenta florenorum millia partim ære, partim annona, hujusque vectione præstent. Subscripsere non inviti, solum religionis negotium deliberationem in sequentem annum produxit. 1691.

Interim, dum Transsilvani religionis causa litigabant, Heuslerus e captivitate dimissus Varadinum recuperavit, dedititiis illo usque retentis, donec Turcæ Cæsareos, quos *Pesoabaræ*, quam specum *Veteraniam* postea dixere, contra datam fidem detinuerant, redderent. Varadino occupato spes pacis eminus orta, de qua Galli clam primum cum Anglis, & Hollandis, hi deinde, quod Cæsa- 1692.

ri

ri fœdere connexi essent, inter hunc, & Turcas ineunda agebant. Adrianopoli id nego-
1692. tium *Pagheto* Angliæ, & *Hemskerkio* Hollandorum oratoribus est creditum, sed Vezirius utrumque, quod objecta spe reddendi a Polonis Camenieki hos a communi fœdere abstrahendos sibi persuaderet, indecore repulit. Itaque cum rursus ad bellum utrinque res spectare videretur, Cæsar Croyum, quod Badensis opera ad Rhenum necessaria esset,
1693. copiis in Hungaria præfecit, adjunctis Legatis, Veteranio, & Heuslero, quorum ille in Transsilvania, hic ad Varadinum stationem figerent, & hostem ab incursione in superiorem Hungariam prohiberent. Heuslerus Jenöensem arcem recuperavit, & Veteranius Karansebesum, & Lugosinum opportune prius communierat, quam *Aly* Bassa Nicopolitanus Temesvarinum appelleret, impediri tamen, ob contraria utrique duci data a Consilio bellico mandata, non potuit, quin actis prædis impune transmisso Danubio Belgradum teneret. Id Croyus a XXIII. Julii classe Danubio immissa, terraque obsederat, irrito tamen rursus conatu, fuitque illud in lucri parte, quod propinquante cum LXX. millibus Vezirio exercitum sine damno in tutiora loca reducere potuerit. *a*) XV.

a) Wagner P. II. l. 11. & 12. Veterani Feldzüge ad an. 1691. — 93. p. 110. — 40. Cæsar. dipl.

r im-

XV. Nihilo majores progressus sequente anno facti, quod utraque pars, Cæsare ad Rhenum, & Sultano in comprimenda seditione Arabica occupatis, bellum magis traheret, quam gereret, nec aliud operæ precium relatum, quam quod Caprara Croyo suffectus a Vezirio in castris ad Petrivaradinum obsessus hostem cunctatione sua ab evagationibus in Transsilvaniam, & superiorem Hungariam contineret, & Gyula interim recepta, ac Titulium servatum esset. Eadem pene cessatio cum ad Rhenum esset, neutraque pars, ne enervatas vires fateri cogeretur, prior pacis mentionem vellet ingerere, Cæsar nihil eorum prætermittendum ratus, quæ ad conficiendum bellum pertinebant, innovatis cum Saxone, & Brandenburgico fœderibus, illum copiis in Hungaria supremo imperio præfecit. Temesvarinum expeditio præcipue spectabat, cujus recuperandi, quod Solymanno pridie Nonis Februarii exstincto intestini motus gliscerent, spes non levis erat, si copiæ maturius in castra convenissent. Miles

1694.

1695.

immunitatum Transsilv. Vien. 4. Dec. 1691. Ejusd. litt. ad regem Pol. Vien. 1692. apud. Lunig Sylloge T. I. p. 1182. Acta Comitior. Transsilv. 1691. & 92. a 10. Mart. h. an. ad 29. Maji. Litt. Hoffkircheri ad Croyum, ex castr. ad Gyulam 7. Oct. an. 1693.

[redacted] les ſtipendio quadringentorum millium florenorum, quæ Georgius *Szécsényius* Strigonienſis Archiepiſcopus teſtamento in hunc finem legaverat, apud exteros conducendus moram injecit, cum interea novus Sultanus *Muſtapha* ad Belgradum, vires omnes colligeret, & noſtri exeunte primum Junio, *Bajæ* caſtra metarentur, nec prius Tibiſcum transmitterent, quam allatum eſſet, Turcas trajecto ad *Pancsovam* Danubio in Tranſſilvaniam tendere. Monitus propterea Veteranius, qui ad *Dobram* aditu anguſto difficilem caſtra poſuerat, ut loco, & tempore uteretur, donec Elector ſe cum eo ad Aradinum conjungat, quo iter jam ingreſſus mutato repente conſilio, quin nova mandata Veteranio mitteret, viam Szegedinum relegit. Hæc præcipitantia illum, cui Sultanus cum univerſo exercitu incubuerat, cum ſeptem Legionibus, etſi ter hoſtem magna clade affectum repulerit, promiſſo auxilio deſtitutum perdidit, paucis, qui cladis, & Veteranii fortitudinis nuncii eſſent, fuga elapſis. Cunctationis, & mutati itineris cauſam plerique in Capraram, cui vetus cum Veteranio ſimultas erat, conjecere; quo factum, ut Lippam cum Titulio amiſerimus, & Temesvarini obſidio ad inſequentem annum differenda eſſet, tametſi non meliore, quam prius, eventu, quod Sultanus ſub idem fere tempus, relicta *Niſſa*, viceſimo poſt oppugnationem die

1695.

ob-

obsessis suppetias veniret, cui dum Elector ad *Olaschinum* obviam pergit, ex subitaneo utriusque concursu non tam stataria pugna, quam ex crebris velitationibus confusa certaminis species orta est, majore tamen, ut ex eventu patuit, hostium, quam nostrorum damno, cum Sultanus prior ex arena discesserit, & Elector impositis Szegedino, Aradino, & Jenöensi arci præsidiis, Viennam a Cæsare accersitus fuerit. Causam mors regis Poloniæ præbuerat. Imminebant Comitia, & competitorum numerus in dies crescebat. Cæsaris multum interfuit, ne Gallus Principem sui sanguinis Polonis obtrudat, & in hoc novus sibi in tanta vicinia hostis paretur. Pro Electore Saxone Cæsar stabat, Gallus contra pro Principe Contio viribus omnibus nitebatur. 1696.

Contraria utriusque partis studia Gnesnensis Archiepiscopus, prorogatis ad sequentem annum Comitiis, tantisper temperavit, Cæsare, & Gallo, ut apparebat, non invitis, qui diuturni belli tædio capti pacem, cujus superiore anno tenue initium jam factum erat, anhelabant. *Rysvicum*, locus inter Hagam Comitum, & Delphos medius, ut arbitri convenirent, mutuo consensu delectum est. Deliberatio diu tenuit, ut fere inter confœderatos, dum sociale vinculum solvendum est, usuvenire solet, dum quisque suas magis, quam sociorum res cordi habet. 1697.

Cæsa-

Cæſari præterea aliorſum etiam curæ con-
1697. vertendæ erant. Certis enim nunciis comperit, Tökölium inita ad Tibiſcum conſpiratione Tokainum, & Patakinum ad ictum deſtinaſſe, & Sultanum, eodem tempore Szegedino, præcipuo annonæ promtuario, eſſe incubiturum, quo ſi potiretur, Transſilvania amittenda, & Cæſareis fame pereundum erat. Cum præcipuum militiæ robur pro honeſta pace extundenda Gallo ad Rhenum opponi debuerit, reliquum *Eugenio* Sabaudiæ Duci attributum, & *Vandemontio* cura data, ut in factioſos, qui Tokainum, Talyam, Patakinum, aliaque adſita loca ceperant, moveret, qui adſcito Caſſovia, & Agria ſubſidiario milite, fuſaque incondita factioſorum plebe, Tokainum cum reliquis eadem, qua amiſſa erant, celeritate ſub idem tempus recuperavit, quo Eugenius in caſtra venerat.

Prima huic cura luſtrandi militis fuit, quem opinione ſua pauciorem reperit: altera, quo Sultanus, qui ſupra LX. millia ductabat, Belgrado moturus eſſet, ultra Savumne, an ad Tibiſcum, ut cognoſceret. Hærenti nunciatum eſt ab exploratoribus, Turcas ſubornante Tökölio Szegedinum, hoc occupato Transſilvaniam meditari; fidem nuncio fecit Titulium ab hoſte exuſtum, & iter adverſo Tibiſco ad *Zentam* ſuſceptum: idem Baſſa a præcurſoribus interceptus firmavit, addiditque, Sultanum, intellecto Cæſareos ſequi,

ca-

castris in citeriore Tibisci ripa communitis, equitatum pabulationis causa in adversam ponte contabulato traduxisse. Id XI. Septembris cognitum. Nihil ad victoriam opportunius visum Eugenio: iter accelerari mandat, præcedit ipse cum Equitatus parte, Peditatu cum reliquo Equitatu consequi jussis. Ut prope ventum est, structa pro loci situ semilunari acie prælium orditur, & duarum horarum, quæ diei postremæ erant, spacio ducatus sui primordia insigni ad posteros victoria consecravit. Sultanus, cum ob impeditum, fractumque fugientium copia pontem laborantibus succurrere non posset, inclinante die cum Equitatu Temesvarinum continenti fuga se subduxit. 1697.

Postera primum die patuit cladis magnitudo: cæsorum, & inter hos cum supremo Vezirio viginti septem purpurati, supra viginti millia, præter eos, quos flumen hausit, reperta sunt, decem mille capti, castra cum omni apparatu, & penu bellica, & in hac papilio cum Sultani sigillo, centum tormenta, septem caudæ equinæ, signa majora sexaginta, equorum quinque, sex camelorum, duodecim boum, & bubalorum millia occupata, quodque his majus videri potest, metus Turcis adeo incussus, ut ducis felicitas, ipsumque nomen illis deinceps formidabile esset. Victoriæ fama per Germaniam vulgata, non plane nihil momenti addidisse vi-

detur, ut pax III. Nonas Novembris inter
1697. Cæſarem, Gallum, & confœderatos ſuperatis, quas Galli identidem ingeſſerant, difficultatibus tandem coaleſceret, majore tamen Galliæ, quam Cæſaris, & Imperii fructu. *a*)

XVI. Pax Ryſvicenſis ſenſim etiam Tur-
1698. cicæ viam fecit. Sultanus gemina ſuperioris anni clade, quam ad Zentam, & a Venetis mari ad Negropontum acceperat, animo dejectus, cum videret, hoc quoque anno Eugenium communito Aradino copias ad *Becskerekum* cogere, Venetos autem profligata ad *Scium* inſulam claſſe Turcica, Ægeum oberrare, veritus, ne Cæſar conciliatus Gallo, cujus conſilio bellum cœperat, vires omnes in ſe convertat, prior pacis mentionem fecit, *Pagheto* Angliæ, & Jacobo *Colyerio* Hollandorum oratoribus ad eam conciliandam uſus. Idem priore anno electus rex Poloniæ Fridericus Auguſtus Saxoniæ Elector, Veneti, & Moſci cupiebant. Cæſar, etſi confecta cum Gallo pace belli fortuna uti poſſet,

a) Wagner. l. c. lib. 12. — 14. Supplem. ad Veterani Feldzüge p. 142. — 69. item in Notis p. 81. Du Mont. T. VII. P. II. p. 253. — 422. Theatr. Europ. T. XIV. p. 738. & T. XV. p. 119. Vita Eugenii T. I. p. 517. — 32. Struvius Corp. hiſt. Germ. T. II. period. 10. Sect. 11. pag. 4025.

ſet, ne nihil tamen fœderatis tribueret, Wolfgangum Comitem Oettinganum cum Leopoldo Schlickio plena poteſtate XXIII. Junii inſtructos miſit, qui, ſecundum præſcriptam ſibi formam, negocium conficerent, *Carlovicium* conventuris opportunum in Sirmio delectum eſt. Ex Polonia *Malachovius* Poznanienſis Palatinus, *Bogdanovicsius* a Moſcis, a Venetis Carolus *Ruzzinus*, & a Sultano *Reis Effendius* cum Alexandro *Maurocordato* aderant. Facto XXV. Octobris tractationis initio, difficultas confeſtim a Polono, & Moſco, cum uterque primum ſibi a Cæſareis locum depoſceret, ingeſta; major, hac compoſita, de ſtatuendis *præliminaribus* legibus orta; hoc quoque obice Pagheti inprimis opera ſuperato induciæ in XXV. annos his conditionibus conſtitutæ: Transſilvania priſcis limitibus a Podolia ad Valachiæ, & Moldaviæ confinium montibus circumſepta in Cæſaris, regio autem Temeſienſi arci ſubjecta, quæ inter Maruſium, & Tibiſcum porrigitur, in Sultani poteſtate maneat; ea ſolum portione demta, quæ inter Tibiſcum & Danubium prope Titulium vergit, *Bácska* vulgo dicta, quæ Cæſari relinqueretur: Lippam, Lugoſinum, Karanſebeſum, Csanadinum, aliaque extemporalia munimenta Cæſarei ſolo æquabunt; inſulæ Tibiſci ad Cæſarem pertinebunt, uſus autem navigationis, aquationis, & piſcationis utrique parti liber. 1698.

E e 2 Hic

1698. Hic limes ad Tibiscum constitutus: trans Danubium vero ita designatus, ut ea, quae in *Banatu* Temesiensi amissa erant, quodammodo pensarentur; Petrivaradino a laeva Tibisci ad oppositam Danubii oram ducta linea, ager quatuor milliarium adjectus, inde eadem linea ad *Bossueti* amnis ostium, & hinc ad *Unnae* confluentem continenter protracta, terminos utriusque partis, ad Savum dirimat; dextra Savi ripa Turcis, sinistra Caesareis attributa, alveo, & insulis ad usum utrisque libero. De *Dubicza*, *Novio*, *Jeszenovia*, & *Broda*, quae Caesarei bello durante occuparant, litigium non aliter diremtum, quam ut Croatico, & Germano milite evacuata Turcis reddantur; Unna usque Novium communis esset, longius autem a Savo dissita, possessores discriminandis per Commissarios limitibus retinerent. Haec pro parte Caesaris transacta: Polonis Cameniecum, Venetis Peloponnesus, &, quae in Dalmatia recuperassent, restituta; Moscis *Asophum* ad ostia Tanais permissum.

1699. His constitutis tractationem in sequentem annum prorogari oportuit. Causam Hungari, & Transsilvani, qui belli tempore ad Turcas secesserant, praebuere. De his ita conventum, ut jus domicilii in Turcicis ditionibus obtineant, ne tamen publicam tranquillitatem turbare possint, procul a limitibus introrsum removeantur, nec fas sit illis

in

in Hungariam, & Transſilvaniam, aliamve Cæſareæ ditionis provinciam redire, uxoribus, non tamen prolibus, data maritos ſequendi facultas. Multa quoque Tökölii cauſa Effendius tentavit, ſed repulſam paſſus, autor illi fuit, ut clam in Bithyniam ſe cum conjuge reciperet, ne, niſi illo Cæſareis dedito, pax iniri debeat. Morem gerere coactus, deſertus ab omnibus, ſeptimo poſt anno carens ſepultura patria obiit, fortunæ ludibrium factus. Facilius, quæ ſupererant, perfecta. Neutra pars libertinos, hajdones, aliamve hominum colluviem nulli ſtipendio auctoratam, ſed aſſuetam rapto vivere pro finibus patiatur, Præfectorum in his coercendis ſegnities, ne impunis ſit: religio Chriſtiana jure ſuo, & libertate gaudeat, captivi in publicis carceribus ſuperſtites, ut fructum pacis ſentiant, liberi utrinque dimittantur, quos privati retinent, ii moderato lytro ſe emancipare poſsint: commercia in omnibus utriusque Imperii regnis, & provinciis ſecundum veteres conventionum leges ſine fraude, dolove cuivis ſint libera: Crimenſis Chanus, & reliquæ Tartarorum tribus Turcis obnoxiæ iisdem pacis capitibus adſtrictæ intelligantur; ad quæ omnia rite corroboranda ſolennis utrinque Legatio decreta. Tabulæ duplici exemplo Latina, & Turcica lingua conſcriptæ, XXVI. Januarii a conciliatoribus firmatæ ſunt. 1699.

Pacata Germania, & Gallo fœderibus utcunque conciliato, deproperata pax multis videbatur, ignaris ſcilicet, quibus de cauſis ad eam accelerandam Cæſar adductus eſſet. Carolus II. Hiſpaniæ rex hærede deſtitutus, crebroque morbis laborans multorum animos ad ampliſsimam hæreditatem erexerat. Præcipui, qui ſpem alebant, Cæſar, & Galliæ Delphinus fuere, uterque Hiſpana matre editi: ab his Joſephus Ferdinandus Bavariæ Princeps, cui avia ſoror Caroli II. erat. Hi, quibus corrivales nitebantur, juris tituli fuere, ut gradu, ita merito diſpares. Illud communi opinione Cæſari præ aliis favebat, quod, ut ſexu virili erat regi Hiſpaniæ, ſtirpique vicinior, ita ſolidius quoque jus ad ſucceſsionem habere videretur. Non latebat id Gallum, qui pacem Ryſvicenſem idcirco urgebat, ut in omnem eventum, ſi jure non poſſet, armis hæreditatem Delphino aſſereret. Hæc tacita erant molimina, cum Rex Hiſpaniæ Principem Bavariæ hæredem ex aſſe ſcripſit, Cæſare, & Ludovico XIV. perinvitis, qui propterea etiam ultimæ regis voluntati conceptis verbis intercesſerant, ſed Gallus ultra verborum formam progreſſus, privatim cum Anglis, & Hollandis, Tallardo interprete, tractatum partitionis ita inſtituerat, ut Bavariæ Principi Hiſpania cum transmarinis ditionibus, Delphino utriusque Siciliæ regnum cum provincia *Guipiſcoa*, & 1699.

par-

partibus *Status Præsidii*, Carolo autem Archiduci, Cæsaris secundo genito, minima portio, Ducatus Mediolanensis, obvenirent. 1699.

Hæc ut clam testatore acta sunt, ita per mortem Principis Bavariæ, quæ in VI. Februarii ex propinato, ut suspicio erat, veneno incidit, suopte etiam irritata fuere. Aliud itaque partitionis genus adumbrandum erat. Gallus nihil non egit, ut Anglos, & Hollandos ab Austriaca parte abstraheret, id cum frustra se moliri intellexit, novæ partitioni V. Nonis Martii Londini designatæ ad speciem magis, quam vere accessit, vi cujus Hispania cum transmarinis, & Belgii provinciis Carolo Archiduci Austriæ, Sicilia utraque cum Italiæ portubus Delphino, & Ducatus Mediolanensis Lotharingiæ Duci relinqueretur; sed hic vicissim avitum Ducatum Gallis cederet, & Guipiscoa finibus Galliæ adsita juris Gallici deinceps esset. Conventum præterea, ne quis tractatum ante mortem regis dideret, neve Archiduci Carolo prius in Hispaniam pedem inferre fas esset. Promissis stetere omnes demto Gallo, qui ut Hispanum sibi conciliaret, tractatum contra datam fidem vulgavit, culpa in Anglos, & Hollandos, tamquam fabricatores illius per summam invidiam conjecta, nec desinebat abhinc regem, graviter propterea offensum, quod exteri se vivo de regnis suis paciscerentur, per palatinales auro devinctos præ- 1700.

1700. cipue Cardinalem *Portocarero*, & Ducem de *Medina cœli* eo deducere, ut novum testamentum ex forma cum consciis adornata conderet. Succesſit machinatio. Cardinalis ſive religionis titulo duceretur, ſive e re publica eſſe putaret, ne monarchia Hiſpanica in partes diſtrahatur, regi ad extrema deducto formam teſtamenti VI. Nonas Octobris exhibuit, utque ſubſcripto nomine ratum haberet, pene adegit. Subſcripſit, & ipſis Calendis Novembris funus fuit. Teſtamenti ſumma hæc erat: Dux Andegavenſis, hæres omnium ditionum eſſet ea conditione, ne monarchia Hiſpanica ullo unquam tempore cum Gallica in unam coaleſcat; ſi absque hærede moreretur, Dux Bituricenſis, ſi hic quoque deſtitutus hærede obiret, Carolus Archidux Auſtriæ, & huic ſimiliter improli Dux Sabaudiæ ſuccederet. Simul, ut id vulgatum eſt, Ludovicus confeſtim undecimo die ab obitu regis Ducem Andegavenſem *Philippi V.* nomine inſignitum Hiſpaniæ regem declaravit, & copiis inſtructum ad capeſſendam hæreditatem in Hiſpaniam miſit. Bellum igitur neceſſarium, & jam præ foribus erat. *a*)

XVII.

a) Theatr. Europ. T. XV. p. 381. Wagner P. II. L. 15. & 16. Tractatus I. partitionis 1698. d. 11. Oct. apud Du Mont. T. VII. P. II. p. 442. Acta pacis Carlovicen. 1699. d. 26. Jan. apud

XVII. Id Galli in Belgio, & Italia auspicati ſunt, &, ut Cæſarem a perſequendo ſuo jure impedirent, clam cum Sabaudo, Bavaro, & Colonienſi archiepiſcopo fœdus inierant. Parum tamen Ludovicus ſibi feciſſe viſus eſt, niſi inteſtinum etiam hoſtem uſu aulæ Gallicæ jam a tempore Joannis Zapolyæ familiari in Hungaria conſciſceret. Præ Tökölio jam morbis gravi, & ob pacem nuper cum Turcis initam minus idoneo, hujus privignus Franciſcus Rákóczius ad agendam ſcenam viſus opportunior. Hunc Cæſar liberaliter educatum, ubi maturuit, Principi Haſſo-Rhenofelſenſi matrimonio conjunxit, eique, ut pro dignitate conjugis viveret, patrimonii partem reſtituit, ſolo Principis titulo, quem ambiebat, negato. Urebat repul- 1701.

apud eundem ibid. pagina 448. — 59. Tract. II. partition. ibid. p. 474. Teſtamentum regis Hiſp. 1700. d. 5. Oct. ibid. pag. 486. Caſſander Thucelinus, Act. Publ. T. I. p. 426. Inſtructio pro Commiſſar. ad ordinanda confinia circa Maruſium, Tibiſcum, & Savum. Dat. in Eberſtorf. 1700. d. 12. Sept. De bello ſucceſſionis conſuli poſſunt, De Torcy Memoir. pour ſervir à l'hiſt. des negociations depuis le traité de Ryswick jusq' à la paix d'Utrecht. III. à Paris 1757. & Franc. Mar. Conte Ottieri iſtoria delle gverre — — per la ſucceſsione alla monarchia delle Spagne cet. T. III. Romæ 1753.

pulſa juvenem recens Conſtantinopoli, quid
1701. Gallia cupiat, clam admonitum. Neo deerant ex familiaribus aſſentatores, qui ambitionem illius foverent, &, ut patris veſtigiis inſiſteret, hortarentur, modo ſignum efferret, magnam regni partem in promtu futuram, quæ læſas immunitates vindicare cupiat, polliciti, convolaturam quoque ingenti numero plebem auctione tributorum alioqui exacerbatam, omnia, Cæſare difficili nunc bello in partes diſtracto, prona reddunt, perſuadent denique juveni, defectu ætatis, & judicii ſpecioſa magis, quàm tuta ambienti. Deerat ad Gallum internuncius. Hic quoque repertus. Habebat domi ſuæ Procenturionem, nomine *Longevallium*, genere Lotharingum, ſibi familiarem; huic, quid agitaret, primum per ambages, poſt planius aperit, rogat, Pariſios iret, & cum rege conferret, addit litteras rerum gerendarum indices. Ille ſemel, iterumque hac de cauſa in Galliam profectus, cum ſceleris atrocitate moveretur, tertium redux Viennam ex itinere divertit, omnemque conjurationis ſeriem teſtibus litteris ab ovo retexuit. Cum indicia conſpirationis manifeſtiora eſſent, quam ut dubio locus eſſe poſſet, *Rákóczius* non longe Tokaino diverſatus, cum *Szirmaio*, & Adamo *Kajo* XXIX. Maji comprehenſus, Neoſtadii in cuſtodiam datus, & quæſtioni ſubjectus eſt. Sed quinto poſt menſe perfidia *Lehmanni*

cu-

cuſtodis elapſus in Poloniam fugit, quo *Ber-cſénius*, incertum, unde rem ſubodoratus, jam 1701.
ante evaſerat. Fruſtra Cæſar, cognita fuga, vulgatis litteris decem florenorum millia, qui vivum, ſex, qui mortuum ſiſterent, pollicitus erat; nemo repertus, qui, quo ille, aut cujus ope iter inſtituiſſet, indicium facere potuerit, aut voluerit etiam.

Hæc paullo poſt evenere, quam Eugenius ſuperatis Italiæ imperviis alpibus Gallos primum ad *Carpos*, mox ad *Clarium* inſigni clade affecit, magno Cæſaris commodo, cui ab hac victoria plures certatim ſe ſocios junxere. Angli inprimis, & Hollandi, qui primum quidem cum Gallis facere videbantur, poſtea tamen veriti, ne, ſi cum Hiſpania Americanæ, & Aſiaticæ ditiones in poteſtate Gallici Principis manerent, commercia ſua, in quibus potentiæ illorum cardo vertitur, ſummo periculo exponantur, hujus autem nullus metus eſſet, ſi ad ſtirpem Auſtriacam devolverentur, mutato conſilio fœdus cum Cæſare Trajecti XVII. Septembris pepigere, cujus illud præcipuum caput erat: bellum tamdiu communi conſilio, & viribus geratur, donec Cæſari de ſucceſſione Hiſpanica ſatis fiat: Anglis, & Batavis id relinquatur, quod in America, & Aſia occupaturi eſſent, nec ulli ex confœderatis pacem ſeorſim liceat conficere. Mox ali-
quot Circulorum Germaniæ *Aſſociatio* Nord- 1702.
lin-

lingæ consequuta, demum universum Impe-
1702. rium, excepto Bavaro, in commune fœdus contra Gallos coaluit. Ludovicus, tam subito, & communi Imperialium fœdere non mediocriter sibi rationes conturbari vidit, præsertim quod Sabaudus etiam non obscure jam nutaret, nec Anna, quæ Wilhelmo III. in Anglia interim successerat, a pactis, licet crebro tentata, vellet recedere. Una in Rákóczio, & quam hic privatim per emissarios in Hungaria alebat, factione spes. Hujus initium, postquam militia pene omnis e regno deducta Gallis opposita erat, a latrocinantium colluvie cœpit. Rogatus Cæsar a Magnatibus, inprimis Christophoro Erdődio ærarii Præfecto, ne regnum militia nudaret, habere Rákóczium magnam Nobilium partem sibi clam addictam, plebem auctione tributi exulceratam passim se latrocinantibus adjungere, nisi principiis obsistatur, malum in dies latius vulgari posse. Necessitas fecit, quo minus Cæsar opportunum consilium amplecteretur, cum per idem tempus Galli in Imperio, Belgio, & Italia quadripartito exercitu rem gererent. Etsi enim ad *Luzzaram* Vendomius inferior ex pugna excesserit, & *Landavium* Josephus rex Hungariæ recuperarit, tamen alibi fere alterna utrinque armorum fortuna fuit.

Hæc ut deductæ ex regno militiæ causa
1703. erat, ita Rákóczio animum adjecit, ut e Po-

lonia,

lonia, bello prius Cæsari declarato, ære Gallico, & privatis mandatis instructus cum Bercsenio in Hungariam emergeret. Munkacsinum ut venit, confestim cum aliquot millibus grassari cœpit, & quamquam a Montecuculo fusus, ac pene captus fuisset, sensim tamen confluente incondito vulgo mox Debrecinensibus, & Hajdonum oppidis ad ejus vexillum hoc axiomate: *Pro Deo, Patria, & Libertate:* ornatum deficientibus, brevi exercitum viginti millium conflavit, licet Cæsar, ut motus hos anteverteret, jam XXX. Aprilis ex delegati judicii sententia bonis Fisco addictis, mortis reum pronunciarit. Hac ille irritatus, VII. Junii arrogato sibi ducis Munkácsiensis titulo, litteras eadem prorsus sententia, qua Bocskaius, Bethlenius, & Tökölius solebant, per Hungariam, & ad extera regna vulgavit, ut speciosum correptis armis fucum allineret; illud solum novitatis continebant: quod constitutionem Andreæ II. regis, qua, si jura Nobilitatis læsa sint, sine alio prius adhibito remedio potestas datur regi legitimo resistendi, & quam Ordines anno 1687. publica lege abrogarunt, paucorum Procerum perfidia antiquatam, horumque turpi studio assentandi regnum, quod liberæ electionis erat, in hæreditarium transiisse, criminarentur. 1703.

A vulgato seditioso hoc scripto confestim ad arma ventum. Gyula incassum tentata,

Zol-

Zolnokino tamen, Lippa, & Parkano vi oc-
1703. cupatis ad montanas urbes progressi, auroque omni, & argento potiti, vastitatem tam late, & celeriter versus Posonium, & Moraviam circumferebant, ut Cæsar coronam regni Viennam perferri jusserit. *Schliekius*, ut grassantes promulgata amnestia pacaret, aut contumaces armis reprimeret, obviam missus, cum nec oblata venia in factiosorum animos quidquam posset, & se illis imparem viribus cerneret, congredi non ausus curam omnem tuendis Austriæ finibus impendit. Quare, ne malum in plures manaret, datum Eugenio, cujus ob militarem virtutem magna apud gentem erat existimatio, negotium est, ut cum factiosis transigat. Conventum est Posonii, sed re infecta discessum, quod Bercsenius nomine suorum eas conditiones proponeret, quas sciebat, Cæsarem, salva dignitate sua, non initurum. Audaces fecit Gallorum fortuna, qui Bavaro conjuncti, ad Danubium, & Rhenum, tum in Belgio fere victores erant.

XVIII. Monitus propterea a *Marsino* Gal-
1704. lo Rákóczius est, rem ineunte anno in Austria inferiore, quo illi in superiore, eodem tempore gereret, ut, conjunctis dein viribus, Cæsarem in medio comprehensum, ad ineundas, quas vellent, conditiones adigere possint. Actum erat, si destinatio successisset. Factiosi quidem ipsa hyeme in Austriam effusi in-

incuſſo Viennenſibus metu prædas agebant, ſed reverſos Heiſterus ad Jaurinum, & Albam regiam victos in officio continuit. Nec Gallis res ex ſententia ſucceſſerat, Cæſar, qui præcipuum militiæ robur in Italia collocarat, ut, ſi ſpe hæreditatis Hiſpanæ excideret, regnum Neapolitanum cum Sicilia familiæ ſuæ vindicaret, potiorem copiarum partem ad Danubium traduxit, quo factum, ut Galli ab invadenda ſuperiore Auſtria, ut conventum erat, prohiberentur, nec ſe Rákóczianis conjungere poſſent, quos alioquin recens accepta clades cautiores reddidit, nec exiguo numero, poſt rurſus promiſſam amneſtiam, ad Cæſaris partes reduxit, quorum exemplo cum plures Rákóczium deſererent, & Sabaudus deſerto Gallo jam ad fœdus Cæſaris acceſsiſſet, de Bavaro item, quem Galli ſpe regni Franconiæ, & Sueviæ erigendi lactabant, conciliando diligenter ageretur, nec Turcæ illius cauſa ſe moverent, veritus, ne ſibi relictus conditiones alieno arbitrio amplecti cogeretur, interruptam concordiæ tractationem reſumſit. 1704.

Rurſus Eugenio tranſigendi cum factioſis cura data eſt. Sexaginta, quæ poſtulabant, capita fuere: præcipua ſolum attingam. Regnum priſtina libertate ſecundum pacta, & leges fruatur: Nobilium prærogativæ, & immunitates ſalvæ, integræque maneant: ne qua vis diverſam a Catholica religio-

ligionem profeſsis, injuriave fiat, nec fraudi
1704. illis ſit religionis diſcrimen, quo minus ad quævis regni officia, & dignitates promoveri poſsint: Templa erepta reddantur cum jure campanarum, ſimiliter bona ademta, Tabularia, & ſupellex libraria, præſertim ſi jura poſſeſsionum, & proventuum rationes continent: Integrum eisdem ſit, quoties volent, & neceſsitas poſcet, Synodum cogere, cui Commiſſarius, ſi regi videbitur, intereſſe quidem poſsit, modo ne is ſit e Jeſuitarum numero: Diverſæ religionis ſi matrimonium ineant, mares religionem patris, femellæ matris amplectantur, neutris tamen liceat proles, ſi ad Proteſtantes tranſierint, exhæredare: Fas quoque ſit Proteſtantibus, proſelytos in conſortium recipere, quin hi propterea jacturam officii, & dignitatis faciant: Si qui ad Catholicos tranſire coacti fuiſſent, impune illis ſit, ſi ad priora ſacra redierint. Eccleſiaſtici, niſi nativitate Hungari, vel Tranſilvani ſint, una cum Jeſuitis, regno exeſſe cogantur, nec unquam deinceps jus domicilii obtinere poſsint: Rákóczio antiquata, quæ in eum lata erat, ſententia, priſtinus honor, & bona in ſolidum reddantur, addito Principis Imperii titulo: Sit omnium præteritorum perpetua oblivio, ad compenſanda, quæ illis illata erant, damna, per XV. annos ab exactione tributi immunes pronuncientur: de his dum Cæſar deli-

bera-

berabit, ab armis utrinque cessabitur, ubi rata habuerit, regum aliquis, pluresve, si opus fuerit, cautioem præstabunt, interea autem fas esset cum exteris, etiamsi hostes Cæsaris fuerint, litterarum commercia habere. 1704.

Fœderati, quibus concordiæ capita communicata erant, cum nec Cæsarem iis consensurum, nec, nisi pacata Hungaria, Gallorum progressionibus limitem figi posse viderent, Mediatorum partes se velle agere significabant. Non ingratum id factiosis erat, quod ob religionis communionem plurimum spei in illis reponerent. Tempore, & loco condictis aderant, ab Anglis *Stepneus*, a Batavis *Bruyncsius*, a Cæsare Paulus *Szécsénius* Colocensis Archiepiscopus, qui jam ante hanc provinciam, sed irrito conatu, susceperat. Spes in principio affulgebat, conciliationem facile coalituram; nisi hanc Galli intervertissent, qui, si Cæsari hac parte quieto esse liceret, vix quidem quatuor hostibus resistendo se pares videbant, præsertim quod rex etiam Lusitaniæ, fœderatorum partes amplexus, Caroli Archiducis jura in Hispaniam communiter se tuiturum pollicitus esset. In eo itaque omnem conatum Galli locandum existimabant, ne conciliationis negotium eum, qui sperabatur, exitum haberet. Rákóczius, si sapuisset, facile ex ancipiti rerum suarum statu in meliorem, quam deinde amplecti coactus est, eluctari poterat, sed Gallorum leno-

lenocinio circumventus, & Transsilvaniæ
1704. Principis titulo, quem ei pauci ex factiosis conficto trium Nationum sigillo contulerant, tumidus, conciliationis leges paulo quidem prioribus molliores proposuerat, quæ tamen ipsis Mediatoribus hujusmodi visæ sunt, ut iis animos serio conciliandos vix sperarent, nec eas Cæsar, nisi autoritatem suam, dignitatemque legibus stabilitam ipse sponte oppressam, & regnum novis, perpetuisque factionibus objectum vellet, ratas habere posset.

Præter ea enim, iisque similia, quæ factionum autores ab anno 1606. solebant in medium depromere, non tam petitum, quam flagitatum, ut exteri bonis, si quæ possident, cedant, salis quæstus, qui alias inter regalia beneficia censebatur, liber deinceps cuivis permittatur; Camera aulica Hungaricæ subjecta sit, miles extraneus non solum e regno, sed ex confiniis etiam deducatur, nec aliis præfecturæ militares, quam Hungaris conferantur, religionis diversitas nulli obsit, quo minus censeatur publico officio idoneus esse. Quod ad Rákóczium attinet, nihil mutatum, additum præterea, ut Princeps Transsilvaniæ declaretur, ni fieret, Transsilvanos facta secessione in Turcarum clientelam concessuros esse. Sed præ his illud præcipue urgebant, ut Decretum Andreæ II. inprimis postremum illius caput, suæ integritati, & jus liberæ electionis Nationi restituatur. Cæsar de his

Poso-

Posonii, vel commodiore loco per Commissarios se acturum, &, quæ in suo unius arbitrio sita essent, libenter indulturum, cetera vero, quæ aliorum etiam consensu egerent, ad Comitia dilaturum respondit; a vellicando autem Andreæ regis decreto, & liberæ electionis jure ut desisterent, monitos velle, nec enim se unquam commissurum, ut, quæ Ordines libero consensu in Comitiis decrevissent, & velut firmum perpetuæ in regno tranquillitatis fundamentum Domui Austriacæ asseruissent, & ipse etiam liberata a jugo Turcico Hungaria, totius Germaniæ, ceterarumque suæ Domus provinciarum opibus, & sanguine fuisset meritus, convelli patiatur, persuasumque habeant, se, quod totius Nationis interpretes spontanee sibi obtulerant, suis, & confœderatorum armis tueri velle. 1704.

Tam aperta declaratio factiosos vehementer exacerbaverat, nec ante, etsi Angliæ, & Hollandorum Legati nihil ad sedandos animos prætermitterent, ullam de conciliatione mentionem fieri passi sunt, quam didita primum fama, mox certis nunciis allatum esset, Gallos ad *Höchstadium* XIII. Augusti cæsis, captisque quadraginta fere millibus, *Tallardo* duce intercepto, castrisque amissis, ab Eugenio, & *Marleburgo*, profligatos, fugientibus similes ad Rhenum magnis itineribus contendere. Tum vero mitiora

amplexi consilia de induciis, ut *Gyöngyösini*
1704. ageretur, petebant. Sed hoc quoque Conventu discusso, *Schemnicium* mense Octobri delectum est, & cum hactenus per litteras solum res gesta fuerit, ut præsentibus etiam Rákóczii nunciis tractaretur, constitutum. Cæsar prioribus socios ex Hungaris adjunxit Comitem *Kohárium*, & *Szirmaium* Protonotarium, utque curis solutior Italico, Rhenano, & Hispanico bello vacare posset, conditiones ita mollivit, ut Mediatorum etiam judicio spes conciliationis proxima videretur. Verum Nicolaus *Bercsénius*, & Paulus *Radai*, cum *Mikessio*, & *Kisdio*, priora postulata aliis verbis regerere, morasque tamdiu nectere, donec Cassoviam, Eperjesinum, & Agriam fame deditionem facere coactas intellexissent, tum abruptis induciis Conventum insalutatis omnibus reliquere. Rákóczius, ne, cur tractatio conciliationis frustra instituta fuerit, invidiam ferre cogeretur, rursum litteras per regnum dididit, quibus causam in Cæsaris Commissarios rejecit, duriores illos, quam mandata habuerint, in moderandis conditionibus fuisse, questus, cum tamen palam esset, ab *Aleurio*, quem rex Galliæ paullum ante miserat, fuisse persuasum, ut arma resumeret. Cujus consilio postquam obsequi decrevit, primo impetu ad Moravam amnem ventum, quo superato Austriam designabat, prohibitus tamen transitu, a proposito destitit

tit, donec plures ad castra convenirent. Brevi triginta non tam militum, quam promiscuæ plebis millia sub signis fuere, malum etiam ultra Austriam prolaturi, nisi ab Heistero ad *Gerendsterium* non longe Tirnavia dissitum inopinato deprehensi, magnaque clade affecti in fugam acti fuissent. *Aleurius* Gallicus emissarius, idemque aciei structor inter captivos repertus indicio erat, Gallos, intra machinam latentes, præcipue in causa fuisse, cur Conventus Schemniciensis re infecta solutus fuerit. a) 1704.

a) Hist. des revolut. de Hongrie T. III. l. 6. Memoir. du Prince Rákóczi ad an. 1702. — 1704. Wagner P. H. p. 736. — 62. Lamberti Mem. T. III. pag. 14. — 19. Gabr. Kollinovics hist. Msi ultimi belli Rákócziani, cum documentis ex Tabulario ejusd. Rákóczii, ex quibus hæc excerpsi, & deinceps excerpam. Litt. Cæs. de fuga Rákóczii Vien. 1701. d. 10. & 24. Nov. Reginæ Angl. ad Cæs. ex palatio S. Jacobi. 1702. d. 18. Mart. Proscriptio Rákóczii 1703. Vien. 30. Apr. Hujus manifestum ex arce Brizam in Polon. d. 12. Maji, alterum ex Munkács. 7. Jun. Ejusd. postulata. 28. Maji. Cæs. ad hæc respon. 20 Jun. Plenipotentia pro Commissariis Cæs. Vien. 26. Sept. Edictum amnestiæ 1704. Vien. 25. Mart. Litt. Palatini de eadem

Vien-

XIX. Cæsari, qui minime dubitabat factiosos propositis honestis non minus, quam
1705. utilibus conditionibus assensuros, eaque spe Carolum filium regem Hispaniæ a se declaratum, in Angliam primum, dein in Lusitaniam cum fœderatorum classe ad capessendum regnum miserat, nihil molestius soluto Conventu accidere poterat. Neque tamen propterea ab instituto suo quidquam remittendum ratus, iisdem rursus conciliatoribus, tractationem III. Idus Februarii resumi voluit, quod eandem Rákóczius, post cladem Tirnaviensem datis XI. Novembr. ad *Stepneum* litteris anhelare videretur. *Stepneus* itaque cum suo Collega ultimam manum operi admoturus Rákóczio, quibus conditionibus pax demum posset coalescere, aperte significavit: Cæsarem nempe verbo regio polliceri, se opportuna cum Statibus consilia capturum, ut querelis, quas suorum nomine alias quoque proposuerat, in proximis Comitiis ex æquo satisfiat, quibus si ipse per senium, & parum firmam valetudinem adesse non posset, filium regem, qui iis præesset, & in regno degens rem publicam

Vien. 29. ejusd. Cæsaris ad Colocen. Archiep. Vien. 7. Sept. Rákóczii Plenipot. pro suis Commissar. ex Visne, 15. Oct. Ejusd. Manifestum ex castr. ad Ujvárinum 25. Nov.

cam suo nomine deinceps moderetur, missurum. Esse tamen non pauca, de quibus immerito queri videantur; nec enim Cæsarem Consilio Hungarico in iis, quæ legibus sancita essent, quidquam hactenus derogasse, in aula vero Cancellariæ Hungaricæ auctoritatem vetusta consuetudine roboratam, tantum abesse, ut imminutam voluerit, ut ipsos adeo Magnates Hungaros, quos intemeratæ fidei norat, arcani sui consilii non modo in Hungaricis, sed aliis etiam secretis deliberationibus participes fecerit: Nec jure novitatem iis objici posse, quæ ad tributa, plebis juvandæ causa, in justum ordinem redigenda, & disciplinam inter milites, & incolas servandam decreverat, quod id ipsorum Hungarorum, quos utrique Tribunali præfecerat, judicio constitutum esset; pacem vero Carlovicensem iis inconsultis confectam, minime mirum debere videri, si modo perpendere voluerint, bellum a rebellione ortum, hac pace sopiendum fuisse; ceterum hac quoque in re Cæsarem facturum, ne postea ullus querimoniis locus esse posait: Justitiæ administrationem Cæsari præcipue cordi semper fuisse, optareque, ut jura Hungarica nimium diffusa, sæpe etiam obscura a probis doctisque viris in meliorem, brevioremque formam, & ordinem redigantur. 1705.

De publicis autem regni officiis deinceps secularibus tantum conferendis, Cæsa-

 rem

rem ea mente esse, ut cuivis pro merito li-
1705. ber ad ea aditus pateat, etsi ceteroquin non
tam officium homini, quam hominem officio
parem defigendum existimet: Eundem se mo-
rem in beneficiis, & dignitatibus Ecclesiasti-
cis servare, ut Patriæ filii, qui se dignos se-
cundum Ecclesiæ instituta reddiderint, aliis
præferantur, ne vero exteri, quorum san-
guine non raro salus Hungariæ stetit, bona
in regno possideant, haud æquum videri,
cum ipsi Hungari in Cæsareis ditionibus extra
Hungariam hoc jure gaudeant; aliam bono-
rum in recuperata ditione rationem esse,
de quibus Fisco regio alioquin mandatum,
ut hæc iis, qui jus, suisque titulos legiti-
me ostenderint, reddantur: In negotio reli-
gionis Protestantium ipsos Mediatores Prin-
cipes existimare, non ultra progrediendum
esse, cum tantum jam declaratione publica
obtinuerint, quantum Catholici nuspiam alibi
in Protestantium regnis hactenus consequi
potuere. Quod ad jus liberæ electionis at-
tinet, cum Ordines jam alias jus successio-
nis hæreditariæ Domui Austriacæ asseruerint,
idemque haud ita pridem ad certam lineam
familiæ adstrictum in leges retulerint, Cæsa-
rem nisi sibi, posterisque suis injurius esse
velit, aut levis judicii, & inconstantiæ ipsos
regni Ordines arguere, postulatis eorum as-
sentiri omnino non posse: De reliquis, qui-
bus se gravari dicerent, quoniam non solius
regis,

regis, sed Ordinum quoque arbitrio opus sit, in generalibus Comitiis, quod e commodo rei publicæ esset, constitutum iri. 1705.

In hanc sententiam *Stepneius* cum Collega Rákóczio scripserat, orabatque, ut re cum suis communicata mentem suam candide aperiret, utrum Reginam Angliæ, & confœderati Belgii Ordines Mediatorum personam agere, nec ne, velit agnoscere; idque suo, suorumque nomine subscriptis litteris solenniter tandem declaret, quo omnibus constare possit, sincerene animum ad pacem adjecerit, an solum protelatione tam utili negotio, a quo non minus regni quies, quam fortunæ omnium pendeant, moras injicere cogitet, quo quidem nihil acerbius Mediatoribus accideret, qui dignitatem suam, fidemque hac ludificatione graviter læsam merito queri possent. Rákóczius, qui nihil inconsulta Gallia unquam facile cœperat, & responsa ad tam apertam denunciationem ferro inde adesse poterant, in arcto deprehensus, non se quidem a pace, cujus ineundæ desiderium ipse crebro alias prodidisset, abhorrere respondit, illud tamen, quo minus eam suadentibus morem posset gerere, caussatus est, quod nusquam cautionis, qua Cæsar transactionem Mediatorum se ratam habiturum polliceretur, mentionem fieri videret.

Hoc

1705. Hoc subterfugio honesta, ut apparebat, tergiversationis specie illito, dum utrumque oratorem ducit, Cæsar, qui superiore jam anno minus recte habebat, morbo sensim ingravescente e vivis excessit. Obiit III. Nonas Maji, a rebus gestis cognomentum *Magni* adeptus. Ludovico XIV. Galliæ regi, leges toti Europæ volenti dictare, perpetuum se junctis cum Germania viribus, etsi hæc Domus Austriacæ incrementa limis fere oculis intueretur, obicem opposuit, cui armorum felicitate nihil inferiorem, religione autem, hujusque tuendæ studio superiorem fuisse, concors scriptorum ætatis illius opinio est, tametsi & in hac ardori suo ita noverit temperare, ut, qui diversam a sua sequebantur, ea, quæ sanctione publica jam indulta erant, salva eis, integraque esse vellet, ultra autem progredi non sineret, alia enim religionis, alia item civitatis ut instituta, sic diversas utriusque immunitates exemplo aliorum regnorum, in quibus Catholica religio ultimum locum tenet, persuasus existimabat. Bellum nunquam, nisi lacessitus, nec ante, quam lis amica compositione transigi non posset, vel socialia fœdera id poscerent, gessit, in ducum delectu plerumque felix. Hungariam, quam a Turcico duorum fere seculorum jugo liberaverat, stirpi suæ hæreditariam Ordinum consensu asseruit, ad pristinum fortassis florem reducturus, nisi intesti-

testini motus, quos Zepolyæ regnandi cupiditas primum excitavit, auxit subinde novitas religionum, aluit exterorum invidia, & fovit domesticorum ex alieno habendi cupiditas, perpetua fere obstacula objecissent. a) 1705.

JO-

a) Hist. des revolut. &c. T. II. l. 6. Wagner P. II. l. 18. Struvius l. c. sect. 11. p. 4051. Lettres historiq. Juin 1705. p. 629. Resolutio Cæs. ad Archiep. Coloc. 31. Jan. Hujus resp. Agriæ 28. Apr. & Deputator. eod. ibid. Instructio pro Jos. Viza, & Paulo Okolicsányi dat. a Cæs. Vien. 18. Febr.

JOSEPHUS I.

Ab anno 1705. — 1711.

1705. I. Primum, quod Josephi curas exercuit, illud erat, ut oblata factiosis præteritorum venia Hungariam pacatam haberet, quo liberior dein bello Gallico, & Hispanico vacare posset, idem Angliæ Regina, & Ordines fœderati Belgii urgebant, ne, nondum compositis Hungariæ rebus, præcipuum belli onus ferre cogerentur. Itaque quinto confestim die post obitum patris litteras per Hungariam vulgavit, quibus se paternum solium adiisse significabat, omnesque graviter cohortatus est, ut ad pristinam fidem redirent, impunitatem omnibus, qui resipuerint, data sponsione pollicitus. In eandem sententiam Palatinus scripserat, monuitque, ut se tandem respicerent, miserum Hungariæ statum, in quem ob domesticas dissensiones prolapsa esset, paullo attentius considerarent, tum visuros, periclitanti Patriæ non ab aliis citius, hoc præsertim tempore, quam ab ipsis opem ferri posse, quo novus rex gratiam omnibus tam liberaliter offerret, seque ea, quæ in coronatione spoponderat, sancte servaturum pol-

polliceretur: Constare omnibus, illum vivo patre nullam in administratione regni partem habuisse, proin, si quid forte erratum ante fuisset, id non tam illi, quam iis tribuendum, qui Cæsare multiplici bello, curisque distento, communicatæ sibi potestatis limites egressi rebus curandis præfuissent. Huic quoque malo regem in Comitiis, quæ, ut primum vacaverit, indicturus esset, salubriter consulturum, facturumque, ut in regni administratione nihil a Majorum institutis, quæ sanctione publica, & diplomatibus firmata sunt, recedatur, modo ipsi vicissim datæ olim fidei memores obsequium regi debitum præstent; Oratos igitur velle, ut, si quid sinceri sanguinis Hungarici adhuc haberent, positis, quæ ex errore immodicæ libertatis sumserant, armis, odiisque, se ceteris, qui fidem intaminatam servarunt, adjungant, mereri hoc regem, qui optimam de se spem præbeat, flagitare id ipsam, cujus nomen identidem in ore haberent, Patriam, ne hanc in extremam ruinam, quæ nunquam non cum privatorum damno conjuncta sit, impellant: Si quas perpessi fuissent injurias, suarum, qui medium inter regem, & populum locum tenet, partium esse, ut læsis ex præscripto legum satis fiat, sin autem porro in sua viscera grassari pergerent, sui quoque officii esse, ut universo regno ad signa concito arma in refractarios quamquam perinvitus sumat. 1705.

Cum

1705. Cum plura hujus epistolæ exempla per regnum sparsa, & unum, regio conjunctum, ab Archiepiscopo Colocensi missum Rákóczio fuisset, pluresque de prono regis in Hungaros animo fidem per litteras ei facerent, nemini dubium erat, quin pacis, cujus desiderium sæpe alias prodidisset, consilia amplecteretur. Verum is, licet Regina Angliæ cum Hollandis mense Junio rursum conciliationis tractationem tentaret, & Cæsar hanc ratam haberet, longe alia agitabat. Paullo ante Leopoldi mortem mille Peditibus, &, quibus carebat, peritis rei tormentariæ Præfectis, decretoque in quemvis mensem nonaginta millium *Librarum* stipendio, a Ludovico rege adjutus omnem concordiæ viam præclusit, bellumque occupans *Forgácsium* Rabutino in Transsilvania opposuit, & *Batthyanio* in Sclavoniam, *Károlyio* autem in superiorem Hungariam præmissis, ipse cum *Bercsénio* Posonium properabat. Per iter Leopoldopoli aliquot cohortibus circumclusa in Moraviam procurrit, dumque prædas istic uterque agunt, *Herbevillus*, qui Rabutino suppetias ferebat, re comperta ex itinere deflectens liberata Leopoldopoli, impositoque cum annona militum supplemento, viam relegens in Rákóczium e Moravia cum spoliis reducem incidit, & prælio congressus fudit, Equitatu trans Vagum, & Peditatu cum Bercsénio ad montes albos rejecto, etsi

non

non plura, quam octo, hoſtis autem ſupra quadraginta millia ſub ſignis habere crederetur. Rákóczius ab infelici prælio Caſſoviam ſe recepit, quem Bercsénius ad *Szakolczam*, donec palantes colligeret, moratus, cum fruſtra Moravos in armorum ſocietatem pellicere ſe videret, facta ingenti viarum, ne in Cæſareos incideret, circuitione non multo poſt conſequutus eſt. 1705.

II. Accelerati receptus cauſa non tam accepta clades, fuga enim magis, quam pugna erat, quam importunum ex Transſilvania allatum nuncium fuit. Transſilvani, qui Cæſaris partes fovebant, IV. Nonas Auguſti habito Cibinii Conventu Rákóczii electionem paucorum factione anno ſuperiore factam, & adulteratis trium Nationum ſigillis firmatam, velut juri regio, & immunitati provinciæ adverſam publico decreto irritam declararunt, pœna capitis, & bonorum amiſſione in eos conſtituta, qui illum dehinc Principem ſalutarent, & ejus partes ſequerentur. Hac ſeceſsione territus, ne eodem exemplo ceteri ducerentur, ſuos, accitis etiam illis ex Transſilvania, qui ejus partibus addicti erant, ad Calendas Septembres *Szécsénium* convocavit, novumque cum eis fœdus juramento a ſe, & aſſeclis ſuis edito firmatum pepigit, quo mutuo ſibi opem, & auxilium ad priſtinam libertatem, quam Domus Auſtriaca variis hactenus uſa artibus op-

1705. oppressum iret, vindicandam spondebant, data Rákóczio potestate animadvertendi in fœdifragos, & rem publicam ducis nomine, & auctoritate administrandi, tum leges, quæ in jure dicundo, in rebus politicis, curando ærario publico, & tributorum exactione, quæ item belli, pacis, & hybernorum tempore a militibus servandæ essent, conditæ, nulli religionum, nisi Catholicæ, Augustanæ, & Helveticæ confessioni libertas in regno permissa, additum præterea, ut, qui se nollent confœderatis juramento obstringere, nullo religionis, dignitatisve habito discrimine in exilium bonis sub hasta venditis agerentur. Hac denunciatione non pauci ex ordine Ecclesiastico seu metu, seu sponte adducti juramentum, in quantum Ecclesiæ Romano-Catholicæ contrarium non esset, edidere. Abhinc mutato *Malecontentorum*, quo se prius ab aliis discernebant, nomine, deinceps *Confœderatorum* invaluit, ut juris aliquem titulum præferre viderentur.

Stabilita in hunc modum confœderatione, & privatim instituta regiminis forma, ut ei aliunde etiam pondus adjiceretur, Rákóczius regem Poloniæ Stanislaum *Leczinszki*, quem Suecus Friderico Augusto per vim subrogaverat, sibi devinciendum proposuit. Nuncio itaque ad eum misso, hæc mandata subornante Tökölio, cujus etiam absentis consilio solebat uti, dederat: operam eo maxime

me conferret, ut regi persuadeat, Domum
Austriacam nec Polonis, nec Suecis unquam 1705.
sincere addictam fuisse, cujus nunc adeo documenta
daret, dum Augusto liberum per ditiones suas commeatum
indulserit, & Moscos missis militiæ Præfectis clam juvaret,
quæ huc non obscure tenderent, ut eo exauctorato
rursus Saxo rerum apud Polonos potiatur, has autem
molitiones facile intervertі posse, si Sueci cum Polonis
se Hungaris jungant, quos alioqui vetera pacta, idemque
libertatis amor dudum sociassent, Sueci autem jam
anno 1647. in pacificatione, quam Domus Austriaca cum
Georgio Rákóczio inierat, familiæ ejusdem Principatum
Transsilvaniæ se asserturos fuissent polliciti, cujus
jura cum sibi Josephus arroget, nunc tempus adesse, ut
fidem exsolvant; poscere id ipsam rationem temporis,
quo ad asserendam Domui Austriacæ monarchiam Hispanicam,
in alterum etiam orbem porrectam, tot hostes Galli jugulo
nunc incumbunt, verendum esse, ne, si hanc obtineat,
Europæ æquilibrium e suo cardine moveatur, ejusque
potentia ceteris Principibus olim formidabilis evadat,
ad id autem præcavendum, nihil consultius videri, quam
si Suecus cum recens electo Poloniæ, & futuro Hungariæ,
Galliæque regibus in societatem adversus Domum
Austriacam coeat, & Hungaria pristino suo jure, regem,
quem volet, eligendi uta-

tur, unde illud quoque emolumenti accessurum sit, ut, si Hungaria a Domo Austriaca
1705. fuerit avulsa, Turcæ non facile deinceps arma in Christianos conversuri sint.

Hæc Nuncio data mandata sunt, ut ad Lezcinszkium perferret, & hic Sueciæ, ac Galliæ regibus communicaret, se interea nulli operæ parsurum, ut Turcas in Moscos concitet, ita futurum, ut Poloni uno hoste pauciores nacti, partes novi regis contra Augustum, & quæ hunc adjutum iret, Domum Austriacam, facilius tueri posſint. Apparet jam tum consilia de exauctorando Josepho clam agitata a confœderatis fuisse, quæ quidem ob repulsam a Sueco, & Polono acceptam, mox etiam nuncio de morte Tökölii allato, a) differre visum est, & pacis negocium ad id saltem tempus, quo spes exteros in idem fœdus pertrahendi affulgeret, resumere. Obtulerat ad id jam XV. Junii cum Hollandis operam suam Regina An-

a) Obiit 17. Sept. in campo *Florum* ad Nicomediam, condito 3. Sept. testamento, quo Rákóczium ex asse hæredem scripsit, ea conditione, ut Georgius natu minor filius nomen Tökölii gereret. Executores constituit in Hungaria Bercsenium, in Transsilvania Laurentium *Pekri*, & Michaelem *Mikes*, Constantinopoli *Feriolum*, Galliæ regis internuncium.

Angliæ, & Cæsar gratam acceptamque habuit, Archiepiscopo Colocensi, & Comite Wenceslao a *Wratislaw* Bohemiæ Cancellario renunciatis, qui *Commissariorum* nomine interessent, ab Anglia præter Comitem a *Sunderlandia*, idem, qui ante *Stepneus*, a Batavis rursum *Bruyncsius* constituti, qui Principum suorum interpretes essent, Rákóczius Bercsénio, & Comiti Stephano *Csáki* collegas adjunxit Stephanum *Sennyei*, Sigismundum *Jánoki*, Paulum *Kajali*, & Joannem *Labsanszkium*, sed mandatis ita ambiguis instructos, ut appareret, non tam conciliationem, quam moras quæri. Disceptatio primum de loco, ubi conveniretur, orta, tum ubi Tirnavia delecta est, & Cæsaris Commissarii, ac Stepneus fiduciarias auctoramenti sui litteras Rákóczianis legendas exhibuerunt, rursus orta altercatio: objectum est, multa iis contineri, quæ vitio laborent. Hæc studiose captabantur, ut Rákóczio tempus daretur in Transsilvaniam, cui Herbevillus imminebat, penetrandi. Re ipsa enim huc negotiatio Tirnaviensis spectabat. Admonitus enim de Herbevilli itinere, Commissarios suos porro instare negocio jubet, ipse concitis sine mora copiis *Karolyio* se conjungens, claustra montium, qua aditus in Transsilvaniam arctatur, cum XXIV. millibus insedit, & Herbevillum post Varadinum obsidione liberatum appropinquantem non levi primum clade affecit, 1705.

post tamen XI. Novembris amissis sex suorum millibus, & XXIV. tormentis, cedere, & provinciam in fide Cæsaris coactus est relinquere. Princeps vexillum, fœderatorum tessera, a) eo prælio interceptum, & Marchio *Bellegardius*, qui triduo ante Constantinopoli e Gallia Legatus ad Rákóczium venerat, inter captivos repertus est.

1705.

Interea Tirnaviæ nihil ultra promotum. Commissarii petebant, ut Rákócziani *præliminares*, quas vocant, conditiones depromerent, quo solidius ea, quæ pacis sunt, tractari possint; illi contrà litteris fiduciariis nævos oggerere; Cæsaris non videri satis explicatas, carere præterea usitatis in hoc genere solennitatibus, Reginæ vero Angliæ quædam continere fœderatis injuriosa, se enim in iis velut *errantes*, *reos*, & gratiæ indigos notari, quæ a Mediatorum officio magnopere abhorrerent. Responsum est, Cæsarem, & Reginam litteras ea, quam cuperent, forma missuros, quæ dum adsint, nihil impedimento esse, quo minus tractationem pertendant, petitum quoque, ut vias Tirnavia Posonium, & hinc Viennam, quas Bercsenii

a) Vexillum has Siglas referebat: *D. G. El. Pr. Tr. Fr. R. D. F. V.* Hoc est: Dei gratia Electus Princeps Transsilvaniæ, Franciscus Rákóczi, Dux Fœderatorum Ungarorum.

csenii copiæ obsederant, tutas redderent, ne justa de sincero fœderatorum ad pacem animo causa suspicandi detur. Cum fidem suam peti viderent, non militiæ, sed pacis curam sibi creditam reposuere, ceterum omnes, qui liberi commeatus litteras a se obtinuerint, secure ultro citroque ituros. Id quoque dissimulandum Commissarii existimabant, petebantque, ut quando jus successionis regiæ, & Decretum Andreæ II. se in limine tractationis nolle attingere, Colocensi Archiepiscopo promisissent, & rex de gravaminibus se secundum leges satis facturum recepisset, postulata, si quæ iis præterea viderentur proponenda, in medium afferrent. Ventum est ad argutias, & discrimen inter regiæ dignitatis successionem, & hæreditariam regni proprietatem quæsitum; hoc cujusmodi sit, ex se se patere, illud ad primogenitum duntaxat pertinere ajebant, nec oportere eandem Hungariæ cum ceteris Domus Austriacæ hæreditariis provinciis esse rationem, quæ non despotice, sed secundum constitutiones Majorum inter regem, & subjectos justo temperamento consistat, hoc, si clausula Decreti Andreæ II. regis antiquetur, vereri se, ne in utramvis partem magis, quam æquum sit, inclinet; hoc, ne fieret, sibi in principio confœderationis fuisse propositum, nihilque aliud se cupere, quam ut regnum vetere instituto gubernetur. Facile Commissarii intellexerant, 1705.

 quo

quo cuperent evadere: Cæsari, reponebant,
1705. ne in mentem quidem venisse, ut successionis titulo jus despoticum sibi arroget, aut Hungariam ceteris hæreditariis provinciis æquiparari cupiat; esse cuivis regno, & genti suas leges, & instituta, quemadmodum linguam, mores, & ditionum, cœlique positum, quæ si quis in eundem ordinem, & formam cogere velit, desipiat, nec ob abrogatam Decreti Andreæ II. clausulam metuendum esse, ut rex suo unius arbitratu rem publicam administret; satis esse cautum huic periculo juramenti religione, quo reges die coronationis se Statibus regni solent obstringere, ut adeo mirum videri debeat, confœderatos in his hærere, præsertim quod novæ cum Cæsaris, tum Reginæ Anglorum recens allatæ litteræ fiduciariæ eorum, quæ in disceptationem adducta sunt, vadimonii instar esse possint. Exhibitæ simul sunt, & lectæ, verum rursus suspicionibus magis, quam æqua rerum libratione tempus in annum sequentem extractum est. *a*)

III.

a) Hist. des revolut. &c. T. II. l. 6. p. 291. & T. III. l. 6. p. 95. — 194. Lamberti Memoir. T. III. p. 608. — 13. Litt. Cæs. ad Transsilv. Vien.

III. Hæc protelatio quamvis occasionem justæ suspicioni præbuerit, fœderatos non eo, quem præferre videbantur, animo pacem anhe- 1706.

Vien. 10. Maji. Palatini ad Hungar. ibid. 15. ejusd. Reginæ Angl. credention. ad fœderatos, ex Vindesor. 15. Jun. Rákóczii Resp. ex Tolcsva. 3. Jul. Cæsar. credentional. suis Commissar. Vien. 9. ejusd. Transsilvanor. Decret. contra Rákóczii election. Cibinii. 2. Aug. Rákóczii litt. ad Archiep. Colocen. 15. ejusd. Bercsenii ad Morav. Szakolcza. 18. ejusd. Mediator. ad Rákóczi Vien. 3. Septemb. Hujus Resp. ex Szécsén. 13. ejusdem Confœderatio Szécséniens. 20. ejusd. Forma juramenti, articuli conditi, leges militiæ, & Edicta. 28. ejusd. ibid. Plenipotentia Commissarior. Rákóczii. 6. Oct. ibid. Instructio eorund. 7. ejusd. Puncta fœder. Suecis, & Polonis proposita. Salvus conduct. pro C. a Wratislav. 8. ejusd. ibid. Plenipot. Commissar. Cæs. Vien. 22. ejusd. Litt. Mediator. ad Bercsényi Tirn. 28. ejusd. Replica Fœderat. 30. ejusd. ibid Mediator. Repl. 7. Nov. Fœderat. Resp. 16. ejusd. Mediator. ad illos 19. ejusd. & Stepnei. Vien. 3. Dec. Horum Resp. 8. ejusd. Tirn. Mediator. ad Fœderat. Vien. 9. ejusd. Utrorumque Replicæ. Vien. Tirn. 10. 14. & 20. Dec. Cæs. nova Plenipot. Vien. 20. ejusd. Fœderat. Resp. Tirn. 23. Altera Plenipot. Reginæ Angl. ex palat. S. Jacobi 27. Fœderat. Resp. Tirn. 28. Dec.

anhelare, & Rákóczius præterea *Miskolczini*
1706. conventum privatum cum ſuis haberet, Bercsénius vero vicinos Auſtriæ Comitátus in fœderis ſocietatem pellicere conaretur; Commiſſarii tamen cum Stepneo nihil propterea a cœpto remiſere, cumque fœderatos in jure ſucceſsionis plurimum adhærere, idque in eam partem detorquere, aliorumque animis de induſtria ingerere obſervarent, quaſi eo nomine arbitrarius in totam Nationem, & abſolutus dominatus intelligatur, auctores Cæſari erant, ut mentem ſuam ea de re declarare vellet. Fécit, editisque XX. Januarii litteris, quæ fœderatis communicarentur, palam proteſtatus eſt, jure ſucceſsionis, quod Domui Auſtriacæ jam olim pactis conventis, & vetuſtis regni conſtitutionibus aſſertum, nuper autem in Comitiis Poſonienſibus in clariorem formam ab ipſis regni Ordinibus unanimi conſenſu redactum eſſet, ſe nequaquam arbitrarium, vel abſolutum dominium ſibi vendicare velle, ſed quod ex legum præſcripto, & mutua inter reges, & Status ſtipulatione hactenus conſtitutum, ac totius Nationis voluntate, ipſoque uſu firmatum eſſet, & ipſe inaugurationis die ſervaturum ſe jure jurando promiſerat. Quare, cum nulla de fide ſua dubitandi juſta cauſa adeſſet, monuit, ut arma, quæ hoc præcipue titulo ſe ſumſiſſe faterentur, tandem ponerent, & Patriam de-

ſine-

finerent in ruinam impellere. *a*) Hæc cum omnem ſuſpicionem ad vivum reſecarent, ad ſubterfugia itum. Rurſum ſucceſsio recocta, quaſi Cæſar hanc, veluti *patrimonium*, uſurpare cogitet; hoc ſcrupulo exemto, de induciarum conditionibus diſceptatum, aliæ enim VI. Martii, aliæ, paulloque magis explicatæ XXII. Aprilis, rurſus aliæ VIII. Maji propoſitæ, in quas utrinque tandem conventum. Harum leges erant, ut quadraginta quinque diebus ab armis ceſſetur, niſi forte, ut res poſcet, prorogandæ eſſent; Cæſareus miles verſus Sopronium recedat, nec ultra amnem *Leitam*, & *Ovdrinum* ſe porrigat, reliquum fæderati teneant, fas ſit tamen Cæſareis Jaurinum, & ad alia, quæ ſecundum Danubium iis parent, loca litterarum commercium habere, ſimiliter milites utriusque partis cis Danubium, & verſus Moraviam, ac Sileſiam, quam nunc obtinent, ſtationem retineant: fœderati Sárváro, Trencsinio, Leopoldopoli, Varadino, & Alba regali, quæ nunc 1706.

clauſa

a) Hanc declarationem, ut complura alia, miror in hiſtoria *des revolutions de Hongrie* &c. omiſſam eſſe, quæ longe aliam toti operi faciem induxiſſent. Pleraque certe admodum manca ſunt, nec ſatis ad veritatem exacta, ſive lapſu memoriæ id factum, ſive aliud in cauſa fuerit.

1706. clausa tenent, tanto spacio recedent, quanto eorum ager veteri jure porrigitur, licebitque præsidiario militi annonam, aliaque usui necessaria, non tamen arma, & belli apparatum inferre; idem de Jaurino, Comaromio, Strigonio, & Buda intellectum esto. Mercatoribus libere utrinque commeare, uti colonis agrorum, & vinearum culturam tuto exercere liceat, militibus tamen, nisi obtenta venia, ad alterutrius partis stativa adire vetitum: captivi non alibi, quam Comaromii, & Szegedini a Cæsareis, a fœderatis autem Ujvárini, & Zolnokini permutabuntur, iisdem denique conditionibus Transsilvania comprehensa censeatur.

Has postquam Cæsar XI. Maji, & Rákóczius XX. ratas habuissent, & Tirnavia rursus tractandæ paci fuisset destinata, Commissariorum quoque numerus utrinque auctus est. Cæsar Carolum Principem Lotharingiæ, Olomucensem, & Osnabrugensem Episcopum, Nicolaum item Illésházium, & Comitem a Lamberg: Rákóczius Alexandrum Károlyi, Stephanum Sennyei, & Andream Pethes Agriensis Capituli Præpositum prioribus adjunxere. Erant in ipso Congressus initio non pauca, quæ & moram injicere, & parum felicem exitum portendere videbantur. Palatinus, cujus alias officium esset, subjectos regi conciliare, se ab hac tractatione excludi, questus erat, quem tamen

men Cæſar non alia de cauſa, quam ne ob privatas, quæ illi cum Rákóczio interceſſerant, ſimultates, negotium moraretur, prætereundum exiſtimabat, & Kolloniesius regni Primas, ne quid in religionis negotio ultra id, quod jam indultum erat, concederetur, ſolenni verborum forma intercesſit. Accedebat illud quoque, quod magna Transſilvanorum pars facta ſeceſsione ad Rákóczium, inito fœdere, cui nomen *Huſztienſis* inditum, defecerit. Hæc acceſsio, ut Commiſſariis novas curas, ita fœderatis majores ad audendum animos addidit, dum XVII. Calendas Julii ea poſtularent, quæ pene nullam conciliationis ſpem præbebant. Hæc in pauca capita, ex quibus ad reliqua facilis conjectura ſit, contraham. 1706.

Primum, ut de iis, quæ hac tractatione conſenſu utriusque partis decernenda eſſent, non Angliæ ſolum Regina, & fœderatum Belgium, ſed Sueciæ præterea rex, Boruſſia, & Veneti, ac Poloni fidejubeant. Alterum, ut Transſilvania jus liberum eligendi Principis habeat, nec cenſeatur poſthac a Domo Auſtriaca dependere. Tertium, quæ in poſtremis Comitiis Poſonii violenter extorta erant, irrita, & penitus abrogata ſint, quæſtione, quæ ad ſucceſsionem regiam pertinet, ad ulteriorem conſultationem rejecta; ſimiliter Decretum Andreæ regis integrum perſiſtat. Quartum, quæ Palatino ſecundum

leges

1706. leges competit auctoritas, inviolata maneat, adstituatur eidem Senatus, hunc autem quatuor Prælati, octo Magnates, & duodecim Nobiles ex iis plagis, quæ cis, & trans Danubium, & Tibiscum tenduntur, deligendi constituant, quorum consilio adhibito rex mandandi potestatem habeat. Quintum, miles exterus nunquam deinceps regno inducendus, quamprimum excedat, ejusque locum Hungarus occupet, cui stipendia ex regiis proventibus pendenda erunt. Sextum, facta Leopoldi Cæsaris, præsertim contra Rákóczium, & fœderatos, irrita declarentur. Septimum denique, reliqua enim a postulatis, sæpe alias regestis nihil fere differunt, ut cuprea moneta, quam fœderati necessitatis causa feriundam curassent, illucusque in publico rerum usu obtineat, donec pax coaluerit, post vero abrogetur, neque fas sit, similem deinceps cudere.

Ad hæc Cæsaris Commissarii petita mora reposuere, fidejussionem, quam stabiliendæ paci aliunde accerserent, non modo supervacaneam, sed periculosam quoque videri, quod perpetuam fere de data utrinque fide suspicandi, & novis rursum motibus ansam præbitura esset, parum etiam honori Reginæ Angliæ, & fœderato Belgio eos consulere, dum novos utrisque collegas additos cupiunt, quod quid aliud esset, quam vel sinceritatem illorum in dubium vocare,

vel

vel auctoritatem depressam velle? postquam in conditiones utrinque conventum fuerit, satis esse temporis, ut, quos petebant, vadimonium confectæ pacis in se recipiant, neque enim de re, quæ nondum esset, ullum prudenter fidejubere posse. Transsilvaniam, quæ a tempore Divi Stephani regis juri Hungarico innexa esset, sine injuria non posse a regno avelli, cum Vayvodæ illius, ut ex superstitibus etiamnum formulis liqueret, juramento se regibus obstrinxerint; his quidem injuria temporum successisse Principes, post recuperatam vero provinciam, Status, & Ordines ad pristinum Dominum esse reversos, quin nuper etiam irritatis adversæ factionis sanctionibus, se denuo Cæsari conjunxisse; si qui essent, qui se ab his sejunxerant, neutiquam in eorum arbitrio, & potestate esse, ut possessionem legitimo Domino eripiant, & regiminis formam, & jura Ordinum immutent, si se gravatos sentirent, confecta pace, in qua ceteroqui nullam partem haberent, audiendos esse. Frustra illud etiam asseri; Statuta Posoniensis Conventus vi extorta fuisse, nisi id, quod spontaneo Ordinum consensu sancitum erat, violentum esse dicatur, id autem si obtinet, actum esse de publici conventus auctoritate, nutare fidem eorum, qui regnum in Comitiis referrent, & potestatem legislativam non solum reddi inanem, sed funditus etiam convelli. 1706.

velli. Officium Palatini, ceterique magiſtratus regni, Cæſarem alioquin velle, ut ſecundum priſcas conſtitutiones adminiſtrentur, ſi quid ante, regnum quam adierat, prætermiſſum eatenus fuiſſet, facturum, ut huic quoque rei in futuris Comitiis conſulatur. Militis externi ad tuendos fines neceſsitatem, ipſos Ordines ſæpe alias agnoviſſe, quem miſsis Legationibus ab Imperii Principibus crebro expetiiſſent, vix etiam exterum dici poſſe, qui ad defendendum regnum vitam prodigeret, & alienis ſtipendiis aleretur. Ceterum reducta poſt ſopitos motus animorum unione viſum iri, quid e commodo rei publicæ ſtatui poſſet, interea opus illo eſſe, cum ipſi etiam fœderati exterum militem ſub ſignis haberent. Quod ad Rákóczium, ceterosque fœderatos attinet, palam orbe eſſe, Cæſarem a regiminis primordio, & alias quoque omnibus, ſi arma ponerent, erratorum veniam dediſſe, eodemque animo nunc eſſe comparatum, ut ad obedientiam reverſis, præteritorum obliviſci, & bonorum non minus, quam honorum jacturam ſarcire velit. Poſtremum, ut moneta cuprea privatorum auctoritate peſsimo exemplo inducta abrogetur, æquum omnino videri, quo citius regni populique damno conſulatur. Conſtare enim, triennio hoc partim extorta a plebe pecunia argentea, & ablato ex montanis urbibus argento, auroque facto, & in-

1706.

fecto

fecto, aliquot decies centena millia in privatorum usus e regno educta fuisse. 1706.

Hæc Commissariorum Cæsaris responsa erant, quibus cum fœderati minime sibi satis fieri existimarent, & Rákóczius præterea cum Bercsenio, qui ingens auri, & argenti pondus Gedanum per Poloniam, si res male cederet, transposuerant, a) se notari viderent, pacis negotium rursus abruptum est. Non poterat id Mediatoribus non molestum accidere, apud quos ne Rákóczius invidiam incurreret, causas soluti Conventus vulgato scripto in Cæsarem conjecit, cujus inanitatem cum hic opposito edicto detexisset, Anglia Stepneum, & Hollandi suum oratorem domum revocarunt, ne ob frustra locatam apud homines quietis impatientes operam auctoritatis suæ jacturam facerent. At Cæsar extrema periclitaturus, cum non ignoraret, multos vi adactos Rákóczium sequi, rursus promulgata amnestia impunitatem universe pollicitus est, si, qui trans Tibiscum, Rabutino, qui vero cis illud flumen, & ad Danubium degunt, Guidoni Stahrenbergio se sisterent, positisque armis juramentum fidelitatis ederent. Multi ærumnarum tædio, & for-

a) Id computus Dantiscanus an. 1708. per Jacobum Krai, in archivo Munkácsiensi repertus, docet,

tunarum jactura capti ſe Cæſaris clementiæ
1706. permiſerant, plerique tamen ſeu diuturnæ licentiæ jam innutriti, ſeu minis etiam retenti, in propoſito perſiſtere, noviſque militiæ, & fœderis legibus ſe obſtrinxerant. a)

IV. Cæſar poſt toties fruſtra tentatam,
1707. interpoſita etiam Principum exterorum fide conciliationem, ad corripienda arma cogi ſe videns, detractis a Rheno aliquot Legionibus, Guidonem Stahrenbergium, quem ob tacitam, ut ſuſpicio fuit, cum Eugenio ſimul-

---

a) Hiſt. des revolut. cet. T. III. l. 6. p. 151. & ſeq. Wagner l. c. pag. 127. & ſeq. Lamberti Mem. T. IV. p. 99. — 126. Gabr. Kollinovics document. citt. Litt. Bercsenii ad civit. & comitat. Sopronien. ex Huſzt. 9. & 12. Jan. Cæſ. patentes de jure ſucceſsion. Vien. 20. ejusd. Acta Convent. Tirnavien. Conditiones induciar. 22. Apr. & 8. Maji., harum ratific. 11. & 20. ejusd. Confœder. Transſilvan. Huſztien. 14. Jun. Poſtulata fœderator. 15. Jun. Commiſſarior. Cæſar. reſp. Prorogatio induciat. 4. Jul. Litt. Rákóczii ad Belgium fœder. 22. ejusd. Manifeſtum ejusd. de ſoluto Conventu Tirnav. 30. Jul. Cæſar. edictum contr. & amneſtia. Vien. 15. Aug. Reginæ Angl. ad Cæſ. 18. Fœder. Belgii ad Rákóczi 19. ejusd. Hujus ad illos Reſp. 15. Septemb. Leges militares fœderator. Caſſov. 26. Decemb.

multatem ex Italia evocaverat, præfecit, virum parvis etiam copiis hostem sustentare, &, si usus ferret, vincere gnarum. De belli gerendi ratione, accersito etiam e Transsilvania Rabutino, dispari sententia Viennæ certatum est. Plerique fines Stiriæ, Austriæ, & Moraviæ, qui hostium incursionibus alias quoque patuissent, solum custodiendos, nihilque prælio tentandum, & Transsilvaniam quoque suo fato relinquendam censebant, donec pacatis ad Rhenum, & in Italia rebus, plures copiæ in Hungariam deduci possent. Aliter Cæsari, præsertim de Transsilvania visum, quod hac deserta ad potentiam Rákóczii, quem alioqui magna provincialium pars respiceret, ingens fieret accessio, qui, si hac occupata decessorum exemplo clam cum Turcis conspiret, novum rursus bellum ab oriente metuendum esset, præsertim quod certis indiciis sibi compertum sit, nuncios ab eo Constantinopolim, & Belgradum sæpius commeare. *a*) Quare Rabutino mandatum, ut, lectis supplementis *Tiego*, quem legatum suum in Transsilvania constituerat, suppetias properaret. Sed ipsa itineris longinquitas fecit, 1707.

a) Præcipui ex his fuere, Casparus, & Joannes *Pápai*, Franciscus *Horváth*, & Andreas *Bai*, ut habet, *signatura archivi Rákóczіani* ad annum 1707.

1707. fecit, ut Rákóczius illum prævertens, indicto *Marosvásárhelyinum* Conventu iisdem, quibus olim Georgius Rákóczius conditionibus Princeps Transsilvaniæ XXVIII. Martii renunciaretur.

Ad Budam igitur Rabutino interea hærendum erat, acri cura in Conventum *Onodiensem* intento, quem Rákóczius Hungaris, & Illyris, qui in fide Cæsaris perstiterant, frustra accersitis, ad Calendas Maji indixerat. Stahrenbergio datum negotium, ut ad Posonium excubaret, Cæsar autem videns, Rákóczium eo jam intemperiarum venisse, ut se regem pene ferret, gravi edicto vetuit, ne quis ad præstitutum diem Onodinum veniret, Sororem quoque Rákóczii Aspermontio nuptam miserat, quæ illum ad saniora consilia flecteret; frustraneus & hic conatus fuit, quod parum sibi honorificum esse diceret, si, præsentibus jam provinciarum nunciis, Conventus solveretur. Initium hujus turbulentum, & aliquorum etiam, inprimis *Okolicsanyii*, sanguine inquinatum erat. Adornaverat is provinciæ Thuroczienfis nomine libellum, quo petebat, ut aspernatis Gallorum consiliis negotium pacis cum Cæsare resumeretur, quo luxatum ab ipsis fere cardinibus regnum consolidari, & incolæ ad incitas redacti, quiete restituta respirare possint. Pertraxerat in suam sententiam plures Comitatus, & libellum Rákóczio porrexit,

qui

qui cum in Conventu legeretur, Bercsenius finis impatiens signum ad cædem dedit, *Okolicsanyi*, *Rakovszki*, aliique temere obtruncati, Paulus, Okolicsanyii pater, cum aliis in vincula, & carcerem conjectus, aliqui temeratam Conventus publici fidem, alii contra justam pœnam vociferari, misceri denique omnia, donec sedato paulatim animorum æstu res jam superiore anno *Rosnaviæ* a Senatu Rákóczii clam agitata ad consultandum proponeretur: utrum exauctorato Cæsare interregnum declarari, nec ne, oporteat? major pars assensa est, & Cæsari regnum ob violatas leges abrogatum, decreta in eos, qui in illius fide persisterent, bonorum amissio, aut exilium, Bercsenius ob negotiorum copiam Rákóczio adjunctus, imperata universis quater decies centena florenorum millia, si vim Cæsar pararet, &, ut causæ interregni scripto comprehensæ exteris Principibus per celeres nuncios communicentur. 1707.

Ut Viennam hæc certa fide perlata sunt, primum Palatinus, mox etiam Cæsar publico edicto conventiculum Onodiense, hujusque statuta irrita declararunt, Pontifex quoque, etsi Galliæ magis, quam Austriæ favere videretur, religionis tamen causa Episcopos, & qui ex Clero Conventui intererant, & acta rata habuissent, nisi resiperent, a sacris functionibus abstinere jussit. Stahrenbergio, & Rabutino, quæ ex usu essent, ut

agerent, mandatum. Ac ille quidem copiis
1707. jam auctior, communita *Schentavia*, ac *Leopoldopoli*, & *Trencsinio* obsidione solutis *Ocskaium* a Moraviæ finibus facile rejecit, *Pálfius* Croatiæ Banus insula Cituorum hoste perpurgata, *Bezeredium* trans Danubium divagantem, in officio continuit, Rabutinus autem difficili itinere in Transsilvaniam eluctatus, reducta in fidem provincia Rákóczii Principatui finem fecit. Is per id tempus Onodini adhuc cum suis hæserat, variis curis exagitatus. Nec enim, ut sperabat, se regem renunciari audiit, & plerique Gallos Præfectos ob disciplinam militarem moribus suis minime accommodatam exosi missionem postulabant, & hac non obtenta domum spretis mandatis rediere, plebs quoque vulgato interregno plures pro uno dominos, nec tam libertatem sibi, quam servitutem ob imperata recens tributa parari videns, non obscura exacerbati animi jam indicia dabat, in seditionem, nisi mature obviam iretur, eruptura.

Exauctorato Cæsare, de nova regiminis forma consultatum, utrum *regni* nomen esset retinendum, an Respublica constituenda? illud in tanta animorum dissensione, & nervi hanc stabiliendi defectu plerisque visum, sed cui id repudiata Domo Austriaca offerrent, rursus disceptatum. Præ ceteris Bavariæ Elector, cui cum Cæsare per id tempus male

le

le convenerat, idoneus videbatur, qui auxilio Gallico suffultus, regiam dignitatem sustinere posset. Missus propterea in Galliam Ladislaus *Kökényesdius*, alio nomine *Vitézius*, qui rem conficeret. Responsum est, regem consiliis suis, & auctoritate foederatis affuturum, vix tamen modum suppetere, quo eis auxilium nunc quidem ferre possit, ceterum in generali pacificatione, cujus spes proxima esset, operam daturum, ut eorum etiam ratio habeatur. Hac spe dejecti, Petrum Moscoviae *Czarum* in Polonia morantem, adeundum censuere. Id negotium Bertsenio, & Francisco *Klobusiczkio* creditum, in mandatis illud praecipuum erat, ut stabilita inter illum, & Galliae regem amicitia conciliatoris partes apud Caesarem agere, & foederatis Hungaris pacem honestis conditionibus procurare vellet, id si effecerit, Hungaricas copias praesto futuras, quae Polonorum, & Moscoviticis conjunctae facilem Constantinopolim aditum *Czaro* paraturae sint, praesertim si classe praeterea mare nigrum infestum redderet. *a)* Verum splendida haec promissa, & spes Suecus, Moscis rursus in Polonia incumbens, repente dissipavit. Redux 1707.

 cum

a) In hanc sententiam *Revelatio arcanorum Rákóczii, & confoederationis per Károlyium post conclusam an.* 1711. *pacem facta.*

cum Collega Bercsenius Czarum etiam sub-
1707. offensum Rákóczio, quod regnum Poloniæ, ne Suecum offenderet, sibi oblatum accipere detrectasset, retulit. *Czari* ira, & ambigua Gallorum responsa, allatum præterea de rebus in Italia a Cæsareis feliciter gestis, & occupato per *Daunium* regno Neapolitano nunćium, Rákóczium magnopere solicitum, & variis suspicionibus obnoxium reddidere. Simonem *Forgácsium*, quod in Cæsaris partes inclinare diceretur, captivum ad Scepusiensem arcem duci jusserat, ut reliquos hoc severitatis exemplo in fide contineret. Contra evenit; multi arbitrario hoc facto libertatem, pro qua arma sumsissent, lædi, & viro ceteroquin militia præstanti, nec ex juris norma postulato, defensionis locum dari oportuisse, satis aperte declarabant, quin non deerant, quos deproperati Conventus Onodiensis jam pœnitere cœpit, Cæsari ajebant regnum esse abrogatum, oblatum aliis propemodum sperni, postremo rem huc redituram, ut sibi solis relicti, aliam, qua regno consulatur, rationem inire cogantur. Senserat Bercsenius, præcipuum confœderationis fulcrum, quo hujusmodi oratio posset evadere, auctorque fuit Rákóczio, ut, soluto Conventu, alium Cassoviam indiceret. Hæc ut ad Nonas Decembres gesta, & Cæsari perscripta sunt, is novam sibi conciliationis viam præberi videns, missis XXIII. Decembris de-

more

more per regnum litteris, Ordines pro XXVIII. Februarii insequentis anni Posonium ad Comitia excivit. *a*) 1707.

V. Magna inde spes pacandi tandem regni plerosque tenuit, præsertim, quod *Bruyncsius* rursus ab Hollandis hac de causa adfuturus esset. Convenere ad V. Nonas Martii ex omni Ordine frequentissimi, quamvis Rákóczius minacibus litteris obturbare ausus fuisset, patuitque inito numero plures dignitate conspicuos, Prælatos, Magnates, & majoris census Nobiles, regis, quam fœderatorum partes sectari. Cæsar, qui negotium interea cum Pontifice Neapolitani regni causa confectum 1708.

 est,

a) Hist. des revolut. T. V. sive Memoir. du Prince de Rákóczy p. 337. — 85. etsi multa istic desiderentur. Wagner l. c. p. 200. — 209. Lamberti T. IV. p. 488. — 93. Gabr. Kollinovics docum. Litt. Rákóczii ad Hung. & Illyros. Rosnav. 3. Febr. Invitator. ad Convent. Onodien. ex Maros-Vásárhely. 6. Apr. Ejusd. ad Hung. Claudiop. 26. ejusd. Stahrenbergii ad confœder. ex Zavar. 13. Jun. Rákóczii ad Hung. ex Onod, statuta Convent. & Manifestum ad Principes ibid. 22. Jun. Confœderatio cum Transsilv. Huszt. 29. Jul. Cæsar. & Palatini edictum contra Conv. Onodien. Vien. 4. & 20. Aug. Cæs. Manifestum ad Principes ibid. 25. ejusd. Regales pro Comitiis ibid. 23. Dec.

est, Principem Joannem Adamum *Liechten-*
1708. *steinium*, & Comitem Honorium *Traunium* suo nomine Comitiis adesse jussit. Ordines cum sponte sua, tum horum suasu nuncios ad Rákóczium, & confœderatos Cassoviam misere, ut Comitiis interesse, communemque operam ad restituendam regno tranquillitatem conferre vellent. Addidit Palatinus seorsim ad Rákóczium litteras urbanitatis plenas. Responsum est ferociter: mirari se, suosque, quod, cum sciret, Cæsare exauctorato Hungariam rege carere, auderet se illius nomine ad Comitia accersere, venturum se quidem, sed armatum, & responsa in loco daturum. Neque diu cum Bercsenio moratus XXII. millia Ujvárino, Nitria, ceterisque locis deducta *Ujhelyino* ad Vagum amnem obsidendo admovit: partem Equitatus Moraviæ ad agendas prædas, & partem agro Posoniensi ad solvendum Conventum immissurus, nisi ab Heistero Vagum transmittere coactus fuisset, quem dum ille accelerato itinere prope Trencsinium consequutus ad prælium cogit, cæsis VI. millibus, interceptis XIV. tormentis, & signis quinquaginta in apertam fugam conjecit. Elapsus Agriæ consedit, missisque in Poloniam, Moscoviam, ad Hollandos, & Constantinopolim nunciis opem, & auxilium flagitabat.

Victoriæ Trencsiniensis fructus spe major erat. Nitria, Schemnicium, Cremnicium, Neo-

Neosolium, aliaque circumsita loca recuperata, *Ocskaius* cum Legione nongentorum Equitum Cæsaris militiæ auctoratus; idem *Bezerédius* clam cum Pálsio agitabat, sed a familiari suo proditus cum aliquot Centurionibus, qui vel socii, vel suspecti erant, *Patakinum* ductus non multo post capite pœnam luit. Neque tamen hoc supplicio ceteri in constantia firmati, multorumque æstus subsidere sensim cœpit, nec pauci Cæsarem circumspiciebant. Commode nuncius e Moscovia spem conciliationis cum aula Viennensi prope certam attulit. Missi igitur Posonium, qui de induciis tractarent. Postulata prioribus magis sobria fuere, illud novitate sua omnes adverterat, quod jura, & immunitates Transsilvaniæ ita firmari peterent, ut electio Principum libera quidem sit provincialibus, sed feudum a rege, & regno ad eum modum, quo ceteri Imperii Principes a Cæsare solent, qui electus fuerit, accipere adstringatur. Cum hæc privata magis, quam publica auctoritate proposuisse viderentur, remissi sunt ad suos, qui dum interea Talyæ, mox Patakini coeuntes ad reparandas vires, de subsidiis, tyronum supplementis, & reliquo belli apparatu instaurando consultant, annus, & cum hoc res etiam Rákóczii sensim inclinabant. 1708.

Cæsareorum enim ad Aldenardam relata de Gallis victoria, expugnatæ Insulæ, occupata ab Anglis Sardinia, & Minorica, resque in

in Comitiis pacatæ spem illius, quam in Gal-
1708. lis reponebat, fere penitus afflixerant. Alienæ tamen opis indigus rem viribus suis majorem aggredi statuit. Fœdus, quo Cæsar Anglis, & Hollandis contra Gallum junctus erat, dissolvere, aliudque opponere Cæsari cogitabat. Rex Borussiæ ad id opportunus illi visus. Ad hunc Stephanum *Dobosi* mittit, datis seorsim ad *Jablonszkium*, qui regi a sacro ministerio erat, litteris, ut consilio ei adesset; addita sunt centum florenorum millia, aliaque dona inter eos, qui rem suam adjutum irent, distribuenda. *a)* Mandata Dobosio data huc præcipue spectabant: ut Principatus Transsilvaniæ ab Hungaria in perpetuum avulsus, sibi, suæque familiæ cedat: hanc a se junctis cum Czaro viribus facilius contra Turcas, quam a Domo Austriaca defendi, illorumque incursiones a Christianorum ditionibus minore impendio averti posse. Non deesse sibi quidem vires ad trahendum in plures

a) Ex Protocollo Rákóczii instructionis pro Dobosio cap. 12. *ut cuncta hæc faciliori modo progredi possint, ad dispositionem D. Jablonszki centum millia florenorum mittimus, ut de iis, quibus, & quantum dandum judicaverit, disponat. -- Interea vero mittimus pariter ad dispositionem ejus* 30. *vascula, & vasa viginti.* Opinor vini Tokaici.

res annos bellum, arcto se præterea fœdere [redacted]
cum Gallis illigari, habere etiam in Italia 1708.
causæ suæ socios, & studiosos, quorum opera non solum Transsilvania, sed Hungaria etiam a dominio Austriaco divelli posset, *a*) verum majori se in Patriam amore duci, quam ut hanc sanguinario bello rursus involvat, superesse leniora media, quibus ad optatum finem se pervenire posse speret.

Cujusmodi autem hæc essent, privatim ad *Jablonszkium* perscripsit. Hungariam non facile secura quiete fruituram, nisi potentia Austriaca certis cancellis includatur; hos ab Anglis, & Hollandis, aliisque confœderatis, qui immensis sumtibus illam ad servandum Europæ æquilibrium sustentassent, posse constitui, modo rex communicatis secum consiliis de futuro Hungariæ rege, si eligeretur, mentem suam, quid sentiat, aperiret, daretque operam, ut confœderatorum interventu tractatio pacis futura hyeme cum Hungaris rursum inchoet, ita Gallum mitiorem reddendum, cum quo

a) Ibid. c. 2. *Non nobis deesse quidem media, bellum ad annos complures continuare, & habere nos præ manibus media, novos concludere tractatus cum Galliarum rege, & Ligam in Italia formatam, per cujus felices progressus nihil naturalius esse posset, quam demembrationem integram regni a dominio Austriaco sperare.*

[redacted] quo fœderati negotia sua facilius deinde conficere possint, & his confectis Cæsar ad consensum eligendi novi regis Hungariæ cogi;
1708. sin vero Gallus a justis pacis conditionibus abhorrere videretur, tum vero in id incumbendum esse, ut Cæsar aliquot annorum inducias cum Hungaris confœderatis etiam invitus ineat, quo integre reparatis viribus ad amplectendam pacem adigi possit, de qua conciliandа, ubi bello nunc impliciti communiter egerint, non defuturam occasionem, ut res de Principatu Transsilvaniæ etiam transigatur, pace autem confecta, reges Sueciæ, & Borussiæ, cum novo, qui futurus esset, rege Hungariæ initis pactis, præsertim si Angli, & Hollandi accesserint, bilancem libertatis Europæ in potestate habeant, suoque arbitrio temperent. a) Hæc ille, quod rex Borussiæ copias

a) Ex eod. Protocol. epist. ad Jablonszki, & Kánolyi. 18. Oct. *Sin vero Galliam a justis pacis conditionibus alienam esse viderent, arcent Imperatorem ad faciendum aliquot annorum armistitium cum Hungaria - - ut exercitibus suis contra illam agere possint, - - & tandem ubi ad pacis tractatum deventum fuerit, - - perpetuis pactis firmetur inter reges Hung. Sueciæ, ac Borussiæ, tam firma unio, quæ suo tempore Anglis, & Hollandis adjunctis evadat in bilancem Europae; seu conservatricem Europææ libertatis potentiam* cet.

copias suas ex Italia ad tuendas suas ditiones deduxerit, falsa opinione, quasi Cæsarem destituisset, persuasus moliebatur, quæ ut in consultationem adducta erant, ita etiam rejecta sunt, quod nec rebus, quæ suadebantur, nec tempori, nec petentis viribus accommodata essent. a) 1708.

VI. Cæsar interim Comitiis in alterum annum durantibus finem imponere volens, Ordinum postulata ex æquo temperans, rata habuit, quorum hæc præcipue capita fuere: exstincta virili Stirpe Leopoldi Cæsaris libera sit Ordinibus potestas regis eligendi, administratio rei publicæ ea servetur, quam regni constitutiones præscribunt, nihilque exotici immisceatur: Nobilem ne fas sit prius prehendere, quam in jus vocatus venire renuerit, 1709.

---

a) Mem. du Prince Rákóczi T. V. pag. 385. — 410. sed mance. Lamberti T. V. p. 77. — 81. Kollinovics document. Litt. Palatini ad Rákóczi Vien. 26. Jan. Hujus prohibitor. ad Comitia Posonien: ex Károly 18. & 19. Febr. ad Palatin. 26. ejusd. Elenchus collectorum in Comitiis Poson. 3. Mart. Bercseni litt. ad Palatin. 7. Proposition. Ordinum in Comitiis. 12. ejusd. Plenipot. Commissar. Vien. eod. Postulata fœderator. in Comit. statuta eorund. Patakini. 22. Nov. Instructio pro Dobosi, ex Rakomaz. 4. Oct. Litt. Rákócii ad Jablonszki, ex Károly. 18. ejusd. Signatura archivi Rákócziani ad h. a. confecta a Joan. Kéri, d. 2. Jun. 1710.

nuerit; ſubſidia in bellum extra Comitia ne
1709. deinceps imperentur, ſi hoſtis tamen ita repente ingrueret, ut hæc cogi non poſsint, Ordines dabunt operam, ut viros integræ fidei deligant, qui onus ſecundum cujusvis vires partiantur. Etſi quidem minime æquum videatur, ut generatim bona rebellium eisdem reſtituantur, habebitur tamen ratio uxorum, & fratrum, eorumque, ad quos minima pars criminis pertinebit. Cum Camera Hungarica proventus regios adminiſtret, & regis interſit, peculii ſui rationes habere cognitas, neceſſe eſt, ut cum Vienneuſi nexum habeat: Quod ad religionem attinet, nihil eorum, quæ Sopronii primum, poſtea Poſonii conſtituta erant, derogatum; gravamina vero, quod inſtitutas de iis conſultationes fœderati armis interceperint, ad futurum regni Conventum dilata, Rákóczius denique, & Bercsenius factionis capita, rogatu, conſenſuque Ordinum, hoſtes regni pronunciati ſunt, aſſeclis illorum menſis ad reſipiſcendum datus. Idem tempus Primas Chriſtianus Auguſtus Saxo-Ciſius Epiſcopis, & qui ex clero Rákóczium ſectati fuiſſent, præſtituit, intra quod niſi in gratiam cum Cæſare redirent, Pontificis nomine dignitatibus, & beneficiis privatum iri declaravit.

Multi tam ſevera denunciatione territi de reditu cogitabant, ſenſimque in fidem Cæſaris ſe receperant. Rákóczius ſolum cum

pri-

primoribus, & modica asseclarum parte novam ex relata a Moscis ad *Pultavam* de Suecis victoria occasionem tergiversandi sumens, recensque a Galliae rege conciliator inter Moscum, & Suecum, illius nomine constitutus, inani spe se sustentabat. Nec enim Suecus se, & has partes illi, cujus dignitas incerta, & a dubio eventu pendebat, credere voluit, & Czarus, quod Suecos a Pultaviensi praelio palantes militiae suae adscripserit, nec repetitos vellet reddere, etiam minas intentabat. Nondum tamen spem posuerat: placandi utriusque causa ad Suecum *Benderam*, Paulum *Radai*, ad Czarum vero Alexandrum *Nedeczki*, Constantinopolim, & Belgradum alios misit, sed repulsam ubique passus, incertus consilii haerebat. Domi quoque res undique sinistrae afferebantur; Heisterus receptis Veszprimio, Simontornya, & Simeghino, Croatiam, & Stiriam, superiorem vero Hungariam dedita Leucsovia, & insesso Scepusio ab incursionibus tutam praestitit; Ujvárino autem eminus circumcluso hac quoque parte fraenum Rákóczianis injectum erat. Hoc rerum successu consternatis Heisterus, & Sinzendorfius Caesaris nomine bonorum restitutionem, si ad obedientiam reverterentur, promiserant, & Caesar, ne arctandae, ut praeferebant, religionis metu retinerentur, liberum religionis exercitium pridie Idus Decembris secundum statuta Soproniensis, & 1709.

Poso-

1710. Posoniensis Conventus novo edicto confirmavit, vetuitque, ne Catholici in recuperandis suis Templis auctoritate propria, neve in occupandis alienis jure talionis uterentur.

Parum tamen hæc etiam in refractarios animos valuissent, nisi Rákóczius Suecis, & Polonis vi quoque adactis extremas vires colligens, non longe Szecseno XXII. Januarii cum Cæsareis congressus, bis mille suorum cæsis, signis plerisque amissis, & capto magnam partem veterano milite profligatus fuisset. Dolorem ex clade acceptum Ocskaius non ita pridem captus, ejusque jussu capite minutus tantisper lenivit; mox enim Ujvárinum a Pálfio arctius, quam ante pressum Heistero se dedere debuit, Szatmarinum quoque, Agria, Zolnokinum, & Eperjessum partim vi, partim sponte in Cæsaris potestatem venere. Res fœderatorum abhinc ad iacitas redigi visæ, multique nutare. *Andrásius* cum mille trecentis, quibus præerat, Cæsaris partes amplexus ceteris præivit; sequebantur plures, quorum nomina sibi Cæsar accurate referri jussit, terminumque XX. Augusti volentibus redire, qui propiores essent, sex, remotioribus octo hebdomadarum præfixit, pollicitus bona, quorum proventus decem millia florenorum non excederent, confestim, majoris autem census quæ essent, ubi jure cognita fuerint, restituenda esse. *Karolyius* ipse, postquam arcanorum Rákóczii conscius factus est, vide-

videretque illum perversis paucorum consiliis, qui non tam commune Nationis, quam suum commodum quærebant, duci, se respexit, 1710.
cœpitque, internuncio Georgio *Komdromio* usus, cum Pálfio de pace agere, sed ne in Rákóczium, cui multis nominibus obstrictus erat, parum gratus esset, hunc quoque in pacificatione comprehendi optabat: negavit Pálfius mandata se a Cæsare propterea habere, experturum tamen se, quid ea in re posset, pollicitus est. Id ubi Rákóczio significatum fuit, veritus, ne Cæsar duriorem se præberet, ad exterorum opem confugit, Angliæ Reginam, & ducem Marleburgum, ac fœderatos Belgii Ordines per litteras, & nuncios obtestatus est, ut in communi pacis tractatione sui, & afflictæ Nationis meminisse velint, quæ libertatem suam prope jam exstinctam non ab alio magis firmari posse confidat, quam ab ea Regina, quæ & libero populo imperet, & pro tuenda Europæ totius libertate arma hactenus felicissime gesserit. *a*)

Hæc is Londinum, & ad alios in eandem fere sententiam, verum memor, quam illiberaliter olim conciliationis interpretes a Regina,

a) Ita ad Reginam ex Szerencs 10. Aug. inter alia scripserat, „ Nous paressons, Madame, devant „ le flámbeau ardent de la libertè de vostre „ heureux royaume avec une chandelle èteinte, „ mais

na, & Hollandis constitutos habuerit, de eventu dubius Károlyium clam admonuit; ut, quæsita opportunitate, ex Pálfio, quid spei Vienna affulgeret, expiscari conaretur, id conatum autem præverterat Pálfius, aperte denuncians, Rákóczius spem Principatus Transsilvaniæ poneret, nec Conventum indici, aut armorum interstitium pro conciliationis negotiatione peteret, renunciaret fœderibus, quæ cum exteris pepigerat, scripto Cæsarem conveniens, erratorum veniam rogaret, tum se polliceri, recepto in pristinum gratiæ locum bona restitutum iri. Hæserat ad hæc Karolyius, & ad Rákóczium Munkácsini morantem profectus, quæ ex Pálfio haberet, expromit. Durum illud præcipue ei visum, quod spem obtinendi Prin-

1710.

„ mais encore fumante, nous souhaitons de „ participer de son bonheur, & de sa lueur „ sans la nuir, & sans la corrompre. Sera-t-il „ possibile qu' une Reine, & nation aujourd'hui „ si elevèe, que la nostre abatue, ne veuille „ allumer cette chandelle au flambeau de la li- „ bertè, & qu' elle ne se reflechisse sur la vi- „ cissitude, & changements de la gloire des „ mortelles, plus ne trouvera t-on pas utile de „ conserver plutot la libertè de nations plus „ eloignès mesme, que de les abandonner aux „ projes de leurs souverains " &c. Ex Protocol. cit.

Principatus Transsilvaniæ, quo omnes illius molitiones hactenus spectabant, ponere juberetur, mordebat id quoque animum, quod secum, qui electione Principatum adeptus fuisset, velut cum privato agatur, & negotium extra Comitia transigi oporteret, quod si fieret, se & confœderatorum, quorum causam susce- pisset, invidiæ exponi, & parum etiam securitati immunitatum regni, pro quibus arma sumsisset, consuli, existimabat. Habuit consentientem ex parte Karolyium, sed Pálfius, inquiebat, ad Debrecinum, cum veteranis Legionibus excubat, & res nostræ in dies defluunt, Galli ipsi ære, & viribus jam prope exhausti pacem anhelant, verendum est, ne nobis relicti cogamur deinde ea precario amplecti, quæ nunc Pálfio interprete utiliter, & honeste evitari possunt. Videbatur flecti, nec invitus erat, ut, si eorum, quæ Pálfius promiserat, sufficiens cautio daretur, quod reliquum erat, cum eodem transigeret. a) 1710.

VII. Huic Cæsar, postquam, quo loco res essent, compererat, pridie Calendas Februarii plenam potestatem fecit, porro cum Rákó- 1711.

a) Lamberti T. V. p. 387. ad a. 1709. & p. 212. ad a. 1710. Kollinovics docum. Paul. Okolicsányi, graphica descriptio character. Bercsénii. Cæsar. amnestia, & proscript. Rákóczii. Vien. 14. Jul. Litt. Primatis ad Clerum fœderator. Poson.

1711. czio tractandi, vitæ gratiam, & bonorum restitutionem pollicitus, si in sinceræ voluntatis, & fidei tesseram positis armis Cassoviam, arcem Munkácsiensem, aliaque ab ejus affeclis occupata munita loca redderet. Arduum id visum Károlyio, & Rákóczium ægre his consensurum Pálfio significavit, tenuitque de conditionibus deliberatio alternis eo usque, donec in id utrinque conventum esset: Rákóczius scriptis ad Cæsarem litteris præteritorum veniam imploraret. Imploravit, verum ita, ut magis personam deposcentis, quam rogantis præferret, & arma juste a se correpta fuisse tueretur. Neutri visum est, has Cæsari reddere, monitusque est, ut, cui, & quam ob causam scriberet, meminisset. Sed ille propositi sui

Poson. 3. Oct. Heisteri ex Bars 17. Oct. & Szinzendorf. 29. Nov. Poson. ad fœderatos. Cæs. decret. de religione. Vien. 12. Dec. Ejusd. mandatum de occupandis bonis fœderat. ibid. 6. Jul. 1710. Ejusd. prorogatio termini pro fœderat. ibid. 29. Aug. Litt. Pálfii ad Károlyium Pestin. 17. Nov. Hujus ad illum ex Kisvárda 9. Dec. similes utriusque 17. 22. & 26. ejusd. Rákóczii ad Regin. Angl. ex Szerencs 10. Oct. ad Marlebourgh, Belgium fœderat. ad Milord Rabli, & Lintelof, Legatos Angl. & Holland. ibid. eod. ex Protocol. Rákóczii, signatum archivi ejusd. ad an. 1709. & 10.

ſui tenax jam ad Poloniæ fines diſceſſerat, nova ſpe de ineundo inter Gallos, & Moſcos 1711. fœdere, à Principe *Dolgorukio*, & Beroſenio lactatus; rediturum ſe quidem Károlyio ſignificaverat, ſed cum pluribus, quam e regno exceſſerat. Diſceſſum illius cum plerique fugam interpretarentur, & Károlyius videret, fruſtra ſe in eo conciliando operam ponere, omnium primus pridie Idus Martias fidelitatis ſacramentum Cæſari præſtitit, cujus exemplo reliqui, indicto ad Calendas Apriles Szatmarinum Conventu, ipſi etiam de recepto deliberabant, miſere tamen prius nuncios ad Rákóczium, qui eum ad reditum hortarentur, referrentque, Cæſarem cum ipſi, tum fœderatis gratiam honeſtis conditionibus fuiſſe impertitum, ne fruſtra ſpem in Moſcis, aliisque poneret, ſe quidem, cum ipſe communem cauſam deſeruiſſe videatur, niſi redierit, juramenti religione, quo ſe olim ei obſtrinxiſſent, ſolutos arbitrari, & ſponte oblatam gratiam amplexuros eſſe. Idem Károlyius rogabat, & Pálfius per litteras obteſtabatur, quin ipſe cunctantem *Vajæ* conveniens orabat, ut ſe Cæſaris fidei crederet, bona, quæ in Hungaria, & Transſilvania haberet, reddenda eſſe promittebat, apertam ad primas regni dignitates viam ne ſibi volens prudensque obſtrueret. Ille contra has præ Principatu nihili facere, quin aperte etiam edicere, ſi hunc a Cæſare obtinere non poſſet, facturum Galliæ

regem, ut illum invito etiam Cæsare, dum de
1711. communi pacificatione agetur, obtineat. Vix Pálfius ab eo digressus est, cum ad fœderatos scribens ejus fidejussionem, quod litteras solo Eugenii Principis, non item Cæsaris nomine subscriptas exhibuisset, in dubium vocare conatus est, tum, si etiam Cæsaris nomen præferrent, intuerentur diligentius conditiones, mox visuros, quam fallaces sint, quam speciose virus occultent, ne se igitur laqueis irretiri sinant, & post octo annorum pro libertate vindicanda exhaustos labores cæce ruant in captivitatem, & brutorum instar territi se in voraginem præcipitent, a) venturum se proxime Husztum, ut, qua ratione nondum conclamatis rebus consuli possit, communiter cum iis deliberet. Postremus hic illius, sed inanis, conatus erat; fœderati nihil longinqua, dubiaque spe, & tacita opprobratione moti, certa incertis præferre, & cœptam cum Pálfio conciliationem perficere malebant.

Suc-

---

a) Verba illius ex Kukiezova, 18. Apr. hæc sunt: *cur tam resupine, atque cæce quivis prolabatur in perniciem, in tam immanem se subdat captivitatem, & velut irrationalia bruta territi, ac fugientes, ad unius primi exemplum, cumulatim se præcipitent in voraginem? jam sero maledicetur ei, qui allexit, postquam quilibet insilierit in gurgitem &c.*

Succeſſerat jam negotium ſatis ex ſenten- [redacted]
tia, cum improviſo XVII. Aprilis mors Cæ- 1711.
ſaris ex variolis intervenit. Fruſtra hanc Pálfius Károlyium celare volebat, ad quem indicium illius eodem fere tempore pertigit. Occulendam tamen uterque reliquis judicabant, ne res huc jam adducta interverteretur, tantoque magis accelerandum exiſtimabant, quanto majus in mora periculum erat. Crebrioribus itaque conſultationibus tempus datum eſt, & duodecimo poſt die in hæc pacta utrinque conventum: amneſtia in primis univerſe omnibus conceſſa, Rákóczio tres hebdomadæ indultæ, intra quas, ſi exáuctorata militia, & redditis arcibus ad obedientiam redierit, libertas, dignitas, & fortunæ reſtituentur, arces tamen ſuæ ditionis, regium præſidium, ſumtu regio alendum, inſidebit, ſin nollet, libera ei ſit cum reddendis filiis in Poloniam, ſed onere *Vaſalli* obſtricto, migrandi facultas: idem militibus Gallis, Suecis, & Polonis, quos ſub ſignis habebat, exceptis transfugis conceſſum. Leges, immunitates, & religionum in Comitiis ſtatuta libertas, ſalvæ, integræque perſiſtent, orphanis, & viduis bona bello immortuorum, niſi alienata ſint, reſtituentur, de alienatis vero referetur ad Comitia: qui extra regnum ſecuritatis, mercatus, aliorumque negotiorum cauſa agunt, ſi conſtiterit, eos ad præſtituendum diem adeſ-

se non potuisse, perinde cum ceteris amnestia
1711. gaudeant; Transsilvanos, qui tempore motuum in Moldaviam secesserant, *Steinvillius* provinciæ Præfectus Cæsaris nomine in fidem recipiet, generatim autem omnibus redire in gratiam volentibus a die confirmatæ, & divulgatæ pacis tres itidem hebdomades constitutæ. Nationum Transsilvaniæ jura, & statuta eodem, quo ante erant, loco maneant: de privilegiis Jazigum, Cumaniorum, & oppidis Hajdonum, si quid inde decerptum, mutatumve interea fuisset, ad generalem regni Conventum pertinebit cognoscere. Dignitates, & officia conferre, ut semper erat juris regii, ita deinceps quoque regibus proprium sit, & inviolatum; captivi utrinque liberi dimittantur: in eos, qui aliis partes objecerint, aut dicteriis, injuriisque lacessiverint, magistratus severe animadvertant: denique pacta unanimi consensu nunc inita rex quamprimum rata habeat, & per Hungariam, ac Transsilvaniam solenniter divulget. Hæc ad XXIX. Aprilis gesta, & ab Eleonora Augusta defuncti matre, quae vicario nomine rebus præerat, XXVI. Maji confirmata sunt. Tum primum mors Cæsaris in vulgus didita, paulumque post Cassovia, Munkácsinum, & reliquæ Rákóczii arces deditæ, regnoque, quod sesqui seculo domesticis dissidiis, & cædibus exa-

gita-

gitatum, fœdatumque erat, quies Pálffio, & Károlyio auctoribus tandem reſtituta fuit. *a*) 1711.

Rákóczius, poſtquam conciliationem interturbare nequicquam conatus fuiſſet, ſeque ab omnibus videret deſeri, cum Bercsenio, & aliquot illuſtriorum natalium ſociis Dantiſcum, inde primum in Angliam, tum in Galliam ſe recepit, vitam iſtic extorris, &, niſi jam ante theſauros eo præmiſiſſet, fere precario ducturus, quam in Patria, ſi ambitioni ſuæ moderari noſſet, in ſummo honore, opumque affluentia exigere poterat, ſero, quibus fere increſceere ſolebat, artes Galliæ

---

a) Lamberti T. VI. p. 611. Kollinovics docum. Litt. Pálfii ad Károlyi ex Szoboſzló 2. Jan. Hujus ad illum, Debreczin. 8. ejusd. Cæſ. ad Pálfi Vien. 10. ejusd. Rákóczii ad eund. 29. ejusd. Plenipotentia pro Pálfi. Vien. 31. ejusd. Rákóczii ad Pálfi ex Tolcsva. 1. Febr. Hujus ad illum Debreczin. 4. ejusd. Rákóczii ad Cæſ. ex Munkács. 3. ejusd. & ad Pálfi, ex Szalantz. 11. ejusd. Plenipot. Rákóczii pro Károlyi ex Alsó-Vereczke. 20. ejusd. Juramentum Károlyii, 14. Mart. Litt. Fœderator. ad Bercsényi 3. Apr. & ad Rákóczi 7. ejusd. Szatmarino. Hujus reſpons. Kukiczovæ 18. ejusd. Pacta Conventus Szatmarienſ. ibid. 29. ejusd. Eleonoræ ratificatio, Vien. 26. Maji.

liæ expertus, quæ æs suum nuspiam fortasse
1711. utilius fœnori exposuerat, quam in intestinos Hungariæ motus, quos jam a Ferdinandi I. temporibus clam concitare, fovereque usque eo solebat, donec aucta ex alienis provinciis sua ditione, motuum auctores, & consortes, fortunæ suæ, aliorumque arbitrio relinquens, tristia nobis in regno ambitionis suæ vestigia relinqueret.

CARO-

CAROLUS III.

Ab anno 1711. — 1740.

I. Mors Cæsaris repentina vicissitudine Europam involvit. Angli, & Batavi, qui pro Carolo, ne Domus Borbonica nimium accresceret, hactenus pugnabant, nunc, ne idem a Domo Austriaca, si præter ditiones hæreditarias, Hispania, & utraque India potiretur, periculum immineret, veriti, rationes consilii mutandas, & tempori accommodandas existimabant. Id ut regi Galliæ suboluit, omnia molitus est, *Talardo* interprete, ut, dissuto, quo cum Austria nectebantur, fœdere, nutantes in suspicione confirmaret. Nec deerat sumta ex morte Delphini, qui triduo ante Cæsarem obierat, speciosa causa, nihil nempe jam periculi subesse, ut Gallia Hispaniæ jungatur, & Europæ propterea formidini sit: Philippum jam olim juri in Galliam renunciasse, idemque Ducem Bituricensem, cum familia Aurelianensi, de Hispania sponsurum, si quid tamen dubii adhuc superesset, posse in Italia ex jure Hispanico portionem decerpi, & ad compensandam, si quæ esset, injuriam Carolo tribui, ita futurum, ut regna ex æquo divisa, nullum alterius invidiæ pa-

1711.

pateat, & justo pondere inter se librentur. 1711. Valuit machina, propiusque sensim ad privata pacis consilia ventum. In id primum Anglia consenserat, ut Carolo ad obtinendam Imperii dignitatem communiter adjumento essent, ut partitionis novo tractatui honesta deinde causa praetexi possit, exemplo Caroli V. cujus potentiam, dum Hispanicae ditiones cum Austriacis copulatae erant, & Imperii praeterea dignitas accessisset, toti Europae gravem, & formidolosam fuisse, interpretabantur. Non latebant haec aulam Viennensem, quae ipsa etiam ad asserendum Carolo Imperii fastigium solicita erat, & ut vota Electorum conspirare in illum comperit, per celeres nuncios ex Hispania evocatum, & de occultis Galliae machinationibus edoctum accersiit. Ille XXVI. Septembris Barcellona solvens, ut Mediolanum venit, litteras ad foederatos Belgii Ordines minus, quam Angliam, praestigiis Gallicis irretitos dederat, hortatus, ne se lenocinio Gallorum circumduci sinant, propositas pacis conditiones, si earum latebras probe excusserint, nihil nisi vagum, dubium, & anceps continere, deprehensuros, nimiumque patere solitas artes, quibus socios a sociis sejungere cupiant, quod cum vel ipsa superiorum temporum recordatio satis testatum faciat, nihil ad rem communem videri conducibilius, quam *praeliminaribus* conditionibus ita versatilem

Gal-

Galliam stringi, sigique, ut ne subinde in ipsa pacis tractatione, aut diverticula quærere, aut penitus elabi possit. Mediolano digressus Francofurtum XIX. Decembris venit, tertioque post die peracto inaugurationis ritu non diu moratus, Viennam properavit. a) 1711

Hanc ut VII. Calendas Februarias attigit, sepositis aliis curis toto animo Hungariam complexus, Comitia ad III. Nonas Aprilis Posonium indixit, malum intestinum a radice cupiens evellere. Idem Hollandi, velut ad bivium adhuc nutantes, vehementer cupiebant, quo certiora de oblata a Gallis pace consilia caperent. Gratam sibi hanc sociorum curam Cæsar significavit, monuitque vicissim, ne quid in Ultrajectina tractatione præcipitent, conditiones enim, quas Gallus proposuisset, magis victos, quam victores decere, nondum rem, quamdiu Germania in proposito perstaret, huc rediisse, ut alieno arbitrio vivendum sit, Hungariam quoque, restituta quiete, brevi ita componendam, ut sibi hac parte curis libero integras dehinc vires hosti opponere liceat. Hæc, postquam Legato Batavorum *Bruyncsio*, quæ ad suos perferret, responsa data, & pacta Conventus Szathmariensis XXX. Martii a Cæsare confirmata fuissent, Ordines 1712.

a) Lamberti T. c. p. 705.

nes regni interea, qui frequentissimi Posonium convenerant, privatis consultationibus
1712. initium fecere. Duo praecipue erant, quae in controversiam vocabantur: primum, utrum regi diploma de servandis regni immunitatibus ante, vel post coronationem edendum esset? illud vetus regni mos poscere, hoc haereditariae successioni videbatur plerisque adversari; alterum, quod Croatiae Nuncii magnopere urgebant, ut successio haereditaria ad sexum femineum etiam extendatur, nec enim futuris turbis aliter caveri posse, quam si Ordines communiter in hanc sententiam conspirent. Litigio, quod rebus aliis tempus erepturum erat, Caesar Posonium profectus finem fecit, editoque diplomate de servandis regni immunitatibus, successione item haereditaria ad masculinum duntaxat sexum restricta, & clausula diplomatis Andreae II. exemplo Leopoldi patris antiquata, quaestionem invidiosam ad vivum resecans XXI. corona incinctus est. Mox capita deliberationum Ordinibus proposuit, & commonitis, ut, sepositis privatorum querimoniis, ea solum in consultationem adferrent, quae ad consananda penitus rei publicae vulnera facerent. Viennam XV. Julii rediit, Ottone Comite *Traunio*, qui Comitiis suo nomine praeesset, constituto. Hujus cumprimis in agendo temperantia, tum promto in extricandis, quae occurrebant, difficultatibus judi-

judicio, brevi effectum, ut maxime litigiosa quæstionum capita in leges referrentur, nihilque aliud deesset, quam ut rex suo itidem arbitrio vel ratas haberet, vel quædam illustrari, mutarique cuperet, cum repente grassans pestifera lues Comitia dissolvit. a) 1712.

II. Permolestum id Cæsari acciderat, quem ceteroquin, quod nullam hactenus prolem sustulisset, cura successionis magnopere solicitum habuit. Cum enim ex primitiva familiæ institutione hæreditas ditionum Austriacarum ad solos mares primogenitos pertineret, idemque anno 1621. Ferdinandus II. condito testamento, rursumque adjecto serius anno 1635. codicillo tamquam fideicommissum, similiter Leopoldus anno 1703. stabilissent, e re Domus suæ existimabat, ut idem jus, si mares non superessent, ad feminas quoque traduceretur. Convocatis itaque Eugenio, cujus judicio libenter solebat aquiescere, ceterisque Consiliariis sanctionem pragmaticam XIII. Calendas Maji condidit, ut, si hærede masculo deinceps careret, jus successionis primum ad suas, postea ad Josephi fratris filias, 1713.

a) Lamberti Tom. VII. pag. 555. —60. Kollinovics docum. Litt. Cæsar. Vien. 2. Febr. Ejusd. ratific. Conventus Szathmarien. ibid. 30. Mart. Propositiones Poson. 21. Maji. Diplom. ante coronat. ibid. eod.

[redacted] filias, neptesque transiret, ea conditione adnexa, ut juris prærogativa penes primogenitos, & ditiones in partes diſtrahere nunquam fas esset.

1713. Hac cura libero acrius in conatus Anglorum, & Gallorum, quos privatim inter ſe tractare compererat, excubare licuit. Jam utrique prorogatis in quadrimeſtre alterum induciis fortunas cuique ſuas inconſultis fœderum ſociis diſtribuerant. Philippo aſſerta Hiſpania eſt cum transmarinis ditionibus, cautum tamen, ne unquam cum Gallia in unum regnum coaleſcat. Batavis, quorum aucta in dies potentia utrisque jam ſuſpecta eſſe cœpit, præter partem territorii Flandriæ, limitanea Belgii Præſidia ſecuritatis cauſa, etiamſi Auſtria invita eſſet, deſignata: Cæſari inſulæ *Minorica*, & *Yvica* evacuandæ, copiæ ex Catalaunia deducendæ, & laciniæ quædam in Italia ſolum retinendæ erant; additum præterea, quale ſub mortem Caroli II. erat, Belgium Hiſpanicum cum Tornaco, Menina, Ipris, & Dixmudo urbibus, item Luxemburgum cum Namurco, Caroloregio, & Neuporto, quorum tamen reditus Bavaro adjudicati, dum in integrum reſtituatur. Angliæ, præter ſtipulatam Proteſtanti familiæ Hannoveranæ ſucceſsionem in Britannia, & negatum Jacobo Stuarto in Gallia domicilium, obtigerant fretum *Hudſonicum* cum adſitis inſulis, Acadia cum dimidio inſulæ ſancti Chri-

ſto-

siophori, & jus in terram novam - Galliæ contra Promontorium cum novis insulis ad ostia Laurentii fluminis relictum. Hic privatim confectæ pacis typus erat. Eugenius qui in Angliam superiore anno ad evertendas has molitiones missus erat, cum præter speciosa verba nihil aliud referret, Cæsarem monuit, parum in fluxa sociorum fide spei superesse, suo quemque commodo duci, & Austriam sibi relinqui, suasitque, pacis negotium eo flecti oportere, ut ditiones suas longe a confinio Galliæ remotas habeat; excogitandam proinde rationem, qua Bavariæ Ducatus cum Belgio, quod ceteroqui Gallorum invidiæ, & incursionibus semper obnoxium esset, commutetur, in Italia vero ad Mediolanum adjungatur Mantua, Hetruria cum Parmæ, & Placentiæ Ducatibus; ita futurum, ut ditiones continente quasi nexu sibi junctæ se mutua ope sustentent, præsertim si ærario, & re annonaria rite constitutis, veteranum militem constanter sub signis habuerit, hac ratione Domum Austriacam duobus deinceps malis vicinia Gallorum, & exterorum auxiliorum necessitate liberatum iri. Opportuna hæc fortassis videri poterant, nisi Anglis, & Batavis copias suas ab Imperiali exercitu subducentibus, totum fere belli onus Cæsari incubuisset, & novi præterea motus a septemtrione metuerentur. 1713.

Itaque a sociis importuno prorsus tempore desertus, pridie Nonas Martii anno sequente ad Tractatum Rastadiensem accessit; quo Belgium Hispanicum Domui Austriacae jure haereditario assertum, ditiones in Italia, adjecta etiam Sardinia, confirmatae, Brisacum cum Friburgo Germaniae restitutum, Electores, Bavarus, & Coloniensis in ditionem, & dignitatem repositi sunt, quae postea in Conventu Badensi VII. Idus Septembris Imperium itidem pro ratis habuit. Agebat Rákóczius quoque apud Galliae regem, ut sui etiam, & sociorum in pacificatione ratio haberetur, sed cum illius opera jam supervacanea, quia rebus Gallicis feliciter confectis etiam noxia esset futura, repulsam passus, non meliore eventu ad Ordines Hungariae se convertit, quos Caesar ad VI. Idus Septembres Posonium conciverat, ut, quae altero abhinc anno affecta solum in Conventu erant, in ordinem redigerentur. De Palatino, qui defuncto Eszterházio substitueretur, praeprimis actum; electus est Nicolaus *Pálfius*, & pridie Idus Octobris Regina inaugurata, reliquum tempus consultationibus datum, quae, quod Caesari non pauca interim cum Batavis transigenda essent, ad sequentem annum prorogatae sunt. *a*) Si unquam

1714.

a) Lamberti T. VIII. passim, & pacis Rastadiens. artic. pag. 594. Du Mont. Tom. VIII. P. I. pag.

quam alias, in his certe Comitiis, Ordinum cura in consanandis rei publicæ vulneribus enituit. Centum sex & triginta sanctiones conditæ. Ne nimius sim in his recensendis, eas solum, quæ caussas intestinorum motuum, quibus regnum magis, quam ab externo hoste labefactatum hactenus erat, radicitus tollerent, strictim attingam. Successio hæreditaria, quæ perpetuus fere dissidiorum fomes erat, Leopoldi maribus posteris denuo confirmata est; criminis læsæ Majestatis, & perduellionis reos Nobiles, secundum divi Stephani regis statuta, liberum sit regibus prius comprehendere, quam ex usitato hactenus more in judicium vocentur, bonis eorumdem tam mobilibus, quam immobilibus, etiamsi avitica fuerint, si juris ordine convicti fuerint, Fisco addictis; quidquid præterea a factiosis Onodini, alibive factum, decretumque esset, infectum, irritumque censeatur; rem religionis, ut annis 1681. & 1687. constituta erat, nemo turbare ausit; conventiculum tamen Rosembergense antiquatum, vetitumque graviter, ne Augustanæ, & Helveticæ confessionum asseclæ similes dein- 1715.

Kk 2 ceps

pag. 436. Frid. Wenck Cod. jur. gent. T. I. pag. 123. Wagner hist. Josephi, pag. 502. &c. Litt. Cæs. pro Comitiis, Vien. 1714. d. 11. Jul. Cod. jur. patr. ad an. 1715.

ceps religionis titulo coitiones rege inscio, 1715. aut non consentiente habeant. Rákóczius cum Bercsenio, ceterisque perduellionis complicibus, quod præstitutum amnestiæ tempus præterlabi sivissent, unanimi Ordinum consensu publicus legitimi regis, patriæque hostis, & veræ libertatis eversor declaratus, bona in Fiscum redacta, iique, qui cum absentibus litterarum commercia haberent, crimen læsæ Majestatis incurrisse censeantur. Bello ingruente, statuta a Majoribus lex, qua Nobiles, si hostis regno minetur, viritim militiam profiteri jubentur, denuo firmata, sed, quoniam ratio belli gerendi a vetusta multum variasset, illud quoque decretum, ut præter Nobiles etiam miles tam ex domesticis, quam exteris delectus, & ad ordinatam disciplinam formatus semper in promtu esset, quo hostis, præsertim Turcæ, facilius arceri, & propulsari possint.

III. Et apparebant ab obitu Ludovici 1716. XIV. non quidem a Gallia, sed a Turcis belli imminentis non obscura indicia, qui in anni prioris exitu indicto Venetis bello, Morea, & vicinis aliquot insulis interceptis, arma in Dalmatiam inferre parabant. Ipsa ditionum vicinitas cum Cæsarem sollicitum redderet, ne has quoque partes belli flamma corriperet, *Ibrahimo Agæ*, qui recens Constantinopoli Nuncius advenerat, declaravit, se Venetis fœdere conjunctum cupere, ut dissidii

cau-

causam sibi cognoscendam, ejusque arbitrio terminandam Porta permitteret, ceteroquin, nisi ab armis desisteret, se ex pacto cogendum, ut sua etiam Venetis conjungat. Nihil ad hæc responsum, sed copiæ, quæ in Dalmatiam destinatæ erant, Savo admotæ. Bellum igitur fere certum erat, cujus pars ne ad Italiam sensim pertineret, Pontifex vulgata XV. Februarii per Cæsareas ditiones bulla decimas Sacerdotii in id conferri jussit, magno Cæsaris commodo, quod ærarium prioribus bellis fere exhaustum esset. Eugenius copiis præfectus veteranas Legiones ex Italia, & Belgio accersiit, factoque reliquo apparatu, & classe Danubiana ad morem maritimæ instructa, priusquam Vienna discederet, supremum Vezirium, *Aly Bassam* litteris conveniens pacis consilia eidem suggessit, quæ honeste, & utiliter amplecti posset; verum ille responsi loco Savum transgressus Petrivaradino cum totius exercitus robore imminebat. Quare Eugenius quoque iter accelerans, cum militem Cæsareum munimentis a Caprara olim exstructis contineri, & Turcas jam propius vias obsidionarias ducere videret, hostem nihil tale opinantem V. Augusti aggressus, cruento prælio victum in fugam conjecit; XXX. millia in pugnæ loco, & fuga periisse, castra cum CLXX. majoribus machinis, totidemque signis militaribus occupata fuisse, Cæsar ad Pontificem perscripsit, qui victori Eugenio 1717.

 Pileum,

[redacted] Pileum, & Ensem, quem morem omnium
1717. primus Urbanus VI. usurpasse fertur, magno laudis encomio transmisit, quo gratæ voluntatis testimonio is in persequendo hoste confirmatus, milite post indultam paucorum dierum quietem *Futakinum* traducto, Temesvárinum Kalendis Septembris obsedit, & IV. Idus Octobris profligato *Seraskiero* in potestatem redegit. Mox *Pancsova*, & *Ujpalanka* deditæ. Communem ex felici hoc armorum progressu conceptam lætitiam mors Leopoldi Archiducis Austriæ, & Asturiæ Principis nondum septimum mensem egressi magno Cæsaris luctu intercepit. a)

Nihil tamen propterea a persequendo bello remissum. Veneti rem mari, & in Dalmatia agere constituerant, Valachi quoque, si auxiliares copias e Transsilvania à Steinvillio obtinuerint, in partem belli se venturos promisere, Cæsar autem Belgradum, quod in potestate Turcarum adhuc erat reliquum, designabat. Moram importune injecit Hispania, quæ majorem classem parare ferebatur, quam

a) Vita Eugenii P. III. p. 846. — 924. Kollinovics docum. Litt. Mustaphæ ad Præfectum Szegedinen. ex Temesvár. 16. Mart. Eugenii ad Vezirium, Vien. 2. Apr. & ad Cæs. ex castris 5. Aug. Cæsar. ad Pontif. & Batavos Vien. 15. ejusd. Pontif. ad Eugenium Roma 7. Sept.

quam ut Venetis, cui se Pontificia, & Genuensis jam conjunxerat, suppetias ferre credi posset. Dissimulare tamen justam suspicionem oportuit, ne Turcae temporis lucrum facerent. Magnum erat apud illos Eugenii nomen, & cum Belgradum ab eo obsideri comperissent, Savum, quo alias transmisso illud obsideri solebat, duplicatis stationibus observabant. Nec cum omnis illorum mira vertitur, Eugenius relicta Petrovaradini copiarum parte, & variis castrorum metationibus eluso hoste Danubium in Banatu e regione pagi *Visnicze* transmisit, dum interea reliqui cum classe Petrovaradino Semlinum promoverent. Interclusi hac ratione aqua, terraque Belgrado obsidioni Kalendis Julii initium factum. Difficilem, periculique plenam reddidit non tam obsessorum pertinacia, quam Vezirii adventus, qui castra sua castris Caesareis opposuit, ductisque operibus obsedit. Res in supremum discrimen adducta videbatur, indictae Viennae, alibique supplicationes, ipsa Europa in eventum sollicite intenta erat. Unus sibi constabat Eugenius, qui lustrato milite, & communicato cum primariis ducibus consilio, pugnam in XVI. Augusti decrevit. Itaque concubia nocte miles inobservatus e castris educitur, primoque diluculo praelium auspicatus quatuor horarum spatio hostem totis castris proturbatum in effusam fugam egit. Obsessi cognita Vezirii fuga, & clade, po- 1717.

1717. ſtridie deditionem fœdera. Præter Semendriam, Orſovam, & Sabacsum occupatum, præda rerum omnium ingens facta. a)

1718. Nec minor de relata victoria per Europam lætitia fuit, cumulatior futura, ſi Hiſpani Sardiniam, quæ Cæſari pace Raſtadienſi obtigerat, hoſtiliter contra pacta non invaſiſſent. Magis aperta erat fœderis publicæ fide nixi violatio, quam ut Angli, & Galli ſponſores illius hanc æquanimiter ferrent. Novum igitur ad vindicandam injuriam fœdus inter Cæſarem, Angliam, Galliam, & Hollandos IV. Nonas Auguſti percuſſum, & pax Turcis flagitantibus in XXV. annos conciliatoribus Anglis, & Hollandis conceſſa eſt; ab illis Robertus *Suttonus*, ab his Jacobus *Colyerius* delecti, a Cæſare Comes *Virmondius* cum Internuncio *Talmannio*, a Venetis *Ruzzinius*, conditionum moderatores intereſſe juſſi, Sultanus Mehmetum *Effendium*, & Agam *Ibrahimum* ſuo nomine, qui conciliationem, quam poſſent, æquis, & honeſtis conditionibus abſolverent, conſtituit. Prima, in quam conventum utrinque eſt, pacis conditio fuit, *uti poſſidetis*, terrarum deinde, quæ jure poſtliminii

a) Lamberti T. X. p. 269. & 65. Valachor. ſupplex libell. ad Cæſ. Tergoviſtiæ, 3. Jan. Edictum Cæſar. Vien. 19. Apr. Poſtulata Belgraden. & Eugenii reſp. 18. Auguſt.

minii Hungariae accesserant, limites ita constituti, ut a septemtrionali ripa Danubii Valachia ad confluentem Alutae, e meridionali ab ostio *Timoki* adversus idem flumen protenso decem horarum spatio, indeque ducto in meridiem ad *Drinam* amnem limite, Servia, a Drina autem eodem horarum intervallo ad *Unnam*, pars Bosniae, & quae hinc ab Unnae occidentali ripa versus Croatiam tenduntur, olimque Carlovicensi pace Turcis, ad sopienda dissidia domestica, necesse erat cedere, in ditionem Caesaris, cum utraque Savi ripa transirent. Haec limitum diribitio XXI. Julii peracta: eodemque die etiam Venetiis transactum. 1718.
Rákóczius, qui irritis Galliae promissis delusum se videns, priore jam anno Massilia Constantinopolim solverat, nihil non egit, ut cum affectis suis eadem pace comprehenderetur, id solum ei indultum, ut libere apud Turcas, sed procul ab Hungariae limitibus ageret.

Septimo post die instituta de commerciis deliberatione in has leges utrisque convenerat: libera, & universalis utriusque Imperio subjectis facultas sit, fluviis, terra, marique, merces suas vehendi, exceptis solum armis, & quae ad bellicum apparatum spectant; inter subjectos autem Caesaris censeri Hungaros, Germanos, Belgas, Italos, aliasque, quae ad ejus ditiones pertinent, Nationes: a mercibus praeter naulum consuetum tres floreni de centum, seu aere, seu mercium permuta-

muta-

sanctionem pragmaticam, & successionem
1720. filiabus, quas hactenus duas, Mariam The-
resiam anno 1716. & sequente Mariam Annam
susceperat, confirmandam impensa est; qua de
causa jam priore anno Maria Josepha, fratris
natu major filia, dum Saxoniæ Duci in ma-
nus conveniret, juri in ditiones Austriacas re-
nunciaverat. Atque hæc quidem, quæ suc-
cessionis causa hactenus gesta sunt, intra fami-
liam solum domesticam continebantur, & hoc
primum anno Austriæ, & Silesiæ Ordines ha-
bito conventu, ut Cæsari gratificarentur, pro
rato habuere. Difficiliores se altero anno
Principes foederati in congressu Cameracensi
1721. præbuerant, non quidem successionis titulo,
sed mercatoriæ societatis, quam Cæsar *Osten-
dæ* non ita pridem instituerat, causa. Lucrum
enim ex portus, & maris illius opportunita-
te in Domum Austriacam olim redundaturum,
Angli perinde, & Galli, & Batavi suum dis-
pendium interpretabantur. Perstitit tamen
1722. Cæsar in proposito, & postquam insequente
anno Maria Anna Josephi natu altera filia
Carolo Alberto, Bavariæ Duci nupta, jure
successionis, exemplo sororis se abdicasset,
quæ ceteris regnis, & provinciis sententia es-
set, experiri statuit. Hungariam convocatis
Posonium ad XX. Junii regni Ordinibus pro-
niorem opinione sua reperit, qui recordatio-
ne malorum, quibus factiosi, jus electionis
prætexendo, regnum in extremum fere dis-
cri-

crimen præceps egerant, inducti ob Leopoldi, & Josephi collata in rem publicam 1723.
merita, & recens exemtam a Cæsare jugo Turcico Hungariam, ut causam intestini dissidii penitus tollerent, Jus successionis hæreditarium non modo ex præscripto sanctionis pragmaticæ ratum, firmumque declararunt, sed sponte etiam, unanimique consensu, si Cæsaris, & Josephi fratris progenies deficeret, ad Leopoldi quoque posteros utriusque sexus, restricta ad primogenitos prærogativa, extenderant, nec ante jus eligendi regis ad Ordines rediret, quam nemo triplicis hujus propaginis superstes esset. Exemplo Hungarorum paullo post Bohemiæ, & Belgii Austriaci Ordines sanctioni pragmaticæ itidem subscripsere.

Constabilito hæreditariæ successionis jure, ne administratio rei publicæ inutili mora interesperetur, Consilium, quod regis locum teneret, constitutum, & auctoritas certis legibus circumscripta; Præses idem, qui Palatinus regni, &, si hunc abesse contingeret, Judex Curiæ regiæ defectus; statio in regni medio, interea autem, dum locus opportunus paretur, Posonium decreta: Præsidi ex Prælatis, Magnatibus, & Equestri ordine, viginti duo Consiliarii ex omnibus regni partibus accensi, stipendia ex publico ærario designata; nemini, præter statas feriias,

[redacted] rias, Præside non conscio, abesse, a) & in
1723. consultationibus sententiam pro suffragiorum numero, non tamen contra leges patrias, ferre indultum, illud autem peculiariter auctoritati illius tributum, ne ulli aulico Tribunali, nullo nexu Hungariæ juncto, subesset, quo liberius quisque sententiam suam posset in medium depromere.

Ultra hæc etiam se Ordinum cura porrexit. Cum superiorum temporum motibus regnum hominibus diminutum, inducta vastitas, neglectæ artes, bona impune direpta, & juris administratio neglecta fuisset, quo citius his malis medela poneretur, sancitum est, ut coloniæ, & artifices aliunde accersantur, dato certo annorum spacio, quibus a pendendo tributo immunes essent. Juri dicundo in quatuor diversis regni partibus Tribunalia erecta, cis, & trans Danubium Tirnaviæ, & Ginsium, cis vero & trans Tibiscum, Eperjesinum, & Magnovaradinum, cui postea Debreczinum substitutum est, quo facilius ex vicinis provinciis adiri, & caussæ cognosci possent. Mercimoniis etiam exemplo Cæsaris, qui ad instaurandum vetus Belgarum jus, institutæ ab se Ostendanæ societati,

---

a) Simile Consilium Cameræ conjunctum jam Ferdinandus I. an: 1549. instituerat.

tati, a) Tergestinam addere, & portum regium in Adriatico ad hunc finem designaverat, 1723. cura adhibita, quibus cum in regno, tum extra illud aqua, terraque provehendis, ut fluviorum pro situs opportunitate corrivatio, structura canalium, viarum reparatio, aliaque huic destinationi necessaria pararentur, Consilio regio mandatum, & de his ad Ordines in proximis Comitiis referret. Salutare institutum, quo Hungariam rebus mercatui opportunis affluentem carere hactenus potuisse, profecto mirum est, incertum, qua de causa adhæserit, cum tamen ad communem regni opulentiam, & acuendam incolarum industriam maxime pertineret. a)

V. Finitis Comitiis Cæsar morarum, quæ aliæ ex aliis in Congressu Cameracensi ingerebantur, pertæsus, reliqua controversiæ, 1724. quæ ei cum rege Hispaniæ intercesserat, capita seorsim cum eodem transigere cupiebat; idem

a) Huc pertinent: *Vindiciæ luculentæ juris ac privilegii in Indias, atque Africam, navigandi, ubique commercia colendi Belgii Austriaci &c. Lipsiæ. 1724.*

a) Du Mont. T. VIII. P. II. pag. 8. — 40. & 109. Electa jur. publ. T. XVIII. pag. 838. & T. XIX. pag. 27. & 169. Memoires pour servir à l'histoire du Congrès de Chambray. Cod. jur. patr. ad an. 1723.

idem Hispanus, qui Galliæ in se studia sen-
1724. sim frigere, & Anglos in restituenda *Gibral-
tara* moras, & subterfugia quærere observa-
verat, misso Viennam Barone *Riperda* opta-
bat. Res ita clam gesta est, ut ipsos etiam,
qui Cameraci pacis negotiationi intererant,
Legatos Cæsaris, & regis lateret. Condi-
tiones, in quas XXX. Aprilis privatim con-
venerant, hæ fuere: Cæsar juri in Hispaniam,
1725. Philippus contra in ditiones Austriacas re-
nuncient; uterque tamen titulis, quos hacte-
nus gessere, dum vivent, utentur, posteri
vero eorum duntaxat, quæ possident, regno-
rum: Sicilia cum Belgio, & Italiæ ditioni-
bus, secundum pacem Trajectensem Cæsaris
erunt, in quas, Sardinia excepta, nullum
jus sibi Hispanus deinceps arrogabit; regna,
& provincias, uti & sexus utriusque succes-
sionem, & contra hostes defensionem mutuo
in se recipient; tum, si qui præterea fœderi
huic se volent adjungere, id utriusque con-
sensu fiat. His Calendis Maji accessit con-
ventio altera de mercimonio, in qua por-
toriorum, vectigalium, merciumque, inter
quas & Sali Hungarico locus erat, ratio-
nes, immunitates, & ferenda ex usu mariti-
mo mercatoribus onera, certis legibus con-
stituta erant. Quamquam autem hæc clam
iis, qui quadruplicis fœderis alias socii erant,
agerentur, indicium tamen eorum ad Anglos
pertigit, qui, cum id fœdus adversum se coa-
luisse

fuisse suspicarentur, vicissim inita Hannoveræ
cum Gallis, & Borussis societate, commu- 1725.
nes inter se amicos, & inimicos, etiamsi inter Imperium, & Gallos bellum oriretur, Cæsare, cum res patuit, frustra intercedente, decreverant. Ea re permotus Cæsar, ipse etiam ad fœdus inter Russos, & Suecos
biennio abhinc initum socius sequente anno 1726.
accessit. Ex quo illud commodum prætereà enatum, quod paciscentes non solum terras hæreditarias, sed sanctionem quoque pragmaticam se tuituros promiserint, qua ratione confœderatio Hannoveranæ par utcunque videri poterat, nisi hæc Batavorum, & Hassorum ad Anglos accessione superior esset reddita, quamquam haud multo post ob regis Borussiæ ab Anglis secessionem, & nova cum Cæsare pacta inita, æquilibrium utrimque restitutum videretur.

Tam crebra fœderum, quæ fere semper
ex præconcepta solum commodorum spe in- 1727.
stituebantur, mutatio, necessarium quasi semen futuri belli erat. Primum hujus indicium ab Anglis, & Gallis datum; illi immissa mari triplici classe, Cæsaris Legatum regno decedere jubebant, hi autem tripartito exercitu in continente minabantur: Cæsar vicissim Legatos Angliæ Vienna, & Ratisbona dimiserat, Hispani vero *Gibraltaræ* obsidionem admoverunt. Ne bellum fere in apertum erumpens totam iterum Europam corri-

corriperet, Pontificis opera factum eſt, qui 1727. *Grimaldo* Nuncio Apoſtolico interprete Cæſarem ad amplectenda pacis conſilia adduxit, etſi præliminaris conditio admodum dura in medium propoſita eſſet. Illud enim Angli, & Batavi præcipue urgebant, ut Oſtendana mercatorum ſocietas penitus tollatur; nimium præterea ſolicitos reddiderant apparatus, quos Cæſar Tergeſti, & Neapoli tractatu cum Hiſpanis, Algieriis, & Tripolitanis alias inito facere indeſinenter pergebat, ex quibus non leve detrimentum emporiis ſuis inferendum metuebant. Ex portu enim Oſtendano per Atlanticum in Americam, & Aſiam, Neapoli, & Tergeſto per mediterraneum, & Adriaticum mare in Africam, & ditiones Turcicas mercibus vehendis prona, & aperta via patebat, hoc ſi Cæſari, qui præterea ex pacto cum Turcis nuper inito Danubium uſque in Pontum Euxinum haberet liberum, permitteretur, potentiam illius reliquæ Europæ metuendam opinabantur. Hæc præcipua ſoluti fœderis, &, quod deinde conſequutum eſt, belli cauſa fuit. Cæſar, etſi permoleſte ferret, felicitatem ſuorum invidia aliena intercipi, communis tranquillitatis tamen cauſa permiſit, ut portus Oſtendanus interea, dum lis alia ratione componi poſſet, ſeptennio clauſus maneret, quæ conniventia occaſionem præbuit, ut anno inſequente de communi pace

in-

inter dissidentes his legibus convenerit: Anglus classes suas, & Gallus copias domum revocent: Hispani soluta obsidione aggeres, vineas, aliaque ad *Gibraltaram* educta opera demoliantur, & in eum, quo tempore Trajectensis pacis erat, statum reponant: Anglis præterea liberum in Americam Hispanicam commercium, secundum pacta prius conventa firmatum, reliquis, quæ conciliationi moram forte injicerent, locus postea Suessione esset. a) 1728.

VI. Dissipato belli metu vix tantum Cæsari temporis supererat, ut, quæ regni Ordines in Comitiis priore anno jam indictis ad instaurandam judiciorum formam, rerum item politicarum coordinationem, tum institutionis militaris, & œconomiæ rationes, quæ nulla non sui parte superioribus annis vitium acceperant, in medium consuluerunt, rata haberet, cum Suessionensis congressus Seviliam traductus novas Cæsari curas rursum confecit. Angli percusso cum Gallis, & Batavis seorsim fœdere Hetruriam cum Parmensi, & Placentino Ducatibus juri Hispanico asserere, & Ostendanam societatem penitus tollendam, ne exspectato quidem, in 1729.

a) Du mont, Tom. VIII. P. II. pag. 106. — 159. Lamberti T. X. in append. p. 126. 168. & 170. — 77.

in quod prius consenserant, septennio inter se decreverant. Injuriæ pars cum ad Germaniam quoque pertineret, Cæsar Imperii Ordines non difficulter instituto Francofurti privato Conventu in armorum, si bellum oriretur, societatem pertraxit. Accesserat aliunde etiam non levis belli imminentis suspicio, cum per idem tempus orta Constantinopoli seditione *Achmet* Sultanus folio dejectus fratris filio locum cedere cogeretur. Mors quoque ducis Parmensis, quæ in anni principium inciderat, cujus ditionem Cæsar velut feudum Imperii occupari jusserat, novæ liti tractatu Sevilliensi nondum finito occasionem fere dederat, nisi Angli, & Batavi sanctionis pragmaticæ fidejussionem in se recepissent, opemque adversum omnes, qui ditiones hæreditarias hostiliter aggrederentur, fuissent polliciti. Tum primum Cæsar tractatum Sevilliensem, licet Ostendana societas abolenda esset, ratum habuit, ea inprimis ratione ductus, ut sanctione pragmatica exterarum aularum fidejussione corroborata, filiæ securam, pacatamque successionem redderet, quo fere præcipua illius in pangendis fœderibus cura ferebatur. Eandem ob causam Hafniæ cum Danis, & serius post cum rege Borussiæ conventio inita, per quam illi spes successionis in Ducatum Slesvicensem facta, huic in Ducatus Juliacensem, & Cliviensem jus confirmatum.

Im-

Imperii Ordines, quod Bavarus, Saxo, & Palatinus contrarii essent, primum hærere videbantur, mox tamen illis frustra obnitentibus postulato Cæsaris assensi, sanctionem pragmaticam itidem ratam habuere, cui, ut aliunde præterea robur accederet, pacta, quæ Cæsar Leopoldus cum Joanne III. Poloniæ rege, & Republica olim inierat, cum Augusto II. Varsaviæ nova stipulatione rursus instaurata sunt. 1732.

Tot sponsoribus Cæsar sanctionem pragmaticam satis sibi confirmasse visus est, cum 1733. mors Augusti regis, qui ipsis Calendis Februarii obierat, rursum mutandis fœderibus, & sensim etiam bello causam præbuit. Aemuli, qui Poloniam prensabant, fuere Fridericus Augustus defuncti regis filius, & Stanislaus Lezinszkius jam semel solio depulsus. Saxonem, postquam sanctionem pragmaticam se tuiturum promisisset, Cæsar, & Russorum Imperatrix, Lezinszkium Gallia, sed diversa utrique ratione ducti, tuebantur: illi, ne septemtrio novis iterum motibus quateretur, hæc, ut speciosam rumpendæ pacis causam haberet. Cum enim, Cæsarem mari potentem fieri, æquanimiter non ferret, excogitandus erat fucus, quo destinationem suam illineret, nihil a veteri suo more dissidens, quæ ut non ita pridem ad distrahendas Cæsaris vires Rákóczio usa est in Hungaria, ita Lezinszkium in eundem nunc finem 1734.

in Polonia adhibuit, qui quidem ut Varsa-
1734. viam venerat, quantumvis jam anno 1704. in Conventu Szendomiriensi in perpetuum solio exclusus esset, factione tamen Gallica XII. Septembris electus, sed mox Russis appropinquantibus Dantiscum profugere, & Saxoni V. Octobris renunciato regi locum dare coactus est. Hoc erat, quod Gallia exspectabat, quae interim ductis in Lotharingiam, & ad Rhenum copiis bello initium fecit, novumque cum Hispanis, & Sardo foedus pepigit, quo illis Sicilia, huic Mediolanum destinabatur. Frustra Caesar, pactorum fidem violari questus, contra iniquum aggressorem auxilium ab Anglis & Batavis ex pacto poscebat, soli Imperiales, quorum res agebatur, in partem belli venere, licet Electores Coloniensis, Palatinus, & Bavarus magnopere obluctarentur. Hunc, si ex eventu judicium ferendum sit, spes futurae successionis in partem ditionum Austriae lactare videbatur. a)

VII.

a) Cod. jur. patr. Du Mont. T. VIII. P. II. pag. 158. ad. a. 1729. & pag. 213 Journal histor. Aout. & Sept. ad an. 1730. Interets des Princes, T. VII. pag. 318. Rousset recueil &c. T. VII. pag. 462. Dogiel T. c. pag. 351. Lamberti l. c. in append. p. 198. & article separé, pag.

VII. Bellum itaque violata fœderum fide pluribus partibus erupit. Galli interea, 1734.
dum Rufsi Dantifcum terra, marique obfident, & Stanislaum regno excedere cogunt, Treviros infederant, & occupato *Trarbacho* Philippoburgum expugnarunt. Eugenius cum Imperialium copiis fatis habebat, Gallos, ne ultra progrederentur, continere, quamquam neqire ab his quidquam hoc anno tentatum hac parte fuerit, cum vis omnis ex condicto Italiam fpectaret. Hifpani claffe iftuc appulfi intra breve tempus victis femel, ac iterum Cæfareis Neapolim fubegere. Hac occupata dum in Lombardiam irrumpunt, Angli cum Batavis Cæfare non
invito conciliatorum partes agere volebant, 1735.
quos cum Galli, & Hifpani afpernarentur, bellumque in alterum annum ducerent, nec promiffa Rufforum auxilia tempori adeffent, Sicilia, Hetruria, & Mirandula amiffæ funt. Hoc Cardinali *Fleurio*, cujus intererat, ne Hifpania nimis potens in Italia fieret, tempus opportunum eft vifum, ut in medio armorum ftrepitu cum Cæfare inconfultis etiam Hifpanis clam de induciis ageret. Hæc earum

---

pag. 202. Wenck Cod. jur. gent. Tom. I. pag. 700. Hiftoir. des Rois de Pologne Tom. III. pag. 408. & Tom. IV. pag. 2. Struv. corp. jur. Germ. pag. 1523.

rum prævia fuit designatio: Stanislaus re-
1735. servato solum Poloniæ, & Ducis Lithuaniæ titulo se jure, si quod in Poloniam habuisset, abdicet, & pro hac Ducatum Lotharingiæ cum Barensi obtineat; qui tamen eo mortuo in jus Galliæ devolvantur: ad compensandum vero damnum Francisco Stephano Lotharingiæ Duci Hetruria, mortuo Ioanne Gastone Duce illius postremo, jure hæreditario obtingat, Carolus Hispaniæ regis ex altera conjuge filius Neapolim cum Sicilia, rex Sardiniæ ditionem Novarensem cum Tortonensi, retento tamen feudi Imperialis onere, & Cæsar Parmensem, & Placentinum Ducatus haberent, Gallia autem vicissim tuendæ sanctionis pragmaticæ fidem præstet, & de re Polonica Russorum Imperatrix cum Augusto III. inter se transigant; si quæ præterea dirimenda forent, his in proximo congressu locus esset. Cæsar, qui Franciscum Lotharingum jam prius sibi generum destinaverat, parumque solicitus esset, quibus titulis Stanislaus deinceps uteretur, & præterea sanctioni pragmaticæ tam potente sponsore satis cautum esse existimaret, pactis annuit, sed cum Tabulæ præter receptum hactenus usum, Gallica, non item Latina lingua scriptæ essent, cautum utrinque est, ne id deinceps in morem abeat, tametsi Gallia nec huic promisso, nec pactis postea steterit. Pax igitur his conditionibus proposita,

se-

sequente anno a paciscentibus confirmata est; primus omnium Stanislaus actum renunciationis XXVII. Januarii Regiomonte edidit, alii serius, Philippus XV. Aprilis, & Calendis Maji, Carolus filius XV. Germania vero XVIII. ejusdem mensis plenum firmandæ illius arbitrium Cæsari reliquit, postremum rex Sardiniæ XVI. Augusti ratam habuit. Mox provinciarum, ut in pacificatione designatæ cuivis erant, jurium, & titulorum cessiones factæ, quibus stabilitis Cæsar filiam Mariam Theresiam Francisco Lotharingo, renunciato Hetruriæ Duci, conjugio junxit, qui altero etiam anno, postquam Gasto VII. Idus Julii obiisset, Ducatum eo, quo conventum erat, jure adiit. Paci in hunc modum confectæ Eugenius, qui in ea concilianda non minimam partem habuerat, præmortuus est, jam anno superiore XXI. Aprilis magno Cæsaris dolore, nec minore, ut eventus docuit, Hungariæ jactura elatus, postrema tamen manus firmandæ diplomatibus paci primum Viennæ XVIII. Novembris est imposita, eo prorsus tempore, quo bellum Turcicum in apertas flammas jam eruperat. *a*) Hujus semina jam tum jacta erant, cum Viennæ Principum studia in concilianda pace

1736.

1737.

a) Journal hist. Janvier ad a. 1734. Massuet hist. de la derniere guerre T. I. p. 73. & P. II. p. 135.

ce maxime ferverent. Rusſi enim, cum Tur-
1737. cæ Tartaros Crimeanos ab incurſionibus in terras Rusſicas cohibere non poſſent, aut nollent etiam, injuriam armis vindicare ſtatuerant, eumque in finem promiſſa ex pacto auxilia a Cæſare flagitabant. Permoleſtum id ei quidem, vixdum compoſito plurium annorum multiplici bello, acciderat, ne tamen ſtipulatam fidem non ſervaret, jam ante biennium communitis ad Savum, & reliquos limites præſidiis copiarum partem interim in Hungaria coire juſsit, dum experiretur, utrum Dahlmano Internuncio ſuo interprete disſidentes conciliandi ſpes aliqua eſſet, verum cum Turcæ anno priore in *Nimorovienſi* congreſſu nihil de pace audire vellent, niſi Rusſi *Azofum* redderent, ad arma ventum eſt.

Cæſareo exercitui ſub duce Franciſco
1738. Lotharingo *Seckendorfius*, Walliſius, & Neupergius, Rusſico *Münichius* præerant, hic *Oczakoviam*, ille *Niſſam* belli initio occupaverant, ſed ob hanc rurſus amiſſam, & rem ad *Vidinum*, ac *Banyalukam* non ſatis proſpere geſtam Viennam ad ſe purgandum revocatus eſt, & Joannes Pálfius, ut in cauſas inquireret,

135. Rouſſet recueil T. X. p. 452. & T. XIII. 474. ad a. 1735. Wenckii Cod. jur. gent T. I. p. 1. 122. ad a. 1735. — 38.

ret, ad exercitum missus. Ferunt id ab hoc præcipue vitio ei datum fuisse, quod distractis in partes copiis, & longe a Danubio bellum gereretur, ex quo nostris ingens subvehendæ annonæ difficultas, Turcis autem adverso Danubio pene nulla fuisset orta. Plerique existimabant, Pálfium, quod ab Eugenio maximi semper fuisset habitus, & morem cum hoc hoste pugnandi usu ipso compertum haberet, *Seckendorfio* sufficiendum; prælati sunt *Neupergius*, & *Wallisius*. Neque tamen ab his etiam res felicius gesta, sive discordes ducum sententiæ, sive *Münichius*, ceteroqui aulæ Viennensi non optime affectus, occupata *Oczakovia* ad Bogum moras sponte trahens in causa fuerint. 1738.

Rákóczius quoque captato tempore importunum se ingesserat, Vezirio pollicitus, se in clientela Sultani, &, dum opus fuerit, cum centum pugnatorum millibus semper præsto futurum, si Principatu Transsilvaniæ potiretur. Sparsit etiam per Hungariam, & Transsilvaniam litteras, experturus, quænam superesset voluntatum in se etiamnum propensio, inutili prorsus conatu, quod Cæsar inquietum caput novo edicto proscribens, qui vivum, decem, qui mortuum sisterent, sex florenorum millia depactus fuerit, nec Vezirius vacuis promissis quidquam tribueret, solicite alioquin in Banatum intentus, quo Franciscum Lotharingum magnis itineribus cum robore

exer-

exercitus tendere compererat. Hujus adhortatione erectus quidem miles, victus hostis,
1738. occupatisque castris trans Danubium, & in Valachiam rejectus, & Meadia recuperata fuit, sed cum ibi diutius hæretur, & annona, quod hostis omnia prius vasta reddidisset, deficeret, pestifera lues præterea in exercitu grassari inciperet, copias ad salubriora loca deduci oportuit. Necessarium receptum Turcæ fugam interpretati rursus Meadiam cum Orsova, Ujpalankam, Semendriam, & Uziczam recepere.

Hoc successu animatus Vezirius copias propius Belgradum promovit, cumque Wal-
1739. lisium ad *Kroczkam* sibi obvium vicisset, palantes consequutus urbem eminus obsedit. In hac animorum consternatione Marchio de *Villanova*, regis Galliæ ad Portam Ottomannicam Legatus, industria sua effecit, ut ad avertendum majus periculum condictis induciis de pace agi cœptum fuerit. Cæsar *Neupergio* formulam miserat, secundum quam confieri pacem cuperet, qui, quod sine obtenta publici commeatus fide, castra Vezirii adiisset, & captivi instar haberetur, conditiones admodum duras prima Septembris inire coactus est. Præcipuæ ex his erant: Cæsar Belgradum cum Servia, Valachiam item Austriacam reddet, neque Russis auxilium præbebit, limites Bosnenses erunt iidem, qui secundum pacta Carloviczensis pacis olim designa-

signati fuere, Savo utriusque Imperii termi- 1739.
nos dirimente: Turcæ vicissim, quæ in Banatu occuparunt, cum Meadia, sed dirutis munimentis restituent. Indigne has tulit Cæsar, & culpa in Neupergam potestatis limites egressum conjecta primum subscribere recusavit, utroque tamen Galliæ Legato, cum Viennæ, tum Constantinopoli, regis sui nomine pacem amplectendam suadentibus postea ratas habuit, quibusdam additis, quæ mollita vellet: primum; cum conditiones præliminares utrinque jam subscriptæ sint, supervacaneum esse, ut Cæsar Russico fœderi renunciet, deinde, ut deducto ex omnibus præsidiis apparatu bellico Belgradi, alibique recens educta mœnia, propugnacula, ipsi adeo ductus viæ obtectæ, & cujusvis nominis munimenta solo æquentur, neque fas sit Turcis illa instaurare: Danubii, Savi, aliorumque fluminum navigatio, piscatus, aliave horum commoda in ripa cujusvis ditionis libera essent; si quæ in his insulæ vel jam exortæ sunt, vel postea exsurgerent, ad hunc pertineant, cujus ripæ viciniores erunt: mercatoribus aqua terraque, secura sit utrinque negotiatio neque præter consueta vectigalia aliis oneribus graventur, eodemque Cæsarei, quo Angli, Galli, & Batavi favore gaudeant. Dabit quoque operam Porta Ottomannica, ne Algieriani, Tunetani, & Tripolitani naves Cæsareas mercatum exercentes infestent, damno-

1739. damnove afficiant: captivos utrique liberos dimittent, pro illis, qui in privatorum potestate sunt, amicitiæ causa moderatum lytrum statuatur: prærogativas, quas priores Ottomannorum Imperatores cum ante, tum post Passarovicensem pacem Religiosis, & Christianis Romano-Catholicis in religionis exercitio, usuque libero tribuerant, Sultanus novo edicto stabiliat; pacem denique uterque Imperator missa Legatione in XXVII. annos firmabunt.

Hæc Cæsar, & in hunc modum temperata XVIII. Septembris rata, & aliquamdiu clam habuit, ut primum autem in vulgus dedita erant, magna plerosque per Europam deproperatæ pacis admiratio cepit, & a Viennensibus non modo in aulæ ministros, & copiarum duces, sed in Cæsarem etiam convicia jacta sunt, ut is adeo confectæ pacis causas edito ad Principes scripto vulgare, & ad pacandos Viennenses *Neupergium* cum *Wallisio* custodiæ traditum judicio militari subjicere cogeretur. Rumor etiam per idem tempus a malevolis sparsus, passim in vulgo obtinuit, Franciscum Lotharingum a Turcis in venatu interceptum damnosæ, & indecoræ paci occasionem præbuisse. Sed ut fabella hæc in ipso sui ortu suapte evanuit, ita superstes etiamnum opinio est, ducum simultate, & discordia omne id fuisse amissum, quod

Eu-

Eugenius virtute sua, juri Hungarico asseruerat. a) 1739.

VIII. Belgrado cum reliqua ditione Turcis reddito Legati utrinque, Viennæ Antonius *Uhlefeldius*, Constantinopoli *Ivanibi Aly* ad confirmandam pacem, ut conventum erat, missi sunt, delecti etiam, qui dirimendis limitibus interessent, agerentque, ne qua fraus, injuriave interveniat, nam pacificationis exemplar Turcicum in designandis Bosniæ limitibus compertum est a Latino dissentire. His constitutis, in eo sibi curam Cæsar præprimis locandam existimabat, ut ærarium, tot bellis fere exhaustum, redintegraret. Egit propterea cum Venetis per Legatum suum, ut initus olim cum iis de commerciis, & navigatione tractatus instauretur. Difficultas confestim oggesta est, quod Veneti dominium in mare Adriaticum sibi arrogarent, b) & so- 1740.

a) Rousset recueil T. XIII. p. 524. Wenck Cod. jur. gent. T. cit. p. 316. — 67. Lettre circulaire ou Rescrit de Charles VI. aux Princes de l'Europe. Schmettau Geheime Nachrichten von dem Kriege in Ungarn in denen Feldzügen 1737. 1738. und 1739. Leipzig. 1772.

b) Qua de re meretur legi; *Succincta commentatio de imperio maris Adriatici, Cæsari, qua*

regi

ſocietas orientalis Viennæ inſtituta reliquos
1740. mercatores hoc jure excluſos vellet. Dum res adhæret, non defuere, qui, ut ærario conſuleretur, pace, & ſanctione pragmatica tot Principum ſponſione jam firmata, militiæ partem manumitti oportere judicabant, contra nitebantur Præfecti militum, periculoſum eſſe rati, ut, data miſsione veterano militi, occaſio externa ſtipendia quærendi vel invito obtrudatur, eique, ſi bellum ingrueret, tirones nullo œconomiæ domeſticæ, magno autem hoſtium, quorum ſigna ſequerentur, emolumento ſubſtituere neceſſe ſit, præſertim cum non ſit is rerum in Europa ſtatus, qui diuturnam tranquillitatem polliceri videatur. Percommode factum, ut Cæſar, etſi jam Legiones aliquas ad minorem numerum reduxerit, hoc conſilium alteri præferendum putaverit, paullum enim poſt e venatu redux morbo tentatus XX. Octobris medicis fruſtra opitulantibus inter vivos eſſe deſiit.

Poſtremus ut Cæſarum, ita ſtirpis etiam Domus Habſpurgicæ ſurculus. Princeps animi benignitate, clementia, & juſtitia etiam [illegible] celebratus, qui nullam alii [illegible] bene [illegible]

[illegible] regi Dalmatiarum, ac Principi Iſtriæ — proprio. Lipſ. 1723.

bene merendi, si se offerret, occasionem sibi elabi passus est, in statuendis autem 1740. poenis parcus, nisi criminis gravitas aliud posceret, sed tum etiam humanitatis memor. Hoc animo cum in suos esset, commodisque regnorum, & provinciarum, nullo inter diversas Nationes facto discrimine, studeret, mirum, ut subjectos populos sibi devinxerit. Hungariam certe, quam a fratre nondum pacatam acceperat, ad quietem penitus reduxit, stabilivit tempori opportunis legibus internam rerum politicarum oeconomiam, formamque judiciorum novis ex Statuum consensu Tribunalibus constitutis, vel in meliorem ordinem redactis feliciorem reddidit. Scientiæ autem, & artes, quæ incrementa ab eo acceperint, viæ publicæ, etiam per invios natura sua montes structæ, promtuaria, & officinæ parandis mercibus, aliaque ædificia publicæ utilitati, emeritæ militiæ, litteris propagandis, & honestæ hilaritati ad magnificentiam, soliditatem, & decorem Romanorum educta, etiamnum testantur. Quo minus autem commercia, quæ felicitati regnorum suorum adhuc deesse videbat, ad eum, quem volebat, florem potuerit adducere, exteri Principes, quibus id fere ab eo tempore, quo Domus Austriaca tot ditionum accessione coeperat increscere, velut quædam politicæ occultæ basis propositum erat, ne hoc rerum gerendarum cer-

to, & ſtabili nervo potiretur, ceteroquin autem ditiones hæreditariæ ſeu ex interna conſtitutione, ſeu veteri incolarum jure minora pro terrarum amplitudine vectigalia redderent, ut, cum bellum inferre vellet, aut propulſare cogeretur, ſumto aliunde ære ſibi obſtrictam, & alieni quodammodo arbitrii facerent.

1740.

MA-

MARIA II.

Ab anno 1740. — 1780.

I. Hujus nominis, quæ rerum apud Hungaros potita est, altera, & iisdem propemodum fortunæ vicissitudinibus agitata. Utraque amplissimorum regnorum hæres, pari utraque periculo ea amittendi exposita: illam intestini, hanc exteri hostes solio deturbare cupiebant, utraque tamen his tandem superior regni possessionem retinuit. Hæc, ut patri successerat, confestim Principes exteros de regiminis sui aditu pro more edocuit, idemque datis ad regna, & provincias hæreditarias, præsertim Hungariam, litteris vulgaverat, immunitates, & jura cujusvis nationis se illibata servaturam pollicita. Mox Franciscum Conjugem, cum ut curas cum eo partiretur, tum ut ei viam sensim ad Imperii fastigium pararet, communicata Electoris Bohemiæ prærogativa, consortem regiminis adscivit. In id vero a patris obitu præcipue incubuerat, ut res tot bellis labefactatas in meliorem statum reponeret, ærarium corrogatis undique pecuniis instaurаretur, suppleret exercitum, & ad conciliandam 1740.

1740. militiam Neupergius cum Wallisio quamprimum e custodia dimitteretur. Id unum sollicitam habuit, quod, cum reges Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ, & Sardiniæ, Batavi item sanctionem pragmaticam se ratam habere significarent, sola Gallia hæsitaret, Bavarus autem litteras ad se datas parum officiose inapertas remiserit, & Borussus præterea copias ad Silesiæ fines cogere certis nunciis afferretur. Rogatus causam, se auxilio futurum respondit, si qui sanctioni pragmaticæ adversari vellent. Verum officiosa hæc, non tamen petita auxilii nullo adhuc certo hoste pollicitatio justam Reginæ suspicionem movit, aliud regem præferre, & aliud parare, quod eventus firmavit, dum improviso XVI. Decembris Silesiam ingressus potiorem inferioris provinciæ partem! insessa etiam, qua aditus in Hungariam patet, *Jablunka* occuparet. *a*) Ne tamen causa destitui videretur, jura sua avitica in Jagerndorfensem, Lignicensem, Brigensem, & Vohlaviensem Principatus se duntaxat vindicare publico scripto

pto

---

a) Hæc, & alia deinceps ex Augustæ biographia, quamplures edidere; inprimis Fromageot, usque ad an. 1775. Christian. Richter ex publicis documentis. Tom. V. aliique complures, qui in omnium fere manibus versantur.

pto a) declaravit, paratum ſe ceteroquin Reginæ ditiones in Germania ſitas adverſus quosvis tueri, & conaturum præterea, ut Electorum Imperii ſuffragia in conjugem Franciſcum conſpirent, ſi tota Silesia decederet. 1740.

II. De his dum Viennæ conſultatur, Regina ad diem XIV. Maji ſequentis anni Comitia Poſonium indixit, cum ut inaugurationis ſolennia pro more iniret, tum ut regni Ordines, ſi Boruſſus in propoſito perſiſteret, in 1741.

a) In utramque partem ſcripſere, Jo. Petr. Ludewig, 1740. & Coccejus 1741. Berolini, & reſpondit Conſiliar. Kannengieſſer Vien. eod. In primo ſcripto Berolinen. refertur, quod Georgius Marchio Brandenb. aulæ Ludovici II. Hung. regis Præfectus, venditis an. 1524. in Hung. ſuis bonis, obtenta ex his pecunia Principatum Jagerndorfenſem emerit, quæ autem hæc bona fuerint, reticetur. Conjugem Georgii fuiſſe Frangepaniam, & ex hac filium, & filiam ſuſtuliſſe, ex documentis, quæ exſtant, certum eſt. Uxor cum prolibus ante maritum obiit. Hæc igitur bona, ſi avitica erant, cum cohæredes ex familia Frangepania etiam ſub Cæſ. Leopoldo ſuperſtites fuerint, vendi non potuere, ſi aquiſita, oportuit inſtrumentum donationis depromere, ut ſciretur, quæ bona, a quo rege, & quo anno collata ei fuerint?

in belli partem vocaret, quos ſibi, cum a
1741. Turcis pace VI. Nonas Martii iisdem limitibus, qui Carlovicenſi pace definiti erant, confirmata, *a*) nihil hac parte metuendum eſſet, non defuturos ſperabat. Inter has Reginæ curas Rex Galliæ exemplo Boruſsi, qui interim ultra progreſſus Glogoviam occupaverat, ſubornante, ut ferebatur, Cardinale Fleuryo clam nova conſilia adverſus eam cudebat. Hiſpanum enim, Bavarum, & Saxonem, ut juri ſuo in ditiones Auſtriacas inſiſterent, per emiſſarios cohortatus inito cum iisdem fœdere, factaque Bavaro præterea ſpe obtinendi Imperii ſuam cuivis portionem ex Reginæ ditionibus deſtinabat. Hæc tum plane acta, cum illa harum machinationum ignara, poſt inaugurationem confirmatis regni immunitatibus cum recens electo Palatino Joanne Pálfio, & Ordinibus de ſalute regni conſultabat, nec quidquam ante reſcitum, quam ſuum quisque jus in ditiones Auſtriacas edito ſcripto prodidiſſet. *b*) Perculit

a) Wenck. l. c. p. 585. Confer ea, quæ ad an. 1698. de pace Carlovicenſi dicta ſunt.

b) Electoris Bavariæ rationes, quæ Monachii anno 1741. prodiere, ſolide refutat ſcriptum, quod Viennæ eodem anno prodiit, hoc titulo: *Prævia reſponſio ad fundamentalem ita dictam deductionem jurium, ac prætenſionem in hæredi-*

valit Reginam tam subita mutatio, cum videret ipsos sponsores pragmaticæ sanctionis immemores datæ fidei hanc eversum ire, regni autem Ordines, qui jus successionis hæreditariæ, hujusque seriem in Comitiis jam alias constabilissent, exteros de Hungaria se inscii constituere, indigne ferentes, Reginæ causam, quam suam quoque fecerant, se profuso etiam sanguine defensuros promisere, & ut parte oneris levaretur, Franciscum Conjugem unanimi consensu regni consortem prærogativa ad personam illius restricta declararunt. *a)* 1741.

Nondum tamen res armis, sed disceptatione jurium utrinque acta est, donec Bavarus occupato Passavio, Gallicis copiis adjutus

 in

reditariam successionem regnorum, & provinciarum, alias ab Imp. Ferdinando I. possessorum Serenissimæ Electorali Domui Bavar. competentium. Ex parte autem Hispan. edi. tum est scriptum Francof. a. e. a Montojo regis Legato: *Regis Catholici in regnum Boh. Electoratus quod habet annexam prærogativam prætensio cum expositione jurium ejusdem in reliquas terras Austriacas.* Cui eod. an. opposita est Viennæ, *Responsio ad bina scripta ab Hispano Oratore, C. de Montejo, Francof. exhibita.*

a) Cod. jur. patr. ad h. an.

licam, in quo reperetat statu, conservare,
1742. nomen provincialium apud Londinenses contractum diluere, neque contra Reginam cum ejus hostibus unquam fœdus initurum pollicitus est. In socios fœderis Imperatrix Russorum, Angliæ, & Daniæ reges, Batavi, & Princeps Guelpherbytanus adsciti sunt: Electori item Saxoniæ locus datus, si copias suas a Gallis sejunctas intra XVI. dies ex Bohemia deduxerit. Neque is diu moratus, reductis copiis, & confirmata sanctione pragmatica, inito Dresdæ seorsim fœdere, Reginæ conciliatus est. Pacatis duobus hostibus, robur omne in Gallos conversum; Praga obsidione cincta, & obsessi inedia, & morbis attriti, *Maillebois* frustra opem ferente, diminuto maximam partem exercitu, e Bohemia cum *Belkilio* excedere coacti sunt. *a*)

III. Hoc quoddam veluti melioris fortunæ
1743. auspicium, & reliquis, quæ alibi hostibus oppositæ erant, copiis exemplo fuit. In Italia Traunius VI. Idus Februarias Hispanos ad campum sanctum profligatos, Ariminum retrusit, quo tempore Angli cum Hannoveranis, & Hassis, Gallos ad Mœnum coercebant, & Carolus Lotharingus victo ad *Simpachium* Bavarorum duce *Minucio* Gallos

cum

a) Biographi cit. Wenck. Cod. jur. gent. T. I. p. 717. — 21. item p. 734. — 777.

cum *Broglio* in Sueviam, & trans Rhenum cedere compulit. Sub ipso hoc victoriarum 1743.
cursu, quo Regina Pragæ ritu inaugurationis peracto Bohemos in fidem receperat, rursus nuncium de Gallis ad *Dettingam* victis, & ad fines Alsatiæ ab Angliæ rege rejectis, Egra recuperata, & Ingolstadio intercepto allatum; ut fœderatos in proposito confirmaverat, ita regem Galliæ flagitante inprimis Carolo VII. Imperatore ad pacis consilia permovit. Nec abhorrebant ab hac rex Angliæ, & Imperii Ordines, modo, quas honeste Regina amplecti posset, conditiones proponerentur. Ubi ad rem ventum, patuit non pacem, sed diverticula quæri; cum conditiones sanctioni pragmaticæ prorsus adversæ in medium afferrentur, & Regina nihil de suo jure decerpi sineret, tanto magis ad prosequendum bellum obfirmata est, quanto feliciores progressus fœderati in hostico faciebant. Nam ipsa hyeme sequentis anni classis Hispana & Gallica, ad Telonem Martis (*Toulon*) diu conclusa ubi in apertum solvit, ab Anglis, & Batavis devicta est, & Carolus Lotharingus 1744.
cum Traunio, & Nádasdio diversis partibus superato Rheno in Alsatiam irrumpens, occupatis ad *Lauterburgum* munimentis, Gallos intra montes retrusit. Debellatum videri poterat, si exitus initio respondisset. Rex Galliæ, qui præcipuus belli autor reliquis

fuis-

fuisset, videns se a præstituto fine longe adhuc abesse, ne nominis apud suos fœderatos existimationem amitteret, ad solitas artes conversus in eo elaborabat, ut a Regina amicos abstraheret, eosque, qui nullius partis hactenus erant, sibi conciliaret. Præter regem Neapolitanum, quem in societatem armorum pertraxerat, præcipuum in lucrifaciendo rege Borussiæ studium jam mense Aprili posuerat, qui, etsi quidem in principio hæsitaret, postea tamen, incertum splendidisne magis, an utilibus conditionibus illectus, fidei Reginæ nuper datæ immemor, pactis Francofurti XXII. Maji initis, partes Galli, adscitis deinde Electore Palatino, & Principe Hasso Cassellano, ad tuendum Imperatorem amplexus est. Latuit aliquamdiu Reginam, & confœderatos hæc coalitio, donec Borussus X. Augusti inopinantibus omnibus supra centum millia bipartitis copiis Bohemiæ militia vacuæ infundens, Pragaque XVII. Septembris occupata totum fere regnum excepto Budvicio insedisset, & per idem tempus Galli ex condicto collatis ad Rhenum omnibus viribus Constantiam, & Friburgum in potestatem redegissent. Tum vero Regina domestico, & improviso periculo circumventa Carolum Lotharingum a Rheno revocavit, & Hungaros, in quibus præcipue spem collocaverat, promissi admonuit. Vix Palatinus, in quo discrimine regina

1743.

gina versaretur, per Comitatus vulgaverat, cum brevi quadraginta prope millia ad fines Silesiæ, & Moraviæ armati, comminatione regis Borussiæ insuper habita, consitere. Horum adventu, *a)* & postquam Saxones præterea ex pacto se Lotharingo conjunxissent, rex tempori cedendum ratus, superato ad *Colinum* Albi flumine in Silesiam se recepit, quin Austriacos ab occupando Glacensi Comitatu prohibere potuerit. *a)* 1744.

IV. Inde relicta copiarum parte, quæ regis conatus observaret, reliquæ, quamquam hyems ingravesceret, ad Rhenum reductæ, dum Gallos Bavaris conjunctos ad *Ambergam* obvios habent, conserta VII. Januarii pugna vincunt, & superiorem Palatinatum occupant. 1745.

Im-

---

a) Ferunt Cardinalem Fleuri, dum belli hujus typum designabat, & calculum, qui fœderum utrinque socii esse possent, duceret, Hungariæ oblitum fuisse. Forte illud verius sit, quod ex usu prioris temporis, Hungaros rursus arma in regem correpturos putarit. Ingens calculi error, quod paucorum vitium, vel errorem, genium Nationis ignorans, totius esse crediderit.

b) Biogr. cit. Wenck l. c. T. II. p. 163. Manifestum nomine regis Boruss. ad Hungaros ex castris ad. Neostadium.

Imperator cladis nuncio non diu ſuperſtes, re-
1745. licto Maximiliano filio paullum ante obitum
majorenni declarato exſtinctus eſt, cujus mors,
& mox relata de Gallis XV. Aprilis a Caro-
lo *Batthyánio* ad *Pfaſhoviam* victoria ſubitam
rebus in Imperio novandis occaſionem præ-
buit. Regina, quæ jam a patris obitu conju-
gem ad Imperii dignitatem evectum cupie-
bat, nunc voti conſequendi tempus opportu-
num nacta, pacem, quam Maximilianus auxi-
lii Gallorum pertæſus flagitabat, volens, li-
bensque conceſsit. Conventum eſt XXII.
Aprilis in has leges: Regina Bavariam Ele-
ctori reſtituet, hic vicisſim ſanctionem prag-
maticam confirmabit, dabitque operam, ut
Bohemia in priſtinum jus, quo in poſtremis
Imperii Comitiis privata erat, repoſita, dum
de eligendo Imperatore deliberatum fuerit,
Franciſco conjugi ſuo ſuffragetur. Jam multo
ante in hunc finem quadruplex fœdus War-
ſaviæ inter Reginam, Anglos, & Batavos,
ac Electorem Saxoniæ conflatum, quo mu-
tuam ſibi opem ſpondebant, Francofurtano
oppoſitum ſpectare videbatur, Anglia ſumtus
in bellum ſubminiſtrante, quæ Saxoni, ſi tri-
ginta pugnatorum millia tempore belli ſub
ſignis haberet, CL. millia librarum *Sterlingo-
rum* annua decreverat. Invitati ad idem fœ-
dus Imperatrix Ruſſorum, Poloni, Electores,
ceterique Principes Imperii; ſecrete autem in
eo paciſcentibus convenerat, ut reges Angliæ,
&

& Poloniæ, utpote imperii Electores, per ſuos Legatos operam eo ſolicite conferant, 1745. ut Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis Electores, aliique Principes, ſi res poſceret, in conſtituendo Imperii capite unanimes eſſent. Non latebant hæc regem Galliæ, qui, cum videret, ſi Principes Imperii inter ſe conſpirarent, rem ſibi cum tota Germania futuram, bellumque multo difficillimum conflari, non invitus pacem ſuadentibus aſſenſus eſt, cum autem nemo Principum, quod omnes fere partem in bello haberent, eſſet, cujus auctoritate conciliaretur, clam cum Turcarum Sultano egiſſe fertur, ut has partes in ſe reciperet. Fecerat quidem *Benckterus* Reginæ Conſtantinopoli Internuncius, ejus rei indicium, verum illa technas Gallicas ſubeſſe verita, hanc machinationem inoffenſo Sultano ab ſe feliciter amolita eſt. Unus ſupererat rex Boruſſiæ fœderi Gallico recens innexus; huic quoque, ſi quid novi occeptaret, ut reſiſtendo eſſet, cum Saxone XVIII. Maji Dresdæ in hanc conditionem tranſegerat: ut, cum uſu ipſo conſtet, regem Boruſſiæ proferendæ ditionis ambitione ita agi, ut vicinis nunquam quietis eſſe liceat, eousque ab armis non deſiſtant, donec non ſolum Sileſia cum Glacenſi Comitatu in jus priſtinum redeat, ſed rex etiam arctioribus limitibus conſtringatur;

ſi

si quid prætèrea in hostico occupatum fuerit,
1745. de eo postea ex æquo utrinque decernetur. a)

Secundum hæc pacta Carolus Lotharingus cum Principe Weissenfelsio Saxonum ductore Silesiam ingressus, provinciam recuperaturus sperabatur, cum pridie Nonis Junii accepta ad *Fridbergam* clade spes ea evanuit, & , ne clades quasi solitaria esset, eodem tempore Hispani Mediolanum, & Parmam, Galli vero Tornacum occupasse, Rhenoque transmisso Francofurto propinquare nunciabantur, quod etsi quidem eo pertinere omnibus visum sit, ut Comitiorum suffragia interverterent, acceleratione tamen Traunii cum exercitu e Bavaria factum, ut Gallis trans Rhenum redactis Hetruriæ Dux Franciscus, quamquam Legati regis Borussiæ, & Palatini adversum niterentur, consensu reliquorum XIII. Septembris Imperator salutatus IV. Octobris coronaretur. Communem inde ortam lætitiam nuncium de accepta rursus ad *Trattenaviam* clade, & occupata a Borussis Lusatia, totaque fere Saxonia intercepit, simulque ut Gallorum progressionibus obex pone-

a) De hac conventione nihil ante rescitum fuit, quam rex Borussiæ occupata an. 1756. Dresda, Reginam Poloniæ licet reluctantem, Tabularium exhibere coegisset, tametsi non desint, qui id jam ante ei proditum fuisse suspicentur.

poneretur, viam ad tractandam denuo pacem paravit. Conciliata est Dresdae XXV. Decembris interposita regis Angliae opera, & his capitibus definita: Regina conventionem Wratislaviae anno 1742. initam, qua juri suo in Silesiam renunciaverat, rursus confirmabit, rex autem Borussiae electionem Imperatoris ratam habebit, agetque, ut Palatinus idem praestet, & Saxonia pretium belli decies centenis millibus *Thalerorum* in auro pensabit. a) 1745.

V. Rex Galliae videns pace Dresdensi regem Borussiae sibi abstractum esse, aliam machinam reperit, qua vires foederatorum sejungeret, Jacobo, quem *Praetendentis* nomine diverticuli causa adhibebat, in Scotiam immisso, cujus progressus cum in principio satis felices essent, *Cumberlandius* cum praecipua copiarum parte e Belgio domum revocandus erat, cujus recessu cum foederatorum exercitum minui oportuerit, prona Gallis omnia fuere, Bruxellae, Mechlinium, & Antver- 1746.

a) Biogr. cit. Wenck l. c. T. II. p. 171. & 180. item p. 191. — 94. Memoires concernant un recit. militaire & historique de ce qui est arrivè en Saxe vers la fin de 1745. à Cologne 1746. Recueil de quelques lettres & autres pieces pour servir à l' histoire de la paix de Dresde á Berlin 1746.

verpia sub idem fere tempus occupatæ, quo
1746. Regina novum cum Imperatrice Russorum foedus Silesiæ causa pepigit, quo inter cetera illud præprimis constitutum, ut, si rex Borussiæ ditiones Reginæ, hujusque hæredum, aut Russiæ, Poloniæque hostiliter invadendo, pacem Dresdensem violaret, tum, cui Regina renunciaverat, jus pristinum in avulsam Silesiæ partem & Comitatum Glacensem rursus ad illam, ejusque hæredes redeat, in quem eventum sexaginta auxiliariorum millia utrinque promissa erant. Angli quoque cum Russis, si Suecus aliquid in favorem Gallorum inciperet, mutuo sibi subsidia pacti sunt, ne autem Bavariæ Elector patris sui exemplo in transversum agatur, Regina conventionem ante biennium cum eo initam, nova stipulatione firmavit.

Interea Galli & Turcas in Reginam concitare non desinebant, & Montes, Caroloregium, & Namurcum in Belgio subegere, ut fere jam nihil istic Austriacum esset. Non eadem fortuna Hispani in Italia usi, quos Lichtensteinius ad Placentiam victos ultra *Rotofredum* rejecit, & per Genuensium ditionem *Vintimillium* se recipere coegit, tametsi nec hic illis, instante a tergo rege Sardiniæ, & Brounio cum Cæsareis fugam urgente, diu consistere licuit, dum hic superatis montium faucibus, intercepta repente Genua, Antipolim (*Antibes*) ope classis Anglicæ obsideret,

&

& rex Sardiniæ occupata *Savona*, Gallos Hispanis conjunctos ultra *Varum* flumen in Provinciam proturbasset. Insolita res Gallis, in hostico bellum gerere assuetis, visa, Cæsareos hac parte in Galliam penetrasse, & cum copias ex Belgio accersere, serum, nec satis tutum esset, injecta mentione pacis, & spe illius conciliandæ eminus ostentata fœderatos lactabant. Condictum *Bredam* est, verum, cum ex morosa agendi ratione, & immixtis studiose altercationibus fucum obtrudi pateret, præterea quoque allatum esset, Cæsareos a Genuensibus coorta seditione urbe proturbatos, & Brounium obsidionem Antipolitanam XIX. Januarii solvere coactum fuisse, congressus re infecta solutus est, & arma utrinque resumta, prosperiore tamen Gallis, qui Hollandos interea, quod neutrius partis esse vellent, inopinato aggressi sunt, quam fœderatis, fortuna. Cæsarei enim rursus, sed irrito conatu, Genuam tentarunt, & Angli ad *Lasseldam* prælio inferiores fuere, licet intercepta, præter sex naves bellicas, classe onerraria Gallorum divitiis Americanis referta damnum cum fœnore pensassent. Sensere Galli hac jactura vulnus sibi gravius inflictum, quam ut bellum deficiente jam sensim nervo longius traherent. Itaque, quem simulate hactenus præferebant, serio animum ad amplectendam pacem adjecere, præsertim quod stipulata Russorum auxilia Reginæ subsidio

1746.

1747.

venire, & Germaniæ propediem propinquare nunciarentur. Re cum partibus diutino bel-
1747. lo alioqui jam fessis communicata Aquisgranum Congressui delectum est a)

Difficilis in principio videbatur futura coalitio, quod Galli ad extorquendam magis,
1748. quam conciliandam pacem interea *Trajectum* ad Mosam, & Angli portum Ludovici in insula sancti Dominici intercceperint; conventum tandem, ut positis armis, & relicto interim in Gallorum potestate *Trajecto*, induciæ essent, & de conditionibus mutuo consensu ageretur. In ipso limine has Galli leges proposuerant, ut, conventionibus de sanctione pragmatica alias initis in suo robore relictis, Ducatus Parmensis, & Placentinus cum Guadastalo Principatu Philippo Hispaniæ Infanti cedant, nec ante jus in illos ad Domum Austriacam devolvatur, quam vel rex utriusque Siciliæ in Hispania succederet, vel Philippus improlis moreretur: Franciscum Hetruriæ Ducem omnes Imperatorem agnoscant, regi autem Borussiæ cautio, & fidejussio de Silesia, & Glacensi Comitatu præstetur. Hæc præcipua capita erant; quæ quidem Hollandi, qui *Trajecto* suo metuebant, tum Angli, &, qui præterea partem

a) Biogr. cit. Wenck Cod. jur. gent. T. II. p. 229. & p. 244.

partem in bello habebant, non difficulter amplexi sunt, unus solum, qui Imperatricis nomine aderat, Comes *Kaunicʒius*, quod quædam de Italiæ Ducatibus non satis explicata viderentur, intercessit, quibus postea cum uberior declaratio esset addita, ipse quoque consenserat, & paci XVIII. Octobris subscripsit, quam Imperatrix suo etiam nomine III. Nonas Novembris ratam habuit. a) Multis quidem videbatur pax exiguo Reginæ fructu confecta esse, sed ex eventu patuit, Kauniczii mentem in futuram ætatem fuisse porrectam, qui jam tum de Domo Austriaca Hispanicæ magis connectenda, atque hac ratione ab aula Gallica, si hanc nullus deinceps modus conciliandi superesset, sensim abstrahenda, apud animum suum consilia agitabat, quo futurum videbat, ut, cum Imperatori Hetruria jam hæreditaria obtigerit, si postea memorati Italiæ ducatus in jus Austriacum, ut conventum erat, devoluti fuerint, aula Viennensis majus in Italiam arbitrium, & autoritatem magno utique pacis, & belli tempore suo emolumento obtentura sit, quam Gallica hactenus seu reipsa habuerit, sive tantum sibi arrogarit. 1748.

a) Iidem biogr. Wenck T. c. p. 310. — 431. & ex parte Rousset recueil &c. T. XX. p. 158. & seqq.

VI. Regina octenni fere bello tandem
1749. defuncta tanto majorem regnorum suorum curam suscepit, quanto minus ante a tot hostibus impetita mentem eo potuerat convertere. Hungariam, cujus præsentem opem experta erat, sibi inprimis cordi sumsit. Usu ipso compererat, regno huic, si rite coordinetur, majores, quam existimatum sit, vires esse, genium præterea Nationis, quamvis suopte ad arma proclivem, ita tamen tractabilem, ut ad imperata facienda non tam imperio, quam solo fere nutu Principis regi possit. Hinc facile causas detexit, cur decessores sui toties bellis intestinis fuerint impliciti, non tam suo, quam eorum, quos multiplici cura impediti, rebus præfecerant, errore, qui cum gentis indolem, & legum instituta parum cognita haberent, sæpe consiliis suis, optimas Majorum suorum destinationes corruperant. Quare eam sibi deinceps rationem ineundam præfixit, ut regni negotia adhibitis in consilium gentis Optimatibus tractaret, vetera statuta servaret illæsa, viris probatæ fidei, ac integritatis publica officia conferret, & in gubernando lenitatem adhiberet præ severitate, iisque, quæ peterentur, si æquitati consentanea essent, non solum annueret libenter, sed plerumque etiam vota ipsa præveniret. Illo autem præcipue omnium animos sibi devinxit, quod formando Principi hæredi Josepho Carolum Batthyá-

nium

niam præfecerit, quæ ministerii cura ut intimæ admissionis est, ita nulli adhuc Hungaro, a quo tempore Domus Austriaca rerum apud nos potiri cœpit, credita fuit. Abhinc pluribus ad aulæ officia aditus patere, & nexus animorum inter Principem, & Nationem olim pene luxatus sensim magis, magisque firmari. 1749.

Non ignorabat etiam, sæpe quidem ab Ordinibus flagitatum in Comitiis fuisse, ut rex, cujus præsentia magnam in subjectos vim habere, & rei publicæ emolumento esse solet, in regno sedem figeret, sed cum ædes pro commodo, & dignitate regia nuspiam esset, Budam, ubi construeretur, delegit. Brevi collata communiter symbola, palatium egregiis substructionibus, temporariæ tamen magis, quam stabili commorationi, quod in tanta ditionum amplitudine, & Nationum, quæ idem optabant, varietate fieri non poterat, idoneum surrexit.

Ceterum, quoniam belli diuturnitas fere semper conjuncta esse solet oneribus, quibus ditiones boni communis causa gravari necesse est, de his minuendis, quoad ærarium publicum pateretur, rationes secum diligenter inibat, studium agriculturæ magis excoli, minora mercibus, quo latius propagarentur, vectigalia imponi, & ad faciendum lucri compendium rebus in alias ditiones transportandis, vendendisque liberiorem omnibus viam patere voluit. Augendo quo- 1750.

que populo intenta, colonias aliunde deduci imperavit, desertoribus, vel qui eo tempore, quo religionis causa domi omnia miscebantur, regno excesserant, vulgato edicto impunitatem fecit, si vel ad signa sua redirent, vel se rei agrariæ darent. Nec militiæ cura minor, qui superiore bello inclaruissent, præmiis donatos ad honores, & dignitates provexit, in Hungaros multis visa propensior, quod Legiones eorum ob præstitam fortiter in bello operam augere propositum haberet, quæ animi propensio ab Ordinibus, quos Posonium ad XVIII. Aprilis anni sequentis exciverat, summa omnium gratulatione accepta fuit. Indixerat Comitia, cum ut fructus pacis recens initæ ad communem etiam Hungariæ felicitatem pertineret, tum ut defuncto Palatino Joanni Pálfio alter secundum leges subrogaretur. Simul ac nomina Candidatorum edita sunt, communi acclamatione renunciatus est Ludovicus Batthyánius, de re publica belli, pacisque tempore optime meritus, cujus consiliis, & qua in reliquo valebat auctoritate, & multa salubriter constituta sunt, illud præcipue effectum, ut Regina novo rursus decreto militiam, ne plebi esset oneri, designatis per Comitatus stativis, quid, quantumve cuivis esset præstandum, neque ultra hæc quidquam poscere, aut extorquere ausit, & quæ, si exerraretur, in judiciis habenda sit ratio, modum

1750.

1751.

modum præscriberet, Ordines autem externum militem fixam deinceps in regno stationem habere, quod lege hactenus vetitum erat, non inviti paterentur. 1751.

His domi ad securitatem regni constitutis, aliunde etiam provinciis suis volens consulere, fœdus cum Hispaniæ, Sardiniæ, utriusque Siciliæ regibus, & Philippo Parmensi duce pepigit. Fœderis conditiones huc fere redeunt: paciscentes ad ditiones in Europa sitas, Hispaniæ quidem, & Sardiniæ reges universas, Siciliæ rex vero, & dux Parmensis solum ad Italicas adversus quemvis hostem defendendas communiter se obstringunt, reges præterea evictionem sanctionis pragmaticæ, & Cæsari pro Hetruria fidejussionem præstabunt: non tamen ante res armis agetur, quam si Principes, qui ditiones primi invadere voluerint, communi paciscentium opera a proposito averti non possent, tum vero Regina octo Peditum, & quatuor Equitum millia, totidem Hispaniæ, & Sardiniæ reges, subsidio vicissim sibi mittent, in cujusvis tamen arbitrio erit, utrum milite, an ære auxilium sibi malint præstari, decreto in quemvis mensem Peditatui duodecim, Equitatui autem viginti quatuor millium florenorum Rhenensium stipendio: si vero hæc auxilia reprimendo hosti non satis essent, omnibus viribus sibi adjumento erunt. Paullum alia de Italicis ditionibus ratio est inita: imminente 1752.

pro-

provinciis Reginæ, aut Sardiniæ regis, Cæ-
1758. saris item Hetruriæ periculo, rex Siciliæ quatuor Peditum millia, & mille Equites, Parmensis dux Pedites mille, & quingentos Equites, totidem utrique, si bellum illis ingruet, Regina, & Sardus præstabunt, Cæsar Hetruriæ nomine mille Peditibus, & quingentis Equitibus subsidio eis veniet: Tabulæ fœderis, si citius fieri non posset, intra duos menses Madriti permutabuntur. Patuit non multo post, quam opportune id fœdus Reginæ rebus commodarit. Nec enim omnia pace Aquisgranensi malaciæ, ut apparebat, simili, satis extricata fuisse videbantur, cum non deessent ex apparatibus, qui passim alibi fiebant, indicia, quæ novam tempestatem eminus quasi portenderent. Hunc in finem jam multo ante Hispaniæ regem, & Principes Italiæ sibi eo fœdere conciliatos voluit, ut, si ditiones suas bello alibi contingeret infestari, copias ex Italia, nullo earum, quas istic habebat, provinciarum periculo posset educere.

Huc conatus illius etiam pertinebant, cum veteranæ militiæ numerum supplementis augeri juberet, ne augendæ illius deinceps deesset Seminarium, Academiam militarem Neostadii conderet, ad quam juventuti etiam Hungaricæ pateret aditus, quæ in omni disciplina armorum formata utilem, cum usus ferret, in bello operam præstare

pos-

possset. Nec rem litterariam, cuivis, in quacunque rei publicae parte versetur, necessariam in postremis habuit, quam partim antiquata vetere institutionis ratione, partim eliminatis de nihilo tricosis scientiis, substitutisque utilioribus, ex quibus olim fructus in publicum emolumentum redundaret, in meliorem ordinem redigi, & arctius spacium contrahi mandavit. Hac de causa contubernium quoque Nobilium ad morem illius, quod Viennae a suo nomine dictum, jam prius condiderat, Tirnaviae instauravit, in quo praeter litteras, ad omnem vitae probitatem, morumque elegantiam, & artes nobili juvene dignas instituerentur. Quae cum ad regni felicitatem pertinerent, ut iis stabilita domi quiete, etiam diuturnitas accederet, pacem cum Legato Turcico, qui recens Viennam venerat, composita penitus de limitibus ad Savum exorta lite, confirmavit. a) 1753. 1754.

VII. Haec in bonum rei publicae conanti motus primum ad Tibiscum, qui tamen comprehensis seductoribus mox sopiti fuere, tam in Croatia, & Sclavonia exorti non nihil obturbarunt. Militia Sclavonica patriam amictum commutari impatienter ferens aliquot 1755.

a) Biogr. cit. Cod. jur. patr. ad an. 1751. Regulamentum militare Vien. cod. Academiae Neostadien. ibid. cod.

1755. quot Præfectos primo furoris impetu obtruncaverat, fuiſſetque porro in reliquos graſſata, niſi ferocientem Tribuni revocata in memoriam ſacramenti militaris fide, & enormitate criminis mature pacaſſent. Gravius malum in Croatia erupit. Plebs inſolitis exactionibus ſe a dominis ſuis premi queſta, rapinas paſsim, & impune agebat, parumque abfuit, quin alios etiam in ſeditionem pertraheret. Regina, quæ ut minime patiebatur, colonos ultra vires onerari, ita quæ vel lege, vel mutua conventione ſtabilita erant, præſtari quoque volebat, lenitate primum cum iis agi juſsit, hac ubi nihil profectum eſt, immiſſa militia, & ſeditionis auctoribus, ut ceteris exemplo eſſent, ſupplicio affectis tumultuantes ad quietem reduxit.

Vixdum Croatia pacata erat, cum aliunde novi belli, cujus ſcintilla in America primum jacta omnem fere Europam eodem poſtea incendio involverat, periculum eminus imminebat. Angli limites ſuos in Acadia, Americæ ſeptemtrionalis provinciæ, non ſatis rite a Gallicis pace Ultrajectina diremtos queſti, arma primi minabantur. Hinc belli inter utroſque ſemina, facti apparatus, & conquiſita fœdera. Rex Angliæ, qui ditionis Hannoveranæ cauſa ſolicitus erat, certam æris ſummam Principi Haſſo Caſſelano pro milite ſubſidiario depactus, initum cum Ruſsia fœdus inſtauravit, rege Boruſsiæ, ne Gal-

Galli bellum in Germaniam transferrent, addictis XVI. Januarii viginti millibus librarum *Sterlingorum*, in belli societatem adscito, qui cum in Silesia copias majore, quam alias, numero cogeret, Regina, cui id non poterat non esse suspectum, suas etiam in Bohemia, & Moravia, quasi lustrationis militaris causa in omnem eventum coire jussit, Russia, & Saxo, si quod periculum ingrueret, fœderum celeriter admoniti, illa in Livonia, & Curlandia, hic ad Dresdam, castrametationes instituerant, cum Gallo præterea conventio inita, qua XXIV. pugnatorum millia, quin tamen Americani belli causam Regina suam faceret, promissa fuere. Nec Galli interim desides, eos in Normannia, & Britannia minore apparatus faciebant, qui speciem transfretationis in Angliam præferrent. Hæc tamquam in umbra agebantur, & partium animos aliquamdiu suspensos tenebant, cum Galli Minoricam terra, marique obsident, & Borussus ducta copiarum parte, quasi Russos aditu in Germaniam prohibiturus, converso repente in Saxoniam itinere Dresdam instar depositi occupat, & Tabularium Regina frustra obnitente reserari jubet, causam belli tum primum quærens, cum id jam obmoverat. Urbe occupata, & relicta, quæ Saxones ad Pirnam observaret, militum parte in Bohemiam irrupit. Bellum itaque, quin denunciatum pro more fuerit, jam aperte gerebatur, 1756.

tur, quod tam alterna utrinque fortuna sæpe
1756. interceptum est, ut jam hæc, jam altera
pars prope exitium fuisse videretur. Ipsis
Calendis Octobris primum manus ad *Lobo-
ficium* dubia utrinque pugna consertæ sunt,
ex qua illud tamen commodi captum, quod
Brounius Cæsareorum dux regem, ne ultra
progredi, & hic, ne Brounius interclusis ad
Pirnam Saxonibus succurrere posset, alter
alterum impediverit.

VIII. At sequens annus magis cruentus,
1757. nec unquam alias uno, eodemque tot prælia
commissa sunt. Postquam Saxones ad *Pir-
nam* deditionem facere, & plerique signa
Borussica sequi coacti fuissent, tripartito exer-
citu rex quidem ex Saxonia, ex Silesia Sve-
rinus, & Beveranus ex Lusatia, Cæsareis ad
Pragam collectis, imminebant. Carolus Lo-
tharingus, & Brounius summa celeritate,
quæ hosti propulsando opportuna essent, dispo-
suerant: ventum ad manus est, VI. Maji pu-
gna, si quæ unquam fuit, sanguinaria, tribus
horis victoria a Cæsareis, post, ubi Brounius
vulnere perstrictus erat, & nostri nimio pu-
gnandi ardore abrepti ordines laxassent, a
Borussis stetit. Pars nostrorum incolumi ma-
ximam partem apparatu bellico Pragam,
altera versus Moraviam se recepit. Clades
Cæsareorum octo, Borussorum contra sede-
cim millium fuisse fertur, quibus instar amis-
si prælii mors Sverini fuit, quem Brounius
haud

haud multo post ex vulnere obiens sequutus est. Jacturam altero post mense reparavit Leopoldus *Daunius*, qui acceptis mandatis, ut Pragam obsidione liberet, collectis, quæ a clade Pragensi supererant, reliquiis, & supplementis auctus, cum se itineri versus Pragam accingit, regem ad *Colinum* pugnam anhelantem XVIII. Junii obvium habuit. Prælium, a cujus exitu Daunius salutem, vel jacturam Bohemiæ æstimabat, pertinax utrinque fuit: rex jam sextum instauratis viribus aggressionem accerrime, sed frustra, repetens, post septimam tandem desideratis decem suorum millibus loco motus, & amissa magnam partem castrensi supellectili trans Albim retrusus, Praga obsidione, & Bohemia hoste liberata fuit. Nostris inde animi erecti, quod regem, qui multis hactenus insuperabilis visus erat, vinci posse ostendissent, quorum fervorem ut Regina acueret, Ordinem equestrem a suo nomine dictum condidit, in quem cooptandi, præter honoris prærogativam, annuos etiam reditus classium varietati admensos haberent. 1757.

Id in universum magno omnibus ad rem armis pro virili gerendam incitamento fuit: accedebat illud quoque, quod fœderati Reginæ, Galli primum *Etreo*, postea *Richelio*, Imperiales *Hildburgshausio* & *Subisio* cum Gallicis auxiliariis, Rufsi *Apraxino* ducibus, & Sueci etiam rem jam propius, nec infeliciter gererent. Rex tot hostibus, qui eodem tempore,

[redacted] pore, & ex tot partibus imminebant, arctari se videns, in castris munitis se aliquamdiu continuit, ut rationem iis resistendi secum exigeret. Hac solicite in omnem partem versata, cuivis seorsim occurrere statuit, felicem rei exitum in celeritate reponens. Relicto igitur, qui Silesiam interim tueretur, Beverano, adversus Imperiales Gallis conjunctos profectus est. Hoc tempore Carolus Lotharingus utendum ratus, *Nádasdium* jubet Schveidnicium obsidere, & *Hadikium*, ut regem ab itinere, re autem ipsa ab Imperialium novitia adhuc militia avocaret, Berolinum tentare; ipse cum Daunio in Beveranum movet. Ac Hadikius quidem accelerato itinere Berolinum incolumis tenuit, urbeque ob condonatum incendium ducentis *Thalerorum* millibus mulctata, reditum parabat, cum rex urbi suæ opitulaturus cœptum iter reflexit, sed Hadikio opportune jam elapso reversus, imperiales V. Novembris ad *Rosbachium* aggressus in fugam egit, inde ad suos reditum accelerans comperit, *Vinterfeldium* in Lusatia a *Nádasdio*, & *Beveranum* a Lotharingo ad *Vratislaviam* capto du-ce profligatos, & hanc cum *Schveidnicio* i- hostis potestate esse. Tanto magis propera-bat, fortunam, in quamcunque partem se da-ret, ut fere fit, cum res conclamatæ videri-tur, prælio experiri. Offenderat nostros mu-nimentis suis egressos pugnam, dispare ta-

1757.

men

men Ducum ſententia, offerre. Struit pro tempore aciem, confligit, & quinta poſt hora vincit. *Wratislavia*, interceptis XVII. præſidiariorum millibus recuperata, fructus victoriæ fuit. Hæc ad Nonas Decembris acta. Patuit tamen, quid utrinque a prælio intereſſet. Rex militares Præfectos in ſuis ditionibus reſiſtere, & Regina Ducem *Beveranum*, liberum dimitti juſsit, quod magno etiam Boruſſorum encomio acceptum, & opinione omnium ille quidem pugna, hæc magnanimitate ſuperior fuit. 1757.

Didito de clade nuncio Optimates Hungariæ certatim Viennam confluxere, triginta tironnum millia cum bellico apparatu Ordinum nomine polliciti: his ſe Croatarum quadraginta, Sclavonum viginti millia, omnes cauſam Reginæ ſuam quoque eſſe rati adjunxerant. Novis itaque viribus bellum inſtauratum. *Fermerus*, quem Ruſſorum Imperatrix *Apraxino*, quod obtenta anno priore de Boruſsis ad *Volaviam* victoria uti neglexerit, ſubſtituerat, per hyemem *Regiomonto*, & *Elbinga* occupatis *Pomeraniæ*, & Sileſiæ appropinquabat. Rex nihil hoſtis vicinia motus Olomucium obſedit: Daunius, qui illum nuſpiam dimittere ſolebat, cum videret prælio locum non eſſe, obſidentem per intervalla carpere, & commeatu excludere ſtatuit. Commode accepto per exploratores indicio, Boruſſos magnam apparatus bellici 1758.

copiam ex Silesia regi subvehere, obviam
1758. illis *Laudonium* cum *Siskovicsio* misit, qui cæsis tribus millibus, ceteris fugatis commeatum omnem castris nostris invexit, qua jactura rex obsidionem solvere coactus, in Russos *Cüstrinum* prementes movit, sed & hic ad *Zorndorfium* dubio marte congressus prior ex arena decessit, ut Dresdæ laboranti opem ferret. Huc ut citato itinere venit, castra ad *Hochkircham* nostris castris opponens frontem tormentis obvallat. Daunius regem aggredi certus, ut metum præferre videretur, in silva, quæ utrosque divisit, concædes aliquot diebus fieri jussit, ita regem sui securum ante diluculum aggressus, quamvis fortiter resistentem, amissis decem suorum millibus, e munimentis ejectum, omni castrensi apparatu, in quo præter viginti octo signa, centum quoque tormenta fuere, exuit. Rex nihilominus animo sibi constans, non longe remotus rursum castra metatus est. Hic alter alterum observabat, donec Russos *Soltikovio* duce, cui *Laudonius* se junxerat: in Silesiam penetrasse, & *Francofurtum* ad Oderam occupasse, nunciatum est: tum vero periculo suorum admonitus, deserta Saxonia regressus, nec *Daunium* vestigia prementem multum moratus, XII. Augusti tanta pertinacia, quasi fortunam in suas partes videretur velle cogere, cum Russis conflixit, rursumque amissis XV. millibus inferior decedere

coa-

coactus est; *Laudonius* fugientium reliquias quatuor millibus interceptis in cœnosa loca adegit; ducenta tormenta cum triginta signis legionariis, & castrensi apparatu occupata, paullumque post Dresda dedita victoriam præ aliis insignem reddidere. Nunquam alias rex tanto damno affectus, mox par fere ipsa hyeme perpessus est, cum *Daunius* prope Albim ad *Maxam Finkium* cum XIV. millibus, sexaginta sex tormentis, omnique belli supellectile deditionem facere coegit. *a*) 1759.

IX. Tot cladibus rex cautior redditus posthac magis se tueri, quam alios, nisi necessitas cogeret, infestare constituerat, præsertim quod Russos majoribus, quam ante, copiis adventare intelligeret, quibus dum *Laudonius* illis se conjuncturus obviam proficiscitur, per iter *Fuquetum* septem munimentis in arduo obvallatum cum novem millibus, eademque celeritate, & fortuna *Glacium* intercepit. Ducenta tormenta, annonæ promtuaria, cum ærario bellico in partem prædæ venere. Ad *Lignicium* tamen, cum Cæsarei universis viribus regem aggredi constituissent, & is primum agmen ad circumeunda hostis castra duceret, proditus ante tempus a transfuga, regem cum universo exercitu ante se pugnæ paratum offendit, 1760.

 &

a) Biogr. cit. ad hos an.

& capto ab animi præsentia consilio præ-
1760. lium, quamquam numero inferior, orditur eo successu, ut quamvis ipse quinque suorum millia amiserit, profligata tamen sinistra regis ala receptum ea arte instituerit, ut rex nunquam se similem vidisse fateretur. Abhinc regis cura eo præcipue pertinebat, ne Cæsarei hyberna in Silesia agerent, quos ut inde abstraheret, rursus contra Imperiales movit, & *Daunius* euntem a latere comita-
1761. tus castra ad *Torgaviam* fixit. Hic iterum XXII. Novembris ad manus utrinque ventum: jam rex post octo frustra tentatas aggressiones campum deseruerat, cum *Ziethenius* occupato monte, & rege revocato victoriam, absente ob acceptum vulnus *Daunio*, nobis e manibus eripuit. Borussorum octodecim, Cæsareorum duodecim millia eo prælio esse amissa, memoriæ est proditum. Hyems solito gravior ingruens, utrosque ad capienda hyberna adegit, rex ad Lipsiam, *Daunius* Dresdæ consedit. Ineunte anno Rufsi duce *Romanzovio* primi motis castris bellum auspicati Silesiam petebant, quibus dum rex, ut eos transitu Oderæ prohiberet, magnis itineribus obviam contendit, & *Laudonium* sibi ubique ad latus adhærere videt, ab eo conatu retentus, non longe *Schweidnicio* castra metari jussit, nec ante, quam molestus itineris comes annonæ, & pabulationis defectu se a Rufsis sejungere cogeretur, inde

Nis-

Nissam movit, in omnem rei gerendæ occasionem intentus. Hac mora regi a *Laudonio* 1761.
injecta, Russi opportune *Treptoviam* occuparunt, & XVI. Decembris *Colberga* in potestatem redacta, defixis ibidem hybernis, eos in in sequentem annum apparatus facere, ut exacta hyeme rursus bellum in Silesiam traducturi crederentur.

Verum has destinationes mors Elisabethæ Imperatricis repente interturbavit, aliamque rebus faciem induxit. Petrus III. successor illius id primum ab adito solio egit, ut Russicas copias a Cæsareis secerni, & Borussicis adjungi, paceque confecta regi, quæ occupata erant, reddi juberet; quorum exemplo Sueci, qui satis somnolenter jam rem gerebant, regi itidem conciliati sunt; Gallos autem, qui ob mutatos crebro duces, variam quoque fortunam experti erant, & damna ab Anglis in America illata graviter ferrent, jam belli tædebat. Rex igitur gemino hoste, quos ditionum vicinia periculosos reddiderat, liberatus, Imperialibus autem, & Gallis languentibus rem sibi cum solis fere Cæsareis futuram videns *Schweidnicium* aggressus est, & post trimestrem obsi- 1762.
dionem, Daunio necquidquam opitulante, ad deditionem coegit. Id conciliandæ paci locum præbuit, quæ condicto induciarum tempore his conditionibus *Hubertoburgi* coaluit: leges pacis, in quas Dresdæ olim conventum

tum erat, nostra pars irritas faciet; quæ
1762. bello occupata ſunt, reſtituantur, rex vero
polliceebitur, ſe Principi Joſepho ad conſe-
quendam regis Romanorum dignitatem in
proximis Imperii Comitiis ſuffragaturum,
cauturumque, ut is ex illius fratribus, qui
Ducis Mutinenſis neptem ducturus eſſet, in
eodem Ducatu ſuccedat. *a*) His pactis anno
1763. ſequente XV. Februarii firmatis, bello omni-
bus, qui in eo partem habuerant, perinde
calamitoſo finis eſt impoſitus, ex quo illud
tamen commodum nobis acceſsit, quod mi-
litia Hungarica, cujus exigua apud exteros
aliquamdiu jam erat opinio, tot continenter
bellis exercita, ſtatariæ pugnandi diſciplinæ
magis conſueſcens priſtinam nominis exiſti-
mationem recuperarit, multique ex ea ſen-
ſim prodierint, qui ducendis ſupremo impe-
rio copiis idonei haberentur.

X. Firmata pace Joſephus, ut paciſcen-
1764. tibus convenerat, ſuffragante præprimis rege
Boruſsiæ, in Imperii Comitiis die XXVII.
Martii rex Romanorum electus, & patri
conſors eſt additus. Soluto Imperiali Conven-
tu Regina alium ad XVII. Junii Poſonium
indixerat, in quo ut Nationi, cujus luculen-
ta amoris in ſe indicia cum alias, tum re-
cens

a) De pace Dresdenſi an. 1745. d. 25. Dec. ini-
ta, recole ea, quæ ad K. a. dicta ſunt.

cens quoque exstabant, gratificaretur, Præfectum cohortis Prætorianæ Hungaricæ inter regni Barones adlegit, utque viros etiam, qui in re politica operam egregie præstitissent, novo honoris augmento, quemadmodum in militari fecerat, ab aliis secerneret, Ordinem equestrem, cui nomen a Divo Stephano Hungariæ primo rege inditum erat, instituit, nullo tamen annuo censu designato, quod non dubitaret, quemvis pro ea, qua in Patriam esset, charitate omne studium ad eam ornandam, & in pristinum florem reducendam sponte, & gratuito locaturum esse. 1764.

Nondum Comitia, quæ ob graves de tributi auctione difficultates in alterum annum prorogari debebant, finem habuere, cum Regina novo Romanorum regi Josepho, cui biennio abhinc conjux Isabella Ducis Parmensis filia funere elata erat, alteram conjugem Mariam Ludovicam Caroli VII. Imperatoris filiam dedit, ea, ut credebatur, ratione potissimum ducta, ut, si quæ adhuc inter utramque familiam ob illatam Reginæ in aditu regnorum a patre injuriam simultas superesset, hoc vinculo penitus tolleretur. Eadem de causa, ut Domus Borbonica Austriacæ, sopita tot annorum æmulatione, arctius jungeretur, Josepho prius ducis Parmensis filia obtigerat, & nunc Maria Ludovica Caroli III. Hispaniarum regis filia Leopoldo, alteri Reginæ filio, in manus convenit. Nuptias 1765.

Oeniponti V. Auguſti pompa regali celebra-
1765. tas mors Imperatoris XVIII. ejusdem menſis
magno omnium luctu intercepit, cum annum
ætatis ſextum ſupra quinquageſimum ageret,
conjugi ſuæ animi bonitate, bene merendi
de aliis ſtudio, & cum locus poſceret, mu-
nificentia, ceterisque virtutibus, quæ regnan-
tes ornare ſolent, ſimillimus.

Regina luctu, quem conſtanter, dum vi-
1766. xit, animo retinebat, ne ſuis deeſſe videre-
tur, extrinſecus deterſo, Joſephum regimi-
nis ſocium adſcivit, paullum poſt Albertum
Saxoniæ ducem, Mariæ Chriſtinæ filiæ col-
lato *Teſsinenſi* ducatu conjunxit, eique, de-
functo poſtea Palatino, res Hungariæ ſuo no-
mine adminiſtrandas credidit. Hæc dum ad
1767. levandas ſuas curas agit, prope erat, ut cum
ad Joſephi conjugem morbillis correptam in-
viſit, eodem malo afflata maritum ſequere-
tur. Ex indictis per omnes provincias pu-
blicis ſupplicationibus patuit, in quanto o-
mnium amore eſſet. Erepta periculo, ut ſe
ſuis gratam exhiberet, caveretque, ne eo-
1768. dem, quo defuncta erat, malo corriperen-
tur, prolibus ſuis primum mox deſignata
domo, volentibus morbillos inoculari juſsit,
quo inſtituto latius ſenſim propagato multos
ab ea contagione immunes rei publicæ ſer-
vavit. Nec aliorum commodo ſolum inten-
ta, familiæ etiam ſuæ futuri provida, cum
exte-

exteris Principibus conciliata amicitia con- 1769.
fultum ibat; dum Mariam Carolinam Ferdinando utriusque Siciliæ regi, & fequente anno alteram filiam Mariam Amaliam Ferdinando Ludovico Parmenfi duci connubio necteret. Hac fanguinis, ut ita dicam, communicatione, cum præterea jam ante biennium Regina filio fuo Ferdinando Carolo Mariam Beatricem, ducis Mutinenfis neptem, cum jure fuccefsionis ad pofteros defponderit, magna Domui Auftriacæ accefsio, non quidem proprietatis, fed auctoritatis, & potentiæ in Italiam facta eft. Ipfe enim fitus terrarum in continente Mediolanenfem ducatum cum Mantuano, hic Parmenfem cum Mutinenfi, & hic rurfum Hetruriam, interpofito quidem ftatu Pontificio, cum utraque Sicilia, mari tamen opportune connectit, ut adeo præcipua Italiæ portio unius quafi familiæ cenferi pofsit, quæ fibi bello ingruente communiter adjumento fit. Sub idem tempus fere Jofephus, ex peregrinatione eadem de caufa per Italiam inftituta redux, regem Borufsiæ condicto in Bohemia loco, & tempore convenerat. Plerique ex familiari utriusque congreffu ftabilem amicitiam coaluiffe exiftimabant, fi modo inter reges conftans amicitia effe poteft, quos fæpe publici ftatus diverfæ rationes cum fua, tum fuorum caufa vel invitos folent, aliquando etiam debent committere. Actum præterea cum Gal-

liæ

[redacted] liæ rege ad resecandas deinceps belli causas de dirimendis Belgii limitibus, quo con-
1770. gressu data occasio est, ut de Antonia Reginæ filia Ludovico Delphino despondenda tractaretur. Pactis nuptialibus utrinque firmatis, sequente anno eidem conjuncta spem fecerat conciliandæ utriusque Nationis, quæ duobus pene seculis primum occulta æmulatione, postea simultate, & apertis inimicitiis inter se dissidebant. Et dabant se, ut Parisios venerat, Natione universa fere præ gaudio insaniente, initia, quæ stabilitatem polliceri videbantur, lætissima, cum repente ipso hoc, quo hæc scribimus, anno colluvies quædam Nationis inter se coorta, erepto per tyrannidem regi Imperio, hunc, & illam in quæstionem vocatos, nullius tamen criminis convictos, carnificis manu sustulit. Sed infami scenæ, quæ ipsi humano generi opprobrio est, obducto sipario, quæ nostri argumenti sunt, persequamur. a)

XI.

---

a) Causam regis peroravit D. de *Seze*: exstat Germanice hoc titulo: Vertheidigung Ludwigs. Vien. 1793. plena nervorum & eloquentiæ. Reginæ autem apologiam adornavit Eques Germanus anonymus privato studio. Exhibet hanc Girtanner in annalib. politicis an. 1794. mense Januar. N. 2. pag. 134. — 62 Gall. & Germ.

XI. Invaserat fames non solum aliquas ex ditionibus hæreditariis, sed non exiguam præterea Europæ partem, neque in alterum jam annum remittere videbatur. Regina tot mortales inedia perituros miserata, comparato undique, præsertim ex Hungaria frumento, miseris gratuito id distribui jussit, & ut huic malo alias quoque consuleretur, instituta in eum finem schola ad agriculturam majore, quam hactenus, cura, ceterasque œconomiæ partes propositis præmiis excolendas suis incitamento fuit. Ab hoc bene merendi de aliis studio repente avocata, copiarum partem in Poloniam deducere coacta est. Occasio hæc erat. Catharina Russorum Imperatrix, & rex Borussiæ jura sua vetera in finitimas suis ditionibus partes vindicare constituerant, quorum sive exemplo, sive inito communiter consilio ipsa quoque pristinum Hungariæ jus in Galiciam, & Lodomeriam, ut regno assereret, militem his provinciis immisit. *a)* Res Varsaviæ diu ventilata est, Polonis in adversum magnopere ob-

1771.

1772.

---

a) Franc. Adami Kollar, Vorläufige Ausführung der Rechte des Königreichs Hungarn, auf klein oder Roth Reussen, und Podolien, und des Königreichss Böheim auf die Herzogthümer Ausschwitz, und Zator. Vien. 1772. extat item Latine, & Polonor. respons. Gallice.

1773. obnixis; tandem indefesso studio Legati Cæsarei Caroli *Reviczkii* his conditionibus diremta fuit: quod a dextra Vistulæ ripa ducto a Silesiæ limitibus initio usque Sendomiriam ad confluentem amnis *Sani*, tum recta linea præter Zamoscium ad flumen Bogum, ultraque secundum Russiam rubram ad Tyram fluvium secreto inter Moldaviam, & *Pocutiam* limite tenditur, a Polonia avulsum Reginæ cedet, quo ambitu ducatus quoque *Osviczensis*, & *Zatoriensis* jure regni Bohemiæ comprehensi erant. Russorum Imperatrici ea Lithuaniæ pars, quæ ab extimo Curlandiæ angulo secundum Borysthenis ripam versus Kioviensem provinciam tenditur, ea conditione obtigit, ne qua incolarum pars jure, quod sub Polonis habuerat, privetur, & omnia in eo, quo reperta erant, statu relinquantur. Id Ordinis Jesuitarum, decreto Romano soluti, reliquias servavit. *a)* Provinciæ utrinque, quod jure Hungarico assertæ essent, *Hadikius* præfectus est, qui cum Nationis linguam nosset, & consueta sibi in omnes moderatione uteretur, haberetque a militari scientia apud Nobiles magnam nominis existimationem, brevi effecit, ut mutatos domi-

nos

a) Merkwürdige Nachrichten von den Jesuiten in Weißreussen, aus dem Italienischen. Francof. & Lipsiæ. 1786.

nos æquanimiter ferrent. Tam bene, utiliterque de utraque provincia meritum Regina Viennam accersitum Consilii bellici Præsidem declaravit, qua prærogativa, ut nulli hactenus Hungarorum collata erat, ita universam Nationem, in cujus fide tantum reponeret, sibi rursum arctius conjunxit. 1774.

Re Polonica in hunc modum feliciter confecta, & firmata inter Russos, & Turcas pace, bellum inter Angliam, & colonias Americanas exortum est, cui Gallia, memor, quibus in ea orbis parte damnis olim ab Anglis affecta fuisset, sponte se suo, ut ex eventu postea patuit, malo, eoque, quod maxime periculosum esse solet, domestico ingesserat. Regina, quæ ex pacto, si ditioni regis Angliæ in Europa bellum inferretur, subsidio esse debebat, hac parte libera, dum illi terra, marique inter se decertant, & Dania, ac Suecia intestinis motibus quatitur, studia pacis amplexa nullam rei publicæ partem, quæ aut vitium fecisset, aut spem præberet uberioris fructus in commune bonum redundaturi cura sua indignam existimans de suis, aliisque bene mereri pergebat. Polonorum, qui se tot provinciis privari dolenter ferebant, precibus permota aliquam trans Vistulam, & ad Bogum partem nova conventione inita, servato sibi tamen medio Vistula, & libera navigatione, 1775. 1776.

resti-

restituit, vicissim autem Russorum Imperatrix *Bukovinam*, ditio est Moldaviæ, contermina *Pocuciæ*, saltuosa quidem, sed tres urbes, & trecentos pagos ambitu suo complexa, quam Turcico bello nuper occupaverat, Reginæ cessit. Obstabat quidem Porta Ottomannica aliquamdiu, sed, ut bello proximo enervata stabili pace frueretur, sequente anno XXV. Februarii se jure in Bukovinam perpetuum abdicavit. Sub hæc obitus Maximiliani Josephi Bavariæ Ducis, qui Wilhelminæ lineæ postremus erat, nihil pacati promittebat. Longum esset, nec nostri argumenti causas longinquius accersere, compendio rem memorasse satis fuerit. Elector hærede masculo destitutus bona diversis titulis nixa reliquerat, in quæ Palatinus Rheni universe, in partem autem aliquam Meklenburgicus, & Vurtembergensis Duces, tum Archiepiscopus Salisburgensis sibi jus arrogabant: Regina eam Bavariæ partem, quæ secundum Danubii ripam ad Oenum fluvium tenditur, velut feudum a Sigismundo Imperatore Domui Austriacæ olim collatum, missa, quæ hunc tractum usucaperet, militia insideri jussit, & jam cum Palatino amice transegerat, cum rex Borussiæ, tamquam rem Imperii, non suam, acturus intercessit, & tractatione clam cum Palatino, & Bipontino instituta conventionem Reginæ intervertit.

1777.

Hinc

Hinc bellum prope jam certum imminebat. Cæsar non ignarus regem belli momentum præcipuum in celeritate reponere, cunctantem nunc prævertit, non quidem ut aliena impeteret, sed sua tueretur. Copias ad Reginohradecium locat, & castris ad Albim munitis, ne nomen aggressoris sibi jure tribui possit, regem præstolatur. Rex per Glacensem Comitatum, & Henricus frater ex Lusatia Bohemiam ingressi omnia experiri statuerant, ut Cæsarem ex loci opportunitate prolicerent, initæ crebro velitationes, castra sæpe mutata, procursiones in Moraviam tentatæ, suscepta in medio armorum strepitu pacis consilia, non raro etiam receptus simulati, frustra omnia. Ita annus pene abiit, majore regis, quam Cæsaris damno. Regina, ne Europam rursus belli flamma latius corriperet, pacem anhelabat, nec rex diversam a prioribus annis fortunam expertus abnuit. Congressu Tessini X. Martii celebrato multis difficultatibus implexa negotiatio ad mensem Octobrem protracta, demum XV. ejusdem his conditionibus absoluta est: Palatino Theodoro antiquata priori conventione omnia, quæ Cæsarei in Bavaria occuparunt, reddantur, tractu tamen illarum terrarum, quæ inter Danubium, Oenum, & Juvavum (Salzam) jacent, suo, & successorum nomine se abdicabit, quæ deinceps juris Austriaci erunt, eique ager Burghausensis in

1778.

1779.

[redacted] innexus esse censeatur: regi Borussiæ priora
1779. fœdera, quæ Vratislaviæ, Berolini, Dresdæ, & Hubertoburgi alias inita erant, Regina rursus confirmabit; præterea jus in Marchionatum Byruthinum, & Onoldinum primogenito Domus Brandenburgicæ, novo iterum potentiæ augmento assertum; fidejussores denique eorum, quæ utriusque partis consensu stabilita sunt, Imperatrix Russorum, & rex Galliæ constituti. *a*)

[redacted] XII. Stabilita his legibus non inutiliter
1780. pace, moris sui retinens ditionum suarum commodis cum alias semper, tum vero præcipue, si confecto bello publica onera, quæ hostium causa imperantur, levare solebat, intenta, de minuendis exactionibus consilia susceperat, cum illam de his rationes cum aliis solicite ineuntem mors XXIX. Novembris nobis sustulit, eo doloris sensu, quasi communis omnibus mater erepta fuisset, quod nomen ei præ illo *Magnæ*, ex assentatione

a) Sammlung aller Staats-, Hof- und Gesandschaftsschriften — — welche die Baierische Erbfolge — — betreffen &c. Vien. 1778. T. IV. Item Vergleich wegen der Baierischen Erbfolge, dann königl. Preußische Vorstellung an den Wiener Hof. Berolini, cum adnexis scriptis, quæ eo tempore vulgata erant.

tione ut plurimum, orto, grata posteritas merito tribuit. Paternam hæreditatem adiens 1780.
illud sibi præcipue habebat propositum, ut regna sua situ, lingua, & moribus diversa suis quodque institutis, quæ a majoribus acceperant, regeret, nec quidquam horum illis non consultis, vel invitis, mutaret. Hoc æquabili in omnes, quibus præerat, Nationes, animo fiduciam cujusvis, præsertim Hungariæ, priorum temporum injuria labefactatam, sibi, Domuique suæ conciliavit. Id in causa erat, quod Hungari de hæreditate periclitanti, aliasque bello impetitæ inter primos correptis armis, collato sponte sua ære, annona, ceterisque, quæ in potestate habebant, adminiculis nunquam defuerint. Tam prompta voluntatis testificatio Reginam vicissim Nationi ita conjunxerat, ut in ea ad pristinum florem reducenda nulli operæ parceret. Luxatas regni partes, Banatu Temesiensi ultra seculum avulso, & *agro Fluminensi* in alienam ditionem traducto, *juri Hungariæ vindicatis*, suæ integritati, intestinis motibus vastas terras, deductis coloniis, cultas reddidit, auxit pro ditionum situ commercia, contuberniis ad hunc finem peculiariter institutis, agriculturam, sine qua commercia languescunt, latius propagavit, artibus liberalibus academias, palæstras militiæ, miserorum inopiæ nosocomia, prolibus parenti-

bus orbatis orphanotrophia, partim erexit,
1780. partim locupletavit.

Sed educatio juventutis, a qua rei publicæ fortuna in utramvis partem pendet, illam præcipue ſolicitam habuit. Quam ob cauſam pagatim fere triviales, in oppidis autem, & urbibus normales Scholæ conditæ, ex quibus formata juventus, ſi idoneam ſe probaſſet, ad Latinas traduceretur. Has quoque, cum Romanus ſermo Nationes lingua diſpares, aliqua ſaltem ratione ſoleat, poſſitque connectere, animo complexa, graviores diſciplinas, harumque partes multifariam inter ſe quidem diſparatas, ſed ad eundem finem mire conſpirantes diſcentium pro futura vita uſui magis accommodatas reddidit. Univerſitati Scientiarum Tirnaviæ, anno 1777. Budam traductæ, ne quid ſeu incremento litterarum, ſeu docentium incitamento deeſſet, ampliſsimos fundos donavit: hinc, ut in re publica litteraria communio quædam eſſet, in diverſis regni partibus Academias, & Gymnaſia adjunxit, quo Studioſi ſumtuum compendio opportune poſſent confluere. Profeſſoribus, qui jam ante fama inclaruerant, vel doctrinæ ſuæ periculum publice feciſſent, ubique conſtitutis larga ſtipendia. Sacerdotibus tamen, non tam animo ſuo obſequuta, quæ homines ex meritis, non item amictu æſtimare ſolebat, quam aliorum conſiliis deferens minora decrevit,

præ-

præmia insuper omnibus proponens, qui editis operibus auctarium ad scientias facerent. Moderando autem huic corpori ex variis, & loco disjunctis membris conflato Senatum præstituit, penes quem universe litteraria, & politica administratio esset. 1780.

Scientiis studium quoque religionis, sine qua facile ingenia in utramvis partem exorbitant, conjungi voluit. Idcirco Seminaria, quæ partim minoris census Nobilibus, partim ad Catholica Sacra traductis erecta erant, annuis reditibus locupletans, eadem opera, & parentibus, quibus res domi curtior erat, & avitæ religioni consuluit. Hanc ipsa Majorum suorum exemplo impense colebat, quin diversam professis molesta esset, aut ægre faceret, si modo intra terminos legibus definitos se continerent, alioquin nulli impune fuit, qui Catholicam religionem vel affecisset injuria, vel cavillis, scriptove lacessivisset. Huic in regno corroborandæ Episcopatus, Albensem, Neosoliensem, Rosnaviensem, Sabariensem, & Scepusiensem, excerpta partim ex aliis, quæ latius diffusæ erant, diœcesibus, partim ex fundis, qui olim ad Clericos regulares de societate Jesu dictos dono regum pertinebant, portione, addita cuivis Sacerdotum collegio instituit, primum conditorem divum Stephanum regem Apostolicum imitata, cujus titulum a decessoribus fere neglectum anno 1758. Clemente XIII.

Pontifice Maximo libenter prorſus annuente
1780. ab oblivione vindicavit.

Hæc ad promovenda regni commoda attinebant. Nec diſſenſit character animi. Judicio acri prædita, & laboris ſupra ſexum patiens cum eſſet, ipſa conſultationibus ſemper fere præfuit, & quod ex vario ſententiarum conflictu e re publica ei viſum eſt, non facile dein mutanda ſententia conſtituit, quod maturæ, & omnia ſecundum providentiæ leges, quantum humanæ menti fas eſt, inſtitutæ deliberationi proprium eſſe ſolet. Jus ſine partium ſtudio omnibus adminiſtrari, nec ſe, ſi lis de fundis Fiſco addictis orta eſſet, eximi voluit, cuique, quod ſuum erat, tribuens, criminis tamen damnatorum miſerta, ſi ob enormitatem ſceleris pœna condonari non poterat, lenire eam certe ſtuduit, & juſtitiæ laudabili temperamento manſuetudinem conjunxit. Quo minus ſumtuoſæ pompæ, niſi id dignitatis cauſa tempus aliquando poſceret, erat appetens, eo magis in ſuos munifica nunquam infeliciorem ſe exiſtimans, quam ſi non omnibus, quod nulli Principum hactenus datum eſt, ut cupiebat, obſecundare poſſet. In quotidianæ vitæ conſuetudine majeſtatis pene oblita, comis alloquio, facilis aditu, præſertim ex Hungaria venientibus, ut hac benevoli animi ſignificatione, quæ ſub Majoribus ſuis inter utramque Nationem invaluerat

rat, diffidentiamne dicam, an metum? penitus tolleret. [redacted] Huc jam ab initio regiminis 1780. conatus illius spectabant eo successu, ut animi utrinque sensim mitescerent, commercia essent familiariora, connubia etiam miscerentur, quae ipsa etiam praesertim inter Optimates non raro conciliare solebat, quem morem cum paullatim non pauci etiam Nobiles sequerentur, & ceteroquin magna vis esse soleat conjugibus in maritos, brevi eo rem adduxit, ut utraque Natio popularitate quasi in unam coaluisse videretur, nobiliorem hac conciliatione triumphum meritae, quam si armis, quae in corpora solum, non item animos dominantur, quemcumque hostem vicisset, memoriam sui indelebilem animis posterorum inscriptam relinquens.

Mater plurium liberorum filios superstites reliquit, Josephum, Leopoldum, Ferdinandum, & Maximilianum: filias plures. Ex his Carolinam Ferdinando utriusque Siciliae Regi, Antoniam Ludovico Galliae Delphino matrimonio jungens, Domum Austriacam Bourbonicae annexuit, ut, sublata, quae inter utramque crebro intercesserat, simultate, & inimicitia, ditionibus suis in Italia, Belgio, & Germania consuleret.

Defunctae continenti serie successerunt, Josephus, & Leopoldus, uterque hujus Nominis II. quorum res gestae, & quae deinceps sub Francisco Hungariae Rege, qui illos

in

[redacted]in regimine exceperat, consecutæ sunt,
1780. quam grave huic, & sanguinarium bellum a Gallis nulla causa indictum, quæ contra id, & cum quibus conflata Fœdera, rursumque diffusa, & ipsum adeo bellum qua fide, & mirabili etiam in adversis perseverantia a Rege nostro sustentatum, qua ex diverso ab hoste perfidia, quibus rapinis, ac latrociniis, quam cruenta civium suorum laniena, conculcatis sacris, pactorum violatione, proditionibus, & cæde Regis sui, hujusque Conjugis, ac sororis illius, tum Delphino hæreditario Principe veneno e vivis sublato fœdissime gestum, contaminatumque fuerit, in recenti quidem omnium memoria versantur, sed quoniam variis, occultisque recessibus implicita, diverso item fine, & proposito suscepta, & politica caligine adeo etiamnum obscurata sunt, ut designationes illorum, qui in belli partem venere, plerasque ignorare cogantur, quædam vero in publicum efferre nondum expediat, erunt olim, qui ubi hæc tempora detonuerint, ut solet, quantumvis recondita, sensim prodere, quin assentando, aut connivendo in utramvis partem offendant, litteris ad posterorum memoriam libere, & candide transmittere, & Franciscum Augustum datæ, servatæque fidei, ac mirabilis constantiæ exemplum futuris Regibus proponere possint.



